This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Tentamina Heurographica atque Etymologica

UNIVERSITY of MICHIGAN
GENERAL LIBRARY
OCTAVIA WILLIAMS BATES
BEQUEST

TENTAMINA HIEROGRAPHICA, ATQUE ETYMOLOGICA:

DE HIEROGRAPHIA, ET PANTHEO ETRUSCORUM;

DE VASIS PICTIS:

DE PANTHEOPOEISMO VETERUM:

DE LINGUA GRAMMATODYNAMICA: etc.

PROPOSITA

A CATALDO JANNELLIO

BIBLIOTHECARIO REGIO ET ACADEMICO HERCULANENSI.

NEAPOLI,

APUD RAPHAELEM MIRANDA

MDCCCXXXX.

Et Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.

S. Joannes Evangel. Cap. I. v. 5.

Accedet Homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.

S. Augustinus in Psalm. LXXII. v. 7.

Faciamus ampliora quae accepimus; maior ista hereditas a nobis ad posteros transeat; Multum adhuc restat Operis, multumque restabit: nec ulli nato post plura saecula praecludetur occasio aliquid adhuc adiiciendi..... Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt.

Seneca Epist. ad Lucil. 64.

Bates
DeCrisci
6-24-1975
9194
BL
721
.J34

PRAEFATIO PRIOR

IN TENTAMINA HIEROGRAPHICA.

Incredibile quidem dictu, sed tamen verum est, post tot tantasque Disquisitiones et Disputationes de *Diis* et *Numinibus* veterum Gentium, tam leviter ac tenuiter in hac *Deorum* Scientia nos profecisse, ut nemo nostrum per eas valeat definire qui fuerit *Janus* Romanus, et quae *Juno* Lanuvina, quae *Pallas* Attica, et qui *Vertumnus* Etruscus: Quin, si tu de *Bacche* sive *Dionyso* Thebano ex grat. omnia quae iam de eo cogitarunt et scripserunt Gyraldus, Bochartus, Vossius, Huetius, Lavaurius, Banierius, Dupuisius, Rollius, Creuzerus, Guigniautus, etc. etc. adunas, cogis, cumulas, huius sive *Dei* sive *Daemonis* naturam et originem numquam valebis clare et certo definire atque explicare.

Asperum id quidem, molestum, durum; non tamen mirum: Nam plures ac gravissimae et fuerunt olim, et durant hactenus caussae et momenta, quae tristem hunc statum veterum Pantheonum effecerint, et servent. Et 1. prima quidem caussa est *Hierologia* ipsa *Typorum divinorum* confusa hactenus, manca, imperfecta: quum contra impossibile sit naturam genuinam *Jani Patulcii*, et *Silvani Inui* nosse, perspicere, et definire, nisi omnibus et singulis *Nominibus*, *Cognominibus*, Epithetis perspectis: 2. Nisi omnibus *Officiis*, muneribus, potestatibus *Typi divini* collectis et designatis. 3. Nisi Symbolis, Figuris, Formis, *Agalmatibus*, *Emblematibus* omnibus, quibus exprimitur et repraesentatur, explicatis: 4. Nisi factis, gestis, operibus omnibus, quae tribuuntur, descriptis: 5. et nisi tandem noti sint etiam et definiti *Dii Synthroni*, Symbomi, adhaerentes, socii, per quos Pantheum plenum et originale cognoscitur.

2. Secunda caussa est mixtio, confusio, hybridis-

mus *Pantheonum Popularium*, et Politicorum: Nam vetera *Panthea Popularia* numquam ad nos pervenerunt simplicia, originalia, homotechna: sed semper mixta confusa polytechna. Ita ut tu in Pantheo ex. gr. Romano non solum offendis *Isidem* Aegyptiam, *Serapidem* Sinopitam. *Aesculapium* Pergamenum, *Cybelem* Phrygiam, etc. Sed etiam *Jovem*, *Veiovem*, *Martem*, *Picum*, *Faunum*, *Saturnum*, *Consum*, *Voluptiam*, *Libitinam* etc. quos vel ignoras unde sint, vel si scis certe scis haud ad idem et homothecnum et idioethnicum *Pantheum* spectasse. Atqui accurate et vere singulos *Typos divinos* definire nisi ipsis *Pantheonibus* originalibus et prototechnis definitis impossibile est.

3. Tertia caussa est *Syncretismus Theologicus*, vel hypotheticus et temerarius, vel falsus et absurdus veterum Philosophorum, quoad *Panthea* popularia et *Politica*. Nam ex una parte vix est literatus vir recentior, qui agens de veteribus *Diis*, ut Cudworthus, Moshemius, Dupuisius, Creuzerus, Guigniautus, etc. etc. testimonia Philosophorum veterum, Platonicorum, Stoicorum, Neoplatonicorum studiose non colligat et cumulet: Et alia ex parte certum est *Panthea Philosophorum* fuisse alia et diversa a *Pantheis* Popularibus et *Politicis*. Unde tenebrae atque errores eruditione et literis auctae: quae nisi per sinceri *Syncretismi* scientiam dispelli non poterunt.

4. Quarta caussa est nulla Scientia naturae *Typorum divinorum*, nullae Disquisitiones profundae et metaphysicae de characteribus intimis, de proprietatibus characteristicis *Deorum* veterum: Scilicet tu potes proferre et numerare plures Decurias Virorum doctorum, qui plerosque *Deos* veterum Gentium habuerint et fecerint Patriarchas et Prophetas Hebraeorum: Plures Decurias eorum, qui fecerint Reges, Imperatores, Duces, Principes Gentis indigenas et enchorios: Plures Decurias eorum qui fecerint Elementa, Membra, et partes Mundi corporeas: Centurias eorum numera-

bis, qui fecerint Solem, Lunam, Planetas, Stellas: Sed ne unum quidem sive ex his, sive extra hos valebis excitare et proferre, qui per intimam characterum disquisitionem, naturam et originem eorum quaesierit et definiverit: Quin illud mihi stupori fuit, unam, et quae restabat, Hypothesin de natura Deorum Classicorum et Magnorum, et eam ipsam, quam nos probandam unice et demonstrandam suscepimus, neminem hactenus exornandam utcumque, et illustrandam suscepisse: Deos scilicet Classicos et Maiores veterum Gentium, habendos esse sive deformationes, sive transformationes, sive fractiones *Triadis*, vel *Tetractys* Archicae omnium veterum Gentium, et omnium Philosophorum: Etiamsi plures extitissent docti viri, qui de *Triade* et *Tetracty* Veterum erudite et ubertim egissent.

5. Quinta caussa est nulla Scientia *Originum*, nullae graves disquisitiones de formatione ac derivatione *Pantheonum*: Scilicet omnes hactenus qui de veteribus *Pantheonum* originibus egerunt omnes vel Sophi Brutistae, vel Theologi Semibrutistae possunt appellari. Nam illi Brutistae omnia humana *Panthea* ab Hominibus brutis arcessunt, et per naturales vires Humanas omnia Theologica Systemata ducunt et extrahunt, sive potius fingunt et mentiuntur. Alii vero etsi *Proto-Pantheum revelatum* a pluribus *Noachidum* Tribubus servatum putent: illud tamen dispersione et dissipatione Coloniarum, et barbarie superiecta ita immutatum et corruptum ponunt, ut haud possint elementa characteristica agnosci, et adeo formationis et derivationis fundamenta constitui. Atqui dato aliquo *Proto-Panthco* varietates et diversitates eius plurimae non oriuntur tantum ex Semibrutis, sive ex Barbarificatione Tribuum et Populorum, sed maxime per *Heterodoxiam systematicam* Theologorum arrogantium et superborum, et per *Heteromorphismum Technicum*, quem, plura Collegia Sacerdotalia facile possunt condere et

componere ; quod factum revera pluribus argumentis nos ipsi ostendere studuimus.

6. Sexta caussa, nulla Scientia *Mythorum* et *Fabularum sacrarum*, nullae profundae disquisitiones de natura et formatione *Mythorum* et *Fabularum*. Clamant Sophi Brutistae eas omnes esse deliria Gentium Barbararum, esse somnia Poëtica hominum stupidorum et semibrutorum : Alii plures habent ut otiosas et futiles fictiones Poetarum: Alii arbitrantur allegorias physicas iis contineri: Plures alii astronomicas : Quibus non est nisi *Fabula* Coelum. Aliis longe pluribus *Mythi* sunt ipsae sociales Historiae ipsa facta populorum Poëtice tractata. Atqui nulla harum opinionum potest probari et amplecti, singulae falsae: Restat Hypothesis una et solertissime proponenda et gravissime demonstranda : in *Systematibus Mythicis* veterum Gentium contineri potissimum Protohistoriam Mundi et Generis humani, atque Archaeohistoriam ipsarum Gentium per profundum stilum Poeticum, et per Linguam duplicem transformatam. Quae sententia nostra est, et Systema nostrum prolixa etiam Analysi adhuc inedita demonstratum.

7. Septima caussa est nulla Scientia *Symbolorum*, nullae disquisitiones profundae de formatione, elementis, ornatibus Iconum Sacrarum, Hiero-Agalmatum, Hiero-Emblematum, Hiero-Dramatum veterum Gentium ; ita ut non modo hactenus ignoramus causas et rationes eorum; sed etiam quascumque significationes et potestates plurimorum, et quemcumque vel hypotheticum nexum inter symbolum et potestatem *Typi divini*: ita ut Creuzerus Titulo suae *Symbolicae* lectorem prorsus fefellerit. Atqui omnium primum erat gravissime et diutissime disquirendum: An *symbolorum divinorum* unus esset fons *Ideographicus*: An huiusmodi fons *Ideographicus* esset satis, an esset tantae ubertatis, claritatis, certitudinis, ut unice, et semper esset sectandus, complectendus, praeferendus. Nam nos contra iam ab anno 1830. prolixa disquisitione

in *Fundam. Script. Cryptic.* tum limites satis angustos *Stili Ideographici*, tum necessitatem alterius *Fontis Symbolororum Hierographicorum* ostendere et probare adlaboravimus: nempe *Lexeographicum* et *Lexeoschematicum*: illum nempe, quo non idea *Symboli* et obiecti, sed Nomina, Cognomina, Epitheta, Vocabula potestatum et officiorum indicantur per *Schemata* et significantur; Ita ut ubi sacrum *Agalma* est scite et sollerter factum potest ex eo plerumque colligi integrum Lemma, plenum Effatum, Sententia prolixa, qua clare eius destinatio officium natura sit expressa et definita: Quae profecto Lemmata efficiunt intrinseca et praestantissima Fundamenta *Hermeneutica* veterum Pantheonum.

8. Octava caussa nullae definitiones, nullae distinctiones, nullae disquisitiones de *Cosmographia Theologica* veterum Gentium, de numero, ordine, amplitudine, dispositione partium atque elementorum Mundi: qui ordo non modo solet gravissime discrepare a Gente ad Gentem, a Secta Theologica ad Sectam, ab Haeresi Philosophica ad Haeresim, sed a Poëta ad Poëtam: et alia ex parte eius accurata cognitio est ita necessaria ad rectam intelligentiam cuiuscumque Lemmatis Theologici, Philosophici, Poëtici, ut nil absque ea recte nosse et tenere possimus: Adeo ut quomodo Vossius, Dupuisius, Creuzerus, et Guigniautus Systemata Theologica omnium fere Gentium excutientes, et agitantes hoc fundamentum *Systematis Cosmographici* negligere penitus potuerint, Lectoremque per unam ferme Ptolemaicam Sphaeram per omnes Gentes, Sectas, et Scholas circumducere, capere animo non potui. Vide hic p. 228.229.251.255.

9. Nona caussa, omnium praedictarum summa et collectio, est defectus *Fundamentorum Hermeneuticorum* intimorum, quae in ipsis Fragmentis originalibus sint posita, carentia elementorum certorum et *Datorum* in ipsis Monumentis veterum: Nam ista sunt vel profundissime obscura et incerta, vel fabulosa, mythica,

Poetica, vel absurda atque utcumque inexplicabilia. Atqui si in ipsis *Fragmentis* originalibus, si in ipsis Monumentis et Documentis Theologicis non insunt intime *Fundamenta Hermeneutica* non difficilis tantum et abstrusa, sed plane impossibilis est perfecta et certa explicatio *Monumenti*, quia absque *Datis*, *Quaesita* non sunt, absque *notis* et datis *ignota* non dispelluntur atque amoventur. Quamobrem si *Monumenta* quae ad nos pervenerunt *Theologica*, si *Hierographica*, si *Mythica* ex certo *Fonte* deducta sunt, si per certam *Linguam* condita, si per certas *Leges* efformata, eorum interpretatio possibilis: Secus est penitus desperandum, secus omnis explicatio genuina et legitima est impossibilis, etiamsi accesserint, et adlaboraverint decem alii Vossii, decem alii Dupuisii, decem alii Creuzeri. Nam omnis interpretatio atque explicatio si intime non pendet ab ipsis *Documentis* et *Monumentis*, quae habentur originalia, extrinseca est, externa est, fluxa est, et numquam vera et legitima haberi potest.

10. Et quid, cedo, obstare potest ne in ipsis *Documentis* et *Monumentis Theologicis* veterum Gentium aliqua *Data*, et *Fundamenta Hermeneutica* ponantur, si spes suavissima res est, et qua maxime vivimus, si utilitas inaestimabilis; si dato *Proto-Pantheo*, et *Proto-Glossa Noachica*, et socio *Ascetismo* data sunt omnia elementa, per quae haberi possint plurima *Panthea* non barbarica fatuitate corrupta, sed per certas *leges* et *heterodoxias*, et *heteromorphias* immutata et transformata? Quae quum diu olim mecum meditarer, et sentirem hunc *Pantheopoeismum Technicum* et systematicum veterum Gentium mire et intime cohaerere cum *Glossopoeismo* etiam *technico* et *systematico*, quod exposui *Adp. ad Tent. Herm. Etr.* pag. 252-315. et cum *Grapheopoeismo Cryptico*, quem prolixe explicavi 1830: peculiari opere de *Pantheopoeismo* isto agendum statui: cuius summam et epitomen dedi hic p. 227-284.

Visum est scilicet de primis et fundamentalibus

quibusdam Theoriis primo Libro agere: Nam defectus definitionum, et distinctionum, et varietatum inter maximas causas errorum et incertitudinis est numerandus. Tum Libr. II. accessi propius proposito nostro; et nonnulla de *Pantheogoniâ Technica* et *Systematica* proposui: Quibus utinam alia potiora Ingenia excitentur, ut graviora et abstrusiora de *Mythopoeismo*, et *Pyseosophia* Veterum docere nos possint. Hinc Libro III. praecipuos characteres veterum *Pantheonum* quaesivi: ut ex characteribus naturam atque originem possimus arguere et demonstrare: et hac occasione de *Tartaroarchia*, vel *Gaeoarchia* Veterum egi. Nam mihi alte infixum animo est nil umquam in Theologia Veterum vere posse nos scire nisi *Cosmographia* definitâ, nisi Mundi elementis et partibus in Idioethnico et proprio ordine, numero, et symmetria constitutis, non omnia metientes per *Gaeocentrismum Uranodromicum* Astronomorum Graecorum. Quam Cosmographiam quia et vetustissimam, universalem, et sive unam sive fere unam Dupuisius et Creuzerus videntur nosse et ponere; ideo Librum Quartum, ut pro virium mearum modulo ad debellandum tantum errorem aliquid conferrem Hypothesim meam de vetustate atque origine *Uranographiae Graecae* et nostrae volui adiicere: Sperans fore, ut tandem aliquis magnus vir surgat, qui limites genuinos veteris *Astronomiae* velit designare, et formas *Cosmographiae* singularum tum Gentium, tum Sectarum describere et determinare, ut Chaldaeorum, Aegyptiorum, Syrorum, Indorum, Orphicorum, Homeri, Hesiodi, Aeschyli, Pindari, Pythagorae, Empedoclis, imo et Platonis in Timaeo, ubi supponitur ipsa Sphaera Gaeocentrica Asterodromica; et interea extra est Demiurgus potentissimus, et *Hyle* sive infinita sive indefinita, ex qua Mundus educitur. 5. Hinc Libro quinto falsas veterum *Pantheonum* opiniones refellere studuimus: et potissimum *Physiotheismum* et *Helioarchiam*, quasi Populares et vetustissimas Religiones veterum Gen-

tium, ut passim et frequenter plerique, qui haec studia nosse videri volunt, imperite tenent et praedicant. 6. Tandem sexto libro collegimus argumenta, quibus omnes Classicos et Maiores Deos veterum Gentium ex *Triade Proto-Panthei Noachici*, vel ex *Tetracty Archica* omnium veterum Theologorum fuisse sive deformatos sive fractos indicavimus.

11. Haec autem Elementa *Pantheopoeismi systematici* et *Technici* veterum Gentium erant mihi iam constituta ante annos viginti: Ita ut potui per haec *Fundamenta Hermeneutica*, ipsa *Hiero-Agalmata* Deorum veterum, ipsa *Panthea Aegyptia*, *Syra*, *Indica*, *Graeca*, *Scandinava* examinare et disquirere, et *Tentamina Hermeneutica* edere anno 1831. 2. Hinc gravius quid moliti sumus, interpretationem nempe *Hierogrammatum*, et *Hierolemmatum Abraxeorum*, quam eodem anno 1831. unâ edidimus.

3. Tertio loco occursabat animo et oculis *Hierographia Etrusca* varia, multiplex, implexa, et quae ob vetustatem et claritatem Gentis esset diligenter et accurate expendenda. Sciebam quidem et videbam plerosque Interpretes et doctos viros totos esse, ut universam Hierographiam Etruscam plane Graecam ostenderent, et singula Symbola *Etrusca* per Graecam Hierographiam illustrare adlaborarent. Sed aeque videbam et sentiebam ex centum Interpretationibus et Commentariis horum Interpretum plusquam nonaginta esse vel hypotheticos et temerarios, vel falsos et absurdos, et a quacumque veritate alienos, et posse contra nos iure affirmare *Hierographiam Etruscam* ignotam ferme hactenus esse in Sigillis et *Hiero-Agalmatibus*, obscurissimam in *Speculis*, absurdam in *Dramatibus funebribus* Urnarum. Et quis, obsecro, poterit secus et aliter iudicare de *Etrusca Hierographia*, si nulli Etruscorum Libri superstites, si ipsae Sacrae Inscriptiones paucissimae tenuissimae, et ignota adhuc et incomperta Lingua descriptae: si directa et clara testimonia Theologica Graecorum et Latinorum etiam

paucissima et tenuissima? Adeo ut, nisi ipsa *Monumenta* et *Documenta Etrusca* Fundamenta Hermeneutica suppeditent, nisi per *Noachicum* fontem, per *Noachidum* Linguam, et per *Pantheopoeismum Technicum* posterorum *Noachidum* impossibile sit in arcanam *Etruscorum Hierographiam* penetrare et pervenire? Hinc factum ut per huiusmodi *Fundamenta Hermeneutica Pantheum Etruscum* collegerimus, explicaverimus, et ordinaverimus: Et speramus vel per ea quae de *Parodismo Etruscorum* diximus plurimis et gravissimis difficultatibus ivisse obviam, et facile eas sustulisse.

4. Occurrebant tandem et menti et oculis et ferme ubique *Vasa* illa *Picta* et *Dramatographia*, numero, varietate, pulchritudine praestantissima, pars certe potior et insignior universae *Hierographiae* veteris: Et plurima ac gravissima cogebant, ut et de eis aliquid agerem. 1. Primo quia *Vasa* huiusmodi et habita et dicta a plurimis *Etrusca*: et plurima eis inesse similia *Etruscis* Religionibus nemo dubitaverit. 2. Secundo quia pleraque *Vasa picta* educta ex sepulcris *Oscorum* atque *Etruscorum* ad familias Patrum nostrorum *Oscorum* atque *Etruscorum* spectasse certum est. 3. Tertio quia si verum est ab illustri illa cohorte doctorum Archaelogorum, qui ad *Vasa* huiusmodi edenda atque illustranda accesserunt plura *Vasorum Dramata* fuisse docte et scite explicata: aeque verum alia longe plura *Dramata*, et quae characteristica et propria horum *Vasorum* dici possunt, vel hypothetice et temere, vel falso et imperite, vel absurde et absono modo fuisse explicata: 4. Quarto quia si nulla spes interpretationis genuinae et legitimae est in eruditione communi Archaeologorum, si alia superest, ea unice in *Fundamentis* nostris *Hermeneuticis* est quaerenda, nempe in *Noachica Dardani Samothracis* Fonte, et *Noachica Lingua*, et *Noachicis Lexoschematibus* est ponenda. 5. Quinto quia opiniones atque hypotheses de origine, usu, et destinatione horum *Vasorum* a literatis Viris potissimum externis propositae et propugnatae vel leves et futiles, vel

turpes atque abscoenae, et tum pietati dignitati et religioni Maiorum nostrum, tum scientiae et sapientiae veterum Hierographorum calumniosae atque iniuriae. Quamobrem visum mihi Osco et Italo homini per acquiora *Fundamenta Hermeneutica* Scevasticam hanc *Hierographiam* expendere atque examinare, et Maiorum meorum tum Religionem tum prudentiam tueri et vindicare.

12. Et haec *Tentamina* nostra *Hierographica* hactenus anno 1840. proposita, tum ut utiliores methodi *Hermeneuticae* explorarentur in Monumentis praestantissimis; tum ut *Hierographia* Occidentalis et nostra intimo nexu cohaerere et derivare ostenderetur ex Hierographia et Traditionibus Patrum nostrorum Orientalium et Asianorum.

PRAEFATIO ALTERA

IN TENTAMINA ETYMOLOGICA.

1. Si veterum Gentium *Pantheca*, sive Theologica Systemata, superiore Praefatione haud laeti consideravimus; nec laetiores in alterâ hac *Humanas Linguas* considerabimus. Nám plura Fragmenta *Linguarum* veterum manent adhuc in India, in Asia centrali, in Asia minore, in Hispania, etc. vel omnino inexplicata et surda, vel inepte tentata. Et nemo nescit in unâ Italiâ nostrâ quatuor *Linguarum* veterum reliquias: *Oscae* nempe, *Etruscae*, *Eugubinae*, et *Romanae* vetustioris superesse, easque per Homiophonias et corruptiones Latinas Graecasque frustra et incassum tentatas. Tum nulla *Humana Lingua*, prorsus nulla, potest indicari, cuius collecta et condita sit Pragmatica Historia; et cuius certi Fontes, certae formationis et derivationis Methodi, certique Auctores et Conditores sint indicati et demonstrati. Et profecto, ubi tu, Lector, Grammaticos, Lexicographos, et Rhetores ipsius *Linguae Graecae*, omnium Linguarum humanarum illustrissimae atque eruditissimae, eosque tanto numero, ut toto magno volumine sexto Bibliothecae Graecae Fabricianae percensere Harlesius non valuerit; ubi eos, inquam, perlegis, examinas, perlustras attentissime, ingenti plane stupore percellaris, quod non modo plenam, claram, absolutam praeclarissimae Linguae formationem et historiam, sed ne tenuissimam quidem notitiam valeas inde corradere atque extundere: Adeo ut ne unum quidem excitare possis, qui genuinos *Radicum Graecarum* fontes, et inventores atque auctores pulcherrimae *Glossomorphes* tibi indicet et demonstret. Leviora, obscuriora, absurdiora de reliquis omnibus Linguis.

2. Neque ad hanc *Humanarum Linguarum* Pragma-

ticam Historiam sive efformandam, sive inveniendam iuvare nos poterunt *Systemata Glossogonica* hactenus proposita, et prolata. Nam quamvis per plurima capita, ut satius paulo post patebit, laudabilis sit Hypothesis *Glossogonica Semito-Glossistarum*, eorum nempe, qui arbitrantur *Linguam Semiticam* sive eam, quae in Lexicis Hebraicis, Arabicis, Syriacis, etc. continetur, esse *Proto-Glossam* Generis humani, *Linguam Adamiticam* et *Noachicam*, et eam, quae post Babelicam Dispersionem in omnes ferme terras inlata, vi et diversitate Climatum et Regionum, Temporum, et Civilitatis facta sit, *Graeca*, *Latina*, *Gothica*, *Slava*, *Samscritica*, *Turcica*, *Mangiurica*, *Sinensis*, *Japonica*, etc. Haud tamen ita ut profertur ac proponitur probari potest et recipi. Nam ex una parte quoad originem, ac vetustatem suam, nemo quem sciam Philologicis id et Glossosophicis argumentis demonstrare, sed plurimi piis tantum ac religiosis Traditionibus suadere studuerunt; Quas multi recipere et probare obstinatissime detrectarunt. Notumque est plures doctissimos viros, inter quos numerantur Hugo Grotius, Johannes Clericus, Daniel Huetius, *Linguam Semiticam*, et singillatim *Hebraicam*, ut rudem, inopem, ambiguam, amphibologicam, imperfectam, cacomorphami vel contemsisse, vel parvi fecisse. Quin extiterunt plures sive ex his, sive alii, qui aperte et praefracte *Proto-Glossam* Adami Mosaici nec Hebraicam, nec quamcumque aliam Semiticam habuerunt, et de nescio qua versione *Linguae* Adamiticae a Mose Hebraeo peracta confidentissime sunt loquuti. Et ex alia parte etsi plane verum atque historicum esset ex Lingua Hebraica, Syra, Arabica etc. per naturalem vim Climatum et Regionum, per ordinarium cursum Civilitatis, et per diversarum Professionum naturam ortam esse Linguam Graecam, Latinam, Celticam, Cantabram, Gothicam, Copticam, Mogollam, etc; Quum id nulla intima ratione, nullo argumentorum apparatu possis demonstrare nil omnino effecisti, et similis es Olitori,

qui clamet ex *Brassicis* factas *Rapas*. Quin nos iamdiu loco suo animadvertimus, nec huiusmodi Linguarum conversionem ex ordinario et spontaneo Rerum Humanarum Cursu factam: nec fieri umquam potuisse per quamcumque conversionem Civilitatis humanae, et per ordinarias et sociales vires animi humani. Adeo ut nisi accesserit meditatio profunda Virorum doctorum, nisi adiecta fuerit conspiratio pertinax Sacerdotum atque eruditorum, numquam Lingua Semitica potuit transformari in Linguam Graecam, vel Sinicam.

3. Isto autem Systemate Glossogonico *Semitoglossistarum* longe ineptius atque infoecundius est Systema *Babelistarum*, sive eorum, qui praedicant et tenent plusquam septuaginta Linguas heterophonas, atque heterorizicas in *Babelica* clade ortas et infusas fuisse, et qui adeo tenere debent Linguam *Copticam*, *Syram*, *Armenam*, *Persicam*, *Samscriticam*, *Sinicam*, *Japonicam*, *Slavam*, *Gothicam*, *Latinam*, *Graecam* etc. saltem ex magna parte, et per elementa characteristica et idiothnica ibi fuisse prodigio inditas et ortas. Nam finge, lector, ita revera factum, itane tandem aliquid ex revera lucratus? Imo omnem Pragmaticam *Historiam Linguarum* humanarum funditus amisisti: Dissociasti penitus omnes Patriarchas Antediluvianos a Post-Diluvionis: Abrupisti nexum et relationem sive omnium sive fere omnium *Linguarum* veterum, dissociasti penitus Gentes, impossibilis facta Tibi est *Scientia Etymologica* etiam Hypothetica: Abrupta miserrime in Instituto praestantissimo Historia Generis humani. Et si tu putas *Babelicam* et radicalem Heteroglossiam Sacris testimoniis probari funditus erras, quod et loco suo monuimus *Adp. ad Tent. Etrusc.* pag. 293. 294. et viri plurimi longe praestantissimi iamdin ex profunda analysi tenuerunt: Ut Isaacus et Mericus Casauboni, Samuel Bochartus, Joannes Leusdenius, Joannes Clericus, Otho Sperlingius, Henricus Heideggerus, Servandus Gallaeus, Campegius Vitringa, Ha-

drianus Relandus, Salomon Deylingius, et ex nostris Ludovicus Thomassinus in *Methode d'etudier les Langues*. T. I. Januarius Sistius cum paucissimis magnis Grammaticis comparandus in *Tratt. delle Gutturali* pag. XXI. XXII. 232-375. Paulus Ogerius in *Graeca et Latina Lingua Hebraiz.* Et si maximus Catholicae Ecclesiae Doctor Hieronymus, et post eum cohors innumera Virorum doctissimorum constantissime clamarunt: *Hebraicam linguam omnium linguarum matricem* habendam esse: quo pacto fieri potuit ut plurimae Linguae Heterorizicae et Heteromorphae in Babelica clade miraculo ortae putari possent?

4. Neque spes laetior nobis arridet, si confugimus ad Systema *Glossogonicum* eorum, qui uni haberi et dici volunt Philosophi, eorum, inquam, qui *humanas linguas* a Brutis et mutis Hominibus factas et conditas volunt; ab Hominibus scilicet per nescio quas Tellurieas Catastrophes disiectis et dissipatis, et adeo brutificatis. Nam omnium primum finge, Lector, Sinenses mutos et brutos in sua Regione, Indos in sua, Mogollos in sua, Syros in sua, etc. etc. itane tandem per ululatus quosdam et fremitus horum brutorum historiam Pragmaticam Linguarum istarum Gentium obtinemus? Quin oro te, Lector, collige, excute, examina libros omnes horum sophorum Rousseavii, Levesquii, Condillaci, Maupertuisii, Vici, Pagani, Soavii, Smithi, Barneti-Monboddi, Murray, Sulzeri, Herderi, et aliorum similium plurimorum, et vel primas lineas Historiae pragmaticae rationales *Linguae Graecae* vel *Latinae* nobis adnota et aperi. Quin si ingenuus es stupens potius fateberis omnes hos Sophos haud omnes novisse fontes et derivationes genuinas *Linguarum humanarum*: et ita temere et leviter de eis egisse, ut ne ipsius quidem *Linguae Bruticae* et *Physiophonicae* elementa et fundamenta sincera collegerint et tradiderint: Non amplitudinem et limites *Lexici Paedophonici*, et *Pathophonici*, non *Zoophonici*, non *Cineseophonici*, non *Nepiophonici*, et *Sematophonici*: Quae nos

loco suo adtigimus et indicavimus : *Adp. ad Tent. Etrusc.* pag.254-256, aperuerint et constituerint. Quamobrem iure paullo supra affirmabamus, nullum extare hactenus *Systema Glossogonicum* rationale et probatum.

5. At si *Hypotheses Glossogonicae Babelistarum*, et *Brutistarum* falsae, infoecundae, ineptae, sunt prorsus reiiciendae: nemo esse poterit ita ab his Studiis alienus, qui facile non sentiat, *Hypothesim Glossogonicam Semitoglossistarum* iam indicatam, si ex anteriore parte possit ea ostendi Philologice certa, et ex alterâ parte foecunda et prolifica, fieri statim *Fontem Glossogonicum* Generis humani, Systema inaextimabilis utilitatis et commodi, et Fundamentum praestantissimum *Historiae Pragmaticae Linguarum* humanarum. Nam nemo potest ignorare Populos *Semitoglossos* historice vetustissimos Asiam omnem Mesopotamicam et ferme centralem semper habuisse et occupasse: Tum per imperia et arma, per Codices Religiosos et Sacra Systemata, per commercia et navigationes, per transmigrationes et Colonias omnes terras attigisse : et adeo longe facillimum extitisse sive inferre, sive instaurare, sive augere ubique *Linguam Patriam*. Atqui hoc ipsum *Systema Glossogonicum* exornandum mihi atque demonstrandum longo et prolixo Opere, cuius tenuem Epitomen edidi *Adp. ad Tent. Herm. Etrusc.* p.252-315. pluribus ab hinc annis adsumsi.

6. Et omnium primo animadvertendum arbitror, quod pia et religiosa persuasio, eaque obstinatissima, saepius hyperbolica, superstitiosa, et ex parte fabulosa omnium Hebraeorum, Arabum, et Syrorum, quin aliarum plurium veterum Gentium, de *Lingua* sua Coelesti atque adeodata, etsi haberi per se non possit ut argumentum Philologicum apodicticum et absolute demonstrativum : apud omnes tamen, qui in ipsis foedissimis atque absurdissimis Mythis certas sincerarum Veritatum Scintillas contineri propugnant, ingentis semper ponderis et gravissimi momenti habebitur et servabitur. Quin hic aperte profiteor eos omnes, qui Mosaicum Pentateuchum recipiunt et probant non tan-

tum audacissime, sed imperite etiam atque inepte vel scio quam versionem atque interpretationem *Proto-Glossae Adamiticae* a Sancto Mose peractam fingunt et mentiuntur. Nam *Nomina Personalia* in *Genesseos* libro adducta non sunt *Radices* purae et simplices Hebraicae, sed *Nomina* ex *Radicibus* Hebraicis scite et Systematice factae, et quae possunt quidem solvi atque explicari, non autem proprie verti, et in vocabula Linguae diversae traduci. Tum si Animalium brutorum *Nomina* ab Adamo imposita *ipsa* et eadem esse Sanctus Historicus affirmat: utique ea esse *ipsa* cum Hebraicis debuerunt vel *sono* et voce; vel potestate; vel ex utroque capite, non tantum ex obiecto, quod ineptum fuisset adnotare. Atqui si *ipsa* sono, ergo *ipsa* Hebraica; si potestate et vi, *ipsa* Hebraica; si utroque ex capite, duplici ex capite *ipsa* Hebraica.

7. Hoc autem Traditionali et gravissimo argumento nobis adnotato, accedamus ad Philologica atque intrinseca; ad characteres scilicet et criteria propria *Linguae Semiticae*: Scilicet quod ea sit *Radicalis*, *Consonantica*, *Gutturalis*, saepissime *Triliteralis*, *Temporisa*, *Musica*, *Alphabetogenita*, et *Alphabetogenica*: Quos characteres, evidentes, et sensibiles, quomodo doctissimi Apologistae *Linguae Semiticae* in eius contemtores et Detractores adhuc quod sciam non examinaverint et obiecerint capere animo non valui. Nam non tantum difficile et arduum, sed prorsus impossibile *Linguam* huiusmodi condi a Brutis et Mutis Hominibus: sed uni Viri sollertissimi et doctissimi concipere animo et condere potuerunt. Nec potes obiicere: Homines quidem sollertes invenisse, sero tandem et post plurima saecula, et per eos traditam pluribus Humanis Tribubus. Nam et hoc non modo est Historiae falsum, sed et Physice impossibile. Nam Collegia ista Hominum doctorum, quum Linguâ *Physiophonicâ*, vel *Sematophonicâ* uti necessario debuissent: physice impossibile eis fuisset sonare et efferre *Linguam Gutturalem* et *Consonanticam*: et plusquam impossibile, si dici posset, innumeris prorsus Tribubus *Linguam*

huiusmodi tradere et communicare. Quamobrem consideratis istis characteribus *Linguae Semiticae* unus plane unus *Adam Mosaicus*, quem Graeci in Hermetem, Latini in Mercurium Atlanticum, Aegyptii in Thothum transformarunt, idem mutus et sollers, idem Linguae carens et ingeniosus potuit huius mirae *Linguae* fundamenta ponere, et Filiis suis methodum tradere, qua eam augerent et perfecerent.

8. Sed potiora adhuc et graviora accedunt monumenta. Nam quum egomet adolescens praecipuas *Litteras* Oris Humani attente considerassem, quamdam vim et potestatem significandi indicandi exprimendi sive ideas Mentis, sive facta, sive adfectus et passiones Animi nostri, quam *potestatem literarum* appellavi *Grammatodynamin*, certo sensi et clare animadverti. Tum labore prolixo exquisivi, quid de ista *Grammatodynami* senserint et cogitaverint tum veteres, tum recentiores sive Philosophi, sive Grammatici; et mirifice mihi placuit colligere atque animadvertere tum vetustissimos Heracliteos, cum Platonis Cratylo, tum Platonicos plures, Stoicos, et Neoplatonicos praestantissimos; tum recentiores Philosophos hanc intimam et naturalem vim et *potestatem Literarum* Oris humani et sensisse et praedicasse. Quin ex omnibus Grammaticis, Lexicographis, et Rhetoribus sive veteribus sive recentibus neminem novi, qui ubi data occasio esset, istam *Grammatodynamin* non indicasset. Et praestat sane hic referre, quae de hac vi doctissimus Italus Melchior Caesarettus in suo *Saggio sulla Filosofia delle Lingue* pag. 21-22. edit. quintae 1802. ex vetustiore Disputatione Latini Latine recitabat: *Nimirum inter Litteras et certas Rerum proprietates, eas praecipue quae ad auditum ratione aliqua referuntur arcanam Analogiam Naturae statuit, quam sagax animus arriperet, eoque ductus ad Res ipsas exprimendas quam proxime accederet. Enim vero cum Litterae in pronunciando aliae acere explodantur, aliae elabuntur atque effluunt, nonnullae abundantur ergaito, nonnullae vehementius impingunt, quaedam se ceteris facile adglomerant, re-*

luctantur quae:lam, cum sibilat haec, illa frendit, altera glocitat, nonne propemodum clamitant esse se certissimas Notas Analogis Corporum proprietatibus exprimendis ab ipsa Natura constitutas ?» At ex alia parte aeque fateri cogor neque apud Veteres, neque apud Recentiores, quantum scire potui, extitisse aliquem, qui plene et prolixe, clare et distincte, recte et accurate de ista *Grammatodynami* egerit et disseruerit, nec istum quem modo laudavi Caesarottum, nec Praesidem de Brosses, nec Curtium Gebelinum nobili fama claros et insignes, nec Fabrum d'Olivet, nec Alexandrum Murrayum, nec alium quemcumque: Quod ingenti mihi fuit aegritudini, tum quia *Canon Grammatodynamicus* numquam poterit ita appellari, nisi accesserit consensus unanimis et rationalis plurimorum Virorum doctorum: Tum quia plerique a condendo vel probando hoc *Canone* absterreri poterant, quasi a profundissima, difficillima, et fere insuperabili difficultate arcerentur. Quod falsum. Nam nos loco suo *Adpend. citat.* p. 254. rationes et methodos indicavimus nec difficillimas nec abstrusissimas: Et si in eo condendo tenuis fuit adhuc profectus, non ex summa rei difficultate ortum, sed quia omnes *Scientiae Anthropologicae*, inter quas *Glossosophia* et *Glossogonia* est, paucissimos et rarissimos cultores nanciscuntur: Quum nudi et puri Grammatici has disquisitiones vel negligant vel ignorent; et ii qui dicuntur Philosophi et Metaphysici toti in nescio quibus Noologicis abstractionibus immersi et distracti has vel non attingunt, vel levissime. Ita ut si in omnibus illustribus Academiis Europaeis esset Schola solemnis *Glossosophica*, vix dubito, quin post paucos annos *Canon Grammatodynamicus* sincerus et genuinus conderetur et probaretur. Quamobrem quum scirem et sentirem nil posse perfici atque absolvi nisi quis incipiat, et iaciat vel colligat Fundamenta; ideo *Canonem* nostrum *Grammatodynamicum*, sive *Specimen Thesauri Alphabetici Grammatodynamici* prolixa curâ collegimus, atque hic edidimus p. 285-294. Unumque de eo Lectores enixe

rogo; ne velint, ut cetera nostra fere omnia, vel negligere vel contemnere, et ita elementum *Glossosophiae* praestantissimum summo cum damno reiicere: Sed potius per Methodos iam propositas, vel per alias, si sunt, examinent, excutiant, augeant, emendent, perficiant.

9. Hoc autem *Canone* condito, quaesivi quinam essent characteres et quae criteria sensibilia atque evidentia *Linguae Grammatodynamicae*: et comperi praecipua esse haec: Scilicet quod *Lingua* huiusmodi esset facta per 1. *Alphabetum* 24. circiter Litterarum: Nam tot sunt verae literae clarae, sensibiles, *Grammatodynamicae*. 2. Secundo quod esset *Gutturalis*; scilicet quod adhiberet adspirationes vehementes Gutturis: *ha-hhee-hhuo*. Nam hae sunt insignis potestatis: quum contra vocales Palatinae, ut ut clarae, vi et potestate haud insigni gaudent. 3. Tertio quod esset *Consonantica*: Nam potestas designandi, describendi, exprimendi in una *Consona*, vel Vocali *adspirata* et *Gutturali* esse potest. 4. Quarto quod saepissime esset *Triliteralis*: Tum quia plurima obiecta Mundi et Ideae mentis nostrae satis clarae per *tres* characteres et notas significantur: Tum quia longa experientia comperi difficillimum saepe esse *quartum* characterem exprimere et figere: Tum quia eo invento Vocabulum evaderet nimis particulare, et quasi individuum: Ita ut ubi huiusmodi Vocabula essent plurima *Radices* Linguae fierent eo numero, quo memoria ordinaria Hominum opprimeretur, nec esset satis: Tum quia si ultra *tres* Consonas, aliae *Radicales literae* adderentur, adiectis Literis, vel Syllabis *Glossomorphicis* et Grammaticis, haberentur *Vocabula* illa valde prolixa, incommoda, et quae Latini dicebant *sesquipedalia*. 5. Quinto esset *Temurica* sive facta per Vocabula diversissima orta ex una transpositione literarum ut PRS, RSP, SPR etc. etc.

10. Hinc quaesivi an *Lingua* aliqua *Grammatodynamica* in Genere humano extiterit umquam, vel extaret adhuc: Et primum facile novi nec Sinicam Linguam,

nec Japonicam, nec Mangiuricam, nec Mogollam, nec Samscriticam, nec Persicas quascumque, nec Slavam, nec Gothicam, nec Copticam, nec Latinam, nec Graecam haberi posse *Grammatodynamicas*: Sed in una, plane una, prorsus una *Lingua Semitica* characteres omnes requisitos inveniri atque inesse animadverti: Et quum per *Canonem* nostrum *Grammatodynamicum* iam indicatum *Vocabula* pleraque huius *Linguae* diligenter examinassem atque excussissem eam intime *Grammatodynamicam* esse probavi. Ea tamen differentia, quod Vocabula Idioethnica Arabica, Chaldaica, Syra obscuriorem difficiliorem abstrusiorem Potestatem saepius proderent: et Vocabula Idiodynamica Hebraicis comparata fere semper Potestatem Ideographicam minus evidentem et claram ostenderent: Ubi contra *Vocabula Hebraica* constantissime claram, certam, definitam potestatem Ideographicam mihi referrent. Ex quo factum est, ut *Specimen* nostrum *Linguae Grammatodynamicae* et hic editum p. 294 341. ex una Hebraica esset desumtum. In quo *Specimine* velim Lectorem non oblivisci: 1. Significationes Vocabulorum omnes prorsus omnes ex probatissimis Interpretibus et Lexicographis adsumtas; Buxtorphio, Schindlero, Castello etc. etc. 2. *Grammatodynamin* Vocabulorum constantissime et perpetuo respondere *Canoni* nostro edito hic p. 283-294. 3. Vocabula ordine alphabetico sibi succedere, nec esse malignè selecta, reiectis difficilioribus; sed esse partem aliquotam universi Lexici Alphabetici, quod quisque potest facile absolvere. 4. Tum velim diligenter a Lectoribus adnotari per Vocum Hebraicarum *Grammatodynamin* aliud praestantissimum Elementum *Biblicae Hermeneutices* inveniri et statui, per quod plures et gravissimae quaestiones possunt solvi. Et nemo nescit iam ab instaurativo Saeculo XVI. Hebraicae Philologiae studiis plures viros longe doctissimos usque ad Saeculum hoc nostrum gravissime et frustra incubuisse, ut causas ambiguitatis et *Polydynamis* plerorumque Vocabulorum Hebraicorum solverent atque intelligerent: Quid intentum atque intentatum reliquerunt Avenarius,

Hottingerus, Gossetus, Neumannus, Maius, Coccejus, Simonius, Schultensius, Faber d'Olivet ut nodum hunc solverent? Sed frustra. Nam huius *Polydynamis* fons et caussa est ipsa originalis *Polydynamis Literarum* oris nostri: ut aperte ex pluribus exemplis a nobis in *Specimine* adlatis potest quisque deprehendere et nosse.

11. *Lingua* hac *Grammatodynamica* inventa et demonstrata, facile et necessario sensi, quod et superius indicatum est, primum Auctorem huius Linguae scitissima sollertia, et profundissima sagacitate conditam non Hominem Epicuri et Horatii, nec Hominem fictitium et absurdum Praesidis de Brosses, et Curtii Gebelinii, qui Hominem sollertem et ingeniosum a nescio qua *Natura* profectum et eductum ponunt; sed omnino et unice *Adamum Mosaicum*, et si vis Rabbinorum, Arabum, et Syrorum debita ratione definitum: nec eam per aliam viam, nisi per *Noachidas* Mosaicos ad nos usque pervenisse. Et hoc pacto, Lector, *Hypothesis Glossogonica Semitoglossistarum* ex anteriore parte, quantum in me erat, firmata fuit et demonstrata.

12. At quo, inquies, pacto et quibus momentis ostendes hanc ipsam *Linguam* esse revera *Glossogonicam*, foecundam, et prolificam? Quomodo ostendes ex una hac sive *Semitica* sive *Noachica Lingua* non 300 tantum vel 400 nescio quae Homiophona Vocabula colligi, sed 2000 fere *Radices* fundamentales in singulis illustribus *Linguis* clare et genuine derivari et deduci? Pluribus, inquam, rationibus et momentis, quae sunt iam indicata in *Adp. cit.* ad *Tent. Herm. Etrus.* p. 268-284. et 295-300. et quae hic prolixa oratione persequi inopportunum: Et profecto si 1. *Lingua Noachica* profunda quidem *Grammatodynami* insignis, sed fere per omnia *Amorpha*, ut Lingua literata Sinensium, per plurima et invicta argumenta habenda est. 2. Si *Lingua* huiusmodi ab omnibus Ascetis, Sapientibus, Divinis, Sacerdotibus servari et custodiri acerrima cura debuit. 3. Si *Lingua* huiusmodi non apta est ad scribendos Libros didacticos, et ad Posteros vel

remotos mittendos. 4. Si *Lingua* haec in ore Plebis et Populi in plurimas Terrae oras dissipati debuit gravissime corrumpi. 5. Si facta necessitate Librorum condendorum hi Libri nec in Populari corrupta, amorpha, absurda *Lingua*, nec in Sacra et *Noachica* scribi et componi potuerunt. 6. Si *Lingua* illa *Noachica* 2000. vel 3000. Radicum per adpositionem superpositionem, compositionem *Radicum*, per Temuras, per Hetero-Etymismum, per Paragogen, Epenthesin, Prothesin, per Aphoeresin, per Alphabeti inversionem sive exallattismum Literarum, ad summam per *Lexeotropismum* Technicum, et *Glossopoeismum* systematicum potest non in 10. vel 15. quot fere sunt *Linguae* Veteres illustriores, sed in Centurias et Chiliades Linguarum heterophonarum atque heteromorpharum facili ratione transformari et transmutari. 7. Data utique necessitate vel opportunitate Librorum, vel Hymnorum Sacrorum condendorum, Collegia Sacerdotalia selecta Dialecto Gentis minus absurda et corrupta, ex Radicibus *Linguae* suae Sacrae, vel quandoque ex Lingua Physiophonica et Paedophonica plurimas centurias vocum novarum et prorsus heterophonarum addiderunt feceruntque Linguas pleromorphas: Cujus *Lexeotropismi* et *Glossopoeismi Technici* et Systematici *Specimina* edidimus *Adp.* ad *Tentamen Oscum* et *Eugubinum*, quam vide. Et quoniam loco suo animadvertimus ex una *Lingua Noachica amorpha* vel oligomorpha tum alias innumeras linguas *Physiophtharticas* et corruptas gigni. 2. Tum plures manere *Similares* et *homiophonas*, ut *Etrusca*, *Osca*, *Eugubina* in Italia. 3. Tum fractas et monosyllabicas, ut omnes plerumque Transgangeticae profundissima malignitate Samanaeorum Politicorum conditae. 4. Tum Linguas declinatas, eumorphas, pleromorphas derivari et deduci: palam est foecundissimam nos ostendisse *Linguam Noachicam* vel *Semiticam*, et *Systema* nostrum *Glossogonicum* fecisse omni ex parte probabile.

Scribebam Neapoli Mense Novembri 1840.

TENTAMINUM HIEROGRAPHICORUM
PARS PRIMA: *SIVE*
DE NATURA ATQUE ORIGINE HIEROGRAPHIAE ETRUSCAE
DISQUISITIO.

SECTIO I.

FUNDUS HIEROGRAPHIAE ETRUSCAE HABENDUM EST PANTHEUM CABIRICUM.

CAP. I.

Recensentur characteres et criteria praecipua Panthei Cabirici.

I. *Praecipua et illustrior sedes Panthei Cabirici in Samothracia et vicinis Insulis*:

Quemadmodum constat ex Herodoto *Historiar.* Lib. II. cap. 51. pag. 108. 109. Apollonio Rhodio *Argonaut.* I. *v.* 917. 918. et eius doctissimo *Scholiaste*, ex Diodoro Siculo *Bibl. Libr. V.* cap. 47. 48. pag. 368. 369. Strabone *Libr.* X. pag. 466. 467. Varrone Lib. IV. de L. L. pag. 17., et Libr. VI. pag. 67. aliisque pluribus. Diximus *praecipua* et *illustrior*, quia a pluribus aliis sive Populis sive Civitatibus adoptatum et receptum fuit *Pantheum* huiusmodi *Cabiricum*: et in *Italia* quidem praeter *Etruscos*, de quibus dicere adgredimur, receptum fuit a *Romanis*, et universo genere *Dardanio-Arcadico*: in Graecia a *Laconibus*, *Boeotis*, etc.: in *Macedonia* a Thessalonicensibus: in Minori Asia a Phrygibus, Pergamenis, etc. in Palaestina a *Phoenicibus*: in Aegypto a *Memphitis*, et *Canopitis*: in Africa propria a *Poenis*; et ita porro: ut ex veterum testimoniis et monumentis iam collegerunt Bochartus in *Chanaan* Libr. I. cap. 12. pag. 398. 400. Guthberletus de *Cabiris* in *Thes. Poleni* Tom. II. pag. 847. etc. Astorius in eodem *Thes.* Pag. 883. 884. pluresque alii de *Diis Cabiris* agentes.

II. *Ogdoas Cabirica; sive Octonarius numerus Deorum Magnorum et classicorum Panthei Cabirici*:

Quod iam opportune animadverterunt Jablonskius in *Prolegom. ad Panth. Aegypt.* pag. LIX. LX. etc. Mignotus, in *Act. Academ. Inscript.* Tom. XXXVII. Creuzerus, et Guigniaut in *Relig. del' Antiquité* Tom. II. Part. I. Libr. V. Pag. 283. 288. Aliique: Et profecto si *Vulcano* Propatori et *Cabirae* Matri plures et vetustissimi Mythologi apud Strabonem Lib. X. pag. 472, et Scholiasten Apollonii Rhodii *Argon.* Lib. I. v. 1129. 1130. *tres Cabires* mares, et adeo *tres Cabirides* foeminas tribuunt, utique patet Cabiricum Pantheum *octo* magnis *Typis* divinis constitisse: Et si verum est *Cabiros* plane *gemellos* plane pares, Dioscuros saepius *duos* et *geminos* a Veteribus traditos, aeque verum et saepe *trigeminos* factos, et prorsus iure, ut ex pluribus testimoniis Veterum iam accurate a Raph. Fabretto *de Columna Traiana* Pag. 74. 78. collectis patet. Tum ego arbitror Threicium *Samon* dictam a שמין SMIN, *samin*, *octo*: Consecrationem *octonarii* Numeri *Vulcano* factam, ut tradit Mart. Capella Libr. VII. Pag. 242., eiusque absolutam *Plenitudinem*, de qua agit Macrobius *in Somn. Scipion.* Libr. I. cap. 5. pag. 16. 17. ob *Cabiricum Octonarium*: Tum celeberrimum in Graecia Proverbium παντα οκτω, de quo Suidas, Zenobius, aliique apud Meursium in *Denar. Pythagor.* in Thes. Gronov. Tom. IX. pag. 1387. ad 1390. ex eodem *Cabirismo* fluxisse: Nec aliunde ortum suum duxit adfectata illa et pertinax *Ogdoas Aeonum*, quam praedicarunt secundo et tertio Saeculo *Gnosticorum* Scholae, de qua Buddeus, Beausobrius, Moshemius, Matterus, etc. egerunt abunde.

III. *Gemellismus Didymismus Chebirismus Deorum in Pantheo Cabirico.*

In hoc scilicet *Pantheo* sunt *duo* vel *tres Dii*, *duae* vel *tres Deae*, qui non modo συγγαιοι, συνθρονοι, συνθωμοι habentur, sed intime adsociati, *adhaerentes*, prorsus *coniuncti*. Similes non nativitate tantum atque

origine, sed etiam vita et factis. Deos mares Graeci saepe dixerunt Ανακες, vel Διοσκουρους, Romani, ut dicemus etiam paullo post, *Penates*, vel *Lares*: Foeminas vero *Fortunas*. Documenta et Monumenta aliquot *Dioscurorum* inveniuntur apud Montfaucon *Antiq. Expl. Suppl.* Tom. I. Pag. 188. 190. apud Baudelot *Util. des Voyag.* II. Pag. 236. 237. in *Act. Acad. Inscript.*. Tom. I. *Hist.* pag. 293. 294. *Fortunarum* vero exhibent Nummi Gentis *Rustriae* Romanae; *Smyrnaeorum* in Asia, et aliorum. Haec autem Deorum *intima coniunctio* ipso solemni vocabulo exprimitur. Nam Dii *Cabiri* non sunt tantum כביר CBIRI, sed etiam חביר CHBIRI: nempe CHABIRI et CHEBIRI *Socii*, *coniuncti*, *adhaerentes* intime.

IV. *Penaticismus*, *Laricismus*, *Domesticismus Deorum Cabiricorum.*

Penates et *Lares divinos* Romanorum ex *Pantheo Cabirico* factos ex certis testimoniis Ciceronis, Virgilii, Dionysii Halicar., Hygini, Arnobii, Servii, Macrobii, et aliorum plurimorum iamdiu collegerunt Gyraldus *Synt.* XV. Pag. 422. 423. Vossius *de Idol.* I. cap. 12. Pag. 34. Pitiscus in *Lexico*. Baudelotus *Util. des voyag.* Tom. II. Pag. 202. 204. Heynius *Excursu* IX. ad Libr. *II. Aen.* p. 246. 248. atqui *Penates* et *Lares* natura et essentia sua sunt *Domestici*, et κατοικιδιοι, ut appellabant Graeci. Documenta obvia, plura apud Auctores citatos, et Alex. Pelliccia *de Eccles. Disciplin.* Tom. III. Part. I. Dissert. III. Pag. 121. 130. etc.

V. *Nautophylacismus Dioscurorum Cabiricorum.*

Ut ex innumeris Veterum Testimoniis constat, quorum plura collegerunt Guthberletus, et Astorius de *Diis Cabiris*. Montfaucon *oper. cit.* Sainte-Croix et Sacy *des Mysteres du Pagan.* I. pag. 44. 46. etc.

VI. *Quebirismus*, *sive Necrophylacismus Deorum Cabirorum.*

Specialissima nempe cura Deorum *Cabiricorum*, ut Piorum defunctorum *Animae* vel placidissime quiesce-

rent, vel felices viverent, vel ipsius suae Domus curam susciperent et tenerent post mortem. Ideoque a קבר QBR *sepulcro loculo funebri* dicti קבירי, QBIRI, KABIRI: ut praeclara eruditione data opera demonstravit Relandus in *Diss. de Cabiris* in Thesaur. Poleni IV. pag. 335. Et profecto si ex Platone, Polybio, Diodoro, Plutarcho certum est plures Gentes, easque vetustissimas *mortuos* suos domi sepeliisse, unde verissime scribebat Servius ad *Aen. VI.* v. 152.: *Apud maiores, ut supra* v. 64. *diximus, omnes in suis Domibus sepeliebantur; unde ortum est ut Lares colerentur in Domibus, unde etiam umbras Larvas vocamus* etc. Quis dubitaverit quin *Ogdoas* Cabirica, quae ad *Focum* et vivum Symbolum Propatoris sui *Vulcani* colebatur humanorum *Manium* curam non adsumsisset specialissimam?

VII. *Pataicismus*, *Arsenothelysmus*, *Demiurgismus Panthei Cabirici.*

Quos characteres iam plene demonstrarunt Iablonskius in *Panth. Aegypt.* agens de *Phta*, de *Hercule Gigone*, de *Ammone*, de *Canopo* etc. Spencerus in *Dissert. de Gammadim* in Thes. Ugulini. Tom. XXIII. pag. 750. 760. Seldenus *de Diis Syris* Synt. II. cap. 16. pag. 279. Creuzerus in suo *Dionyso*: etc. etc. nosque plura in *Pantheo* ipso *Etrusco* Sect. I. et II. afferemus ad rem.

Cap. II.

Qui habendi et dicendi sunt Dii Panthei Cabirici.

I. *Vulcanus Augustus maximus Princeps et Pater Cabirorum.*

Quod constat omnium veterum Scriptorum auctoritate et testimonio, Strabonis, puta, Libr. X. pag. 472. 473.: Diodori Siculi Libr. V. cap. 47. 48. p. 369. Nonni *Dionys.* Libr. XIV. p. 387. Libr. XXIV. pag. 627. Hesychii in Καβειροι; et aliorum plurimorum. Symbolum Dei *Ignis*, et *Focus*, tum Domus et Familiae, tum *Civitatis* et Gentis, tum potius totius

Mundi, et universitatis Rerum. Nam dubitari non potest, quin *Vulcanus Cabiricus*, sive בעל BOL *dominus* Princeps, Rex, כאנון KANUN *Foci*, *Estiae*, et Εφαιστος non fuerit Cabiristis *Ignis* centralis Mundi, εστια του παντος, *cor* rerum, *Ignis artifex* nempe ille Chaldaeorum, Zoroastricorum, Heracliteorum, et Stoicorum, ex quo omnia, et per quem omnia fuissent condita, et quem profundo vocabulo Pindarus apud Plutarchum de *Sera Numin. vindict.* Tom. II. Oper. Pag. 550; et *Sympos.* I. *Quaest.* 2. Pag. 618. dixit αριστοτεχνην, nec alia potestas Latino Nomini *Mulciberi*: quod fit ex מלך MLK *Mulci*, et בער BOR, BERI, *Ignis* absumtor, *Focus*, et ברא BRA BERI *creans*, creator, conditor, κτιστης. Quin ego arbitror *Demogorgonem* illum centralem et infernum egregie descriptum a Johanne Boccacio initio praeclari operis sui *Mythologici*, ex clarissimis et certis testimoniis Annaei Lucani *Pharsal.* Libr. VI. pag. 224. v. 745. Papinii Statii *Theb.* Lib. IV. v. 515. 516. et VIII. v. 91. 93. Claudii Claudiani *de Rapt. Proserp.* Lib. I. v. 56. 57. et Petronii Arbitri in *Specim. Bell. Civilis.* Cap. 80. pag. 311. respondere ipsi *Vulcano Cabirico* maximo, nec aliunde nisi inde sumtum et adoptatum: Adeoque habitum Spiritum illum igneum centralem, intimum, fundamentalem, qui *infusus* totam agitet molem, et unus proferat et recipiat omnia, *finitor Rerum maximus*, et *sator* Statio auctore: qui *stamina*, *semina*, *et funera cunctis paret*, Claudiano teste: qui una sit מלך-ברא MLK-BRA *Rex conditor*, et מלך-בער MLK-BOR, *Rex vorans*, incendens, absumens; initium et finis rerum, dans et recipiens omnia, *Amentes* Aegyptiis, Serapis Aristidi Rhetori profundo in *Orat.* in *Serapin.* Tom. I. pag. 95. 96.

Quin illud certo tenendum censeo Typum hunc maximum et centralem in Tres Typos fraternos et trigeminos a Graecis Theologis divisum fuisse, et ex uno *Ephaisto Demogorgonico* et Cabirico factum Plutonem *Tartarocratorem*, Neptunum *Geocratorem*, Jovem *Ne-*

phelocratorem. Et quamvis vulgo apud Poëtas Posidaoni Hellenico una fere Thalassocratia adsignetur, certum plane est fuisse Deum Hellenibus intime Terrestrem centralem fundamentalem, Terrae statorem et concussorem, quassatorem, et unum maxime *Vulcano Cabirico* similiorem: nisi quia Hellenico Typo *Aquae*, *Cabirico Ignis* elementum adsignatum.

De hoc autem Vulcano Cabirico pauca Veteres, sive quia fecissent innominatum et prorsus arcanum, ut aperte Statius et Lucanus faciunt, sive quia potestatem tantum vindicem, ultricem, terribilem reservassent. Notior tamen et longe celebrior est in suo *Typo foemineo*, sive uxore, sive filia maxima, de qua mox. Nam Veteres Theologi ex dogmate suo vetustissimo et pertinacissime servato, ut iam monuimus, singulos Typos magnos Theologicos in formam masculam et formam foemineam distinguebant et dividebant, virumque inde Deum, et Deam uxorem effingebant, virili formae sive Typo saepius proprietates et characteres roboris vehementiae actionis asperae: Foeminae generationis, et misericordiae: Vide Senecam Natur. Quaest. Lib. III. cap. 14. pag. 662. Proclum in Tim. pag. 15. et 66. Mart. Capellam de Nupt. Libr. I. pag. 2. S. Augustinum de *Civ. Dei*. Libr. VII. cap. 9. Pag. 101.

II. *Ceres Cabirica Eucarpa et Thesmophora*; *Gaea Pammetor et Oracularis*; *Themis Pancarpa et Fatidica*; *Fortuna Pancarpa*, *Vesta et Stata Mater*, *Axieros*: *Typus secundus divinus Panthei Cabirici*.

Has omnes Deas ex uno eodemque Typo Theologico factas dubitari non potest, quia characteres fundamentales sunt iidem, et tales ut ex uno et eodem fonte fuerint ducendae: Nam sunt omnes unâ sive Eucarpae, sive Pancarpae, tum sive Fatales sive fatidicae sive Oraculares sive Thesmophorae: et ipsius *Gaeae* sive Telluris Oracula ex Aeschylo in *Prometh. vincto* et *init. Eumenid.* clarissima. Ipsam autem Themidem habitam Pancarpam ex filiabus ei traditis *Hô-*

ris eucarpis constat. De *Cerere* autem *Cabirica* plura Scriptores Graeci, et singillatim Pausanias: eamque in *Cabirica Samothracia* dictam Αξιερος Mnaseas apud Scholiasten Apollonii Rhod. Lib. I. v. 917. *Arg.* testatur. Αξιερος autem dici quasi אחזי-ארץ, ACZI-ARTZ: *Possessio mea tellus*, putabat Bochartus in *Chan.* Lib. I. cap. 12. pag. 395. et post eum Pluchius in *Histoir. du Ciel.* Tom. I. pag. 234. aliique plures: At mea sententia infeliciter, tum quia homiophonia non est aequa, tum quia sententia levis, frigida, improbabilis. At si *Ceres Cabirica* facifera est, si Vesta est, si est Typus foemineus *Vulcani ignei*, est omnino אח-שרש ACH-SRS, *focus radix*, focus radicalis, fundamentalis, *focus Statae* Matris, ut profundissima voce appellabant Romani: est אש-רש AS-CRS *Ignis opifex*, *Ignis* artifex, κτιστης, centralis, fixus, *status*: unde in solemni Inscriptione apud Muratorium in *Thes.* I. pag. LIX. 8. legimus: *Vulcano quieto*, *augusto*; *et Statae Matri Augustae*: sacrum.

III. *Tertius Typus divinus Cabiricus Minerva sapiens*, *Uranophila*, *Philanthropa*.

In Ogdoade Cabirica Deam *Minervam* fuisse ex Diis praecipuis *Palladio* Dardani fundatoris, Aeneae Phrygis, Diomedis Dodonaei, et Romanorum demonstratur. Tum accedit testimonium insigne Varronis apud S. Augustinum *de Civit. Dei.* Libr. VII. cap. 28. pag. 109. unde profundissima natura *Minervae Cabiricae* arguitur et colligitur.

IV. *Quartus Typus divinus Cabiricus Mars Coelestis*, *fulminator*, *fatidicus*.

Nam *Mars* ille magnus, quem Poëtae et Mythologi Graeci pertinacissime in *Thracia* locant non potest esse nisi *Mars Samothracius* et *Cabiricus*, nisi Pater Harmoniae Cadmi, nisi maximus *Mars* Romanorum, et pridem Albanorum, et Aeneadum Dardaniorum et Samothracium omnium, ipse Jupiter Dodonaeus, Mars Pelasgorum et Oscorum universorum: et is nec Deus otiosus et fere imbellis, ut Jupiter Hellenum, nec ita

bellorum insatiabilis, ut fingitur a Poëtis Graecis Mars Thracius; sed Deus צבאות TZBAUT, *Deus exercituum*, Deus praeliorum iustorum. Deus Rex et Dux, Rex et Praeliator, ut Mars Romanorum.

V. *Quintus Typus divinus Cabiricus Venus Genitalis, sive Juno Gamelia et Matronalis.*

Nam ex *Venere* et *Marte* genitam in Samothracia *Cabirica Harmoniam Cadmi*, quorum nuptias praeter ceteros prolixe canit Nonnus in Dionys. Libr. III. et IV. Et Mythologi tradunt: Et expressas in *Monumentis* explicat Zoega ne' *Bassi Rilievi* Tom. I. pag. 6. ad 14.

VI. *Sextus Typus divinus Cabiricus Bacchus triplex, Demiurgus, Incarnatus, Elysius et futurus.*

Nam apud doctissimum Scholiasten Apollonii *Rhodii* I. *Arg.* v. 917. ex duobus Dioscuris vetustior Jupiter, sive *Mars*, recentior *Dionysus*, sive *Bacchus* affirmatur. Tum Bacchus tertius, qui in vulgatis Ciceronis *Libris de Nat. Deor.* III. cap.23. pag.208. dicitur *Caprio* Patre natus, cuique *Sabazia* sunt instituta, ut viri doctissimi iamdiu monuerunt, non potest esse nisi *Cabirus*. Et si egomet numquam affirmarem omnia et singula facta, quae de *Baccho Zagraeo*, et *Sabasio*, deque *Cabirica* morte, Pöetae et Mythologi Graeci tradiderunt in vetustissimis Mysteriis Samothraciis acta et peracta, elementum tamen essentiale horum Mysteriorum *Bacchum* hunc *Cabiricum* teneo, et ipsum esse, quem sub Αδου nomine, appellari Αξιοκερσον a Sacerdotibus Samothraciis Maaseas apud Scholiasten Apollonii Rhodii *loc. cit.* affirmat. Nomen factum ab אחזי-קרץ ACHZI-QRTZ Bochartus *in Chan.* I. cap. 12. pag. 399. putavit, plurimique deinceps Etymon hoc probarunt: quasi Pluto et Ades esset: *Possessio mea excisio, exitium, mors:* At קרץ QRTZ Semitoglossorum semper violentam quamdam et asperam *lacerationem*, et *excisionem* significat; et numquam Plutoni sive Graeco sive Latino ingenium vel officium unice et pure maleficum et atrox traditum a

Mythologis vel Theologis. Et si hic *Ades* et *Pluto* est ipse maximus *Demogorgon*, quod falsum, erit una *assumtor* et *genitor*, *dator* et *receptor*, destructor et creator. Quamobrem ego longe satius istud קרץ, QRTZ *Cabirico Baccho exciso*, *lacerato*, reiecto tribuerem: cui totum etymon Bocharti potest commode convenire. Quin το Αξιο respondere puto יצא עץ ITZA, vel in alia dialecto forte אצי ATZI *filio*, *foetui*, κουρῳ, *libero*. Nam *Bacchus* iste per excellentiam *liber* et *filius* dictus, et eius Gemella, ut dicemus mox, *Libera* et Κορη.

VII. *Septimus Typus Theologicus Panthei Cabirici Proserpina Cereris Filia.*

Quam laudatus Mnaseas dici a Samothraciis Αξιοκερσαν affirmat. Bochartus loc. cit. idem Etymon קרץ-אחזי, ACHZI-QRTZ etiam Περσεφονη sive *Proserpinae* attribuit, et aeque perperam. Nam nec Proserpinae *possessio* et *dominium* fuit *excisionis* et excidii hominum, nec natura atrox Puellae vel ingenium; quidquid sit de Capillo sive crine morientium a Proserpina evellendo, quia et *Seminifera Proserpina*, et *Psychophylax*. Quamobrem nos putamus Gemellam *Bacchi Samothracis*, et *Liberi Patris*, et *Eleusinii* Pueri esse יצא ITZA, אצי, ATZI, AXIO, *filiam*, Κορην, *Liberam*, *Puellam*, קרץ QRTZ, *divisam*, *separatam*, *eiectam* ex Olympo, et *Coelo exsulem*, ad quod regredi tendit, et optat, et conatur. Eius autem Mysteria arcanissima in ipso Antro Zerinthio, quo deinceps *Hecataea* celebrata, et peracta fuisse Auctore Nonno doctissimo *Dionisiac.* XIV. pag. 375. v. 402. 403. aliisque nonnullis certum est.

VIII. *Octavus Typus Theologicus Panthei Cabirici est Mercurius Ministrator, est Hermes Chthonius, nominibus propriis Samothraciis Cadmilus, Casmilus, Camillus.*

Ut ex plurimis Veterum Scriptorum testimoniis constat, quae iam occuparunt Bochartus in *Chanaan* pag. 395. 397. Guthberletus de *Cabiris* pag. 849.

850. aliique. Bochartus ex tribus illis Nominibus unum nempe *Cadmilum* genuinum putavit, etymon rectissime ducens ab Arabico חדם, CDM *ministrare*, *administrare*, *servire*, qua revera potestate vocabulum CADMILI sumsisse veteres Scriptores certum est: adeo ut videri posset, nomen *Casmilli*, quod habet Dionysiodorus apud Scholiasten Apollonii, et Varro de L. L. Libr. VI. pag. 72. et quasi adhibitum in ipsis Mysteriis Samothraciis, ut et vulgatius *Camilli* esse corruptiones meras nominis illius *Cadmili*: Quod ego numquam dicerem, vel tenerem. Nam Arabibus Radix חמל CML plenius CAMILLO, significat *afferre*, *portare*, *adportare*, quod *ministri* et *famuli* est: Radix כמל KML iterum CAMILLO est *perficere*, *efficere*, absolvere, quod administri et *famuli* est. Et si *Mercurius* est saepissime κριοφορος, vere et proprie *gestans Arietem*, omnino ipse est חמל CML *Camillus*, חמל CML *gestans portans*, חמל CML *Arietem*, quia iisdem Arabibus, חמל CML *Camillus* est *Aries*, κριος. Tum *Casmilus* est קסמ-אל QSM-AL; AL, אל *Deus*, *Numen*; קסם QSM *vates*, *propheta*, divinus: et notum etiam *Mercurium* fuisse *Oracularem*, et habitum *Vatem*, etiam in Italia; de quo Virgilius VII. Aen. v. 81. 82. et in Syria ac Palaestina dictum *Nabo*, *Nebo*, certe a נביא NBIA *Propheta*. V. Selden. de *Diis Syriae* etc.

CAP. III.

Pantheum Veterum Etruscorum fuisse revera Cabiricum pluribus argumentis demonstratur.

I. *Primo demonstratur ex ipsis Originibus Etruscorum.* Nam partem Etruscae Gentis factam ex *Pelasgis Arcadibus* et *Dardaniis* demonstratum est in *Tentam. Hermen. Etrusc.* Part. I. pag. 1. ad 4. Atqui *Dardanus Arcas* et *Atlantius* ipse conditor maximus et praecipuus Mysteriorum Cabiricorum, ut ex Dionysio Halic. Libr. I. pag. 55. 56. Diodoro Siculo *Bibl.* Lib. V. cap. 47. 48. Pag. 370. ex Virgilio, Servio,

aliisque pluribus constat. Alteram partem Etruscae Gentis factam ex Pelasgis *Tyrsenis* ipsis *Samothraciis cit. oper.* pag. 5. ad 10. est aeque demonstratum. Quibus *Tyrsenis Pelasgis* non semel, ut necesse erat, *Pantheum Cabiricum* tribuit Dionysius Halic. I. pag. 19. 20. quin eos reliquis Samothracibus tradidisse affirmat Herodotus Libr. II. cap. 51. pag. 109. Quod si de tertia, eaque praestantiore Etruscorum parte facta a Pelasgis Lydis, ut demonstratum est in *Tentam. nostro cit.* pag. 11. ad 18. aeque certa et perspicua testimonia excitare non possumus, factum, quia Lydia Pelasgis his vel pulsis, vel emigratis; et a Gentibus heteroglossis, et heteropantheis potissimum Lelegici generis occupata, perennibusque civilibus et Politicis immutationibus facta obnoxia vetera instituta non potuit servare intacta et evidentia. Quin si nemo hactenus valuit elementa *Panthei Lydi* aetate Caesarum Romanorum, aetate Regum Macedonum, aetate Regum Achaemenidum plene et distincte colligere, condere, componere, quis mirabitur si in obscurissimis reliquiis Pelasgicae civilitatis Lydorum plura et clara argumenta primi sui *Cabirismi* non valemus indicare? At profecto satis ad propositum nostrum esse tenendum est, antiquissimi *Cabirismi* documenta non solum in Bithynia et Troade, ubi Pelasgos Tyrsenos et Dardanios diutius habitasse certum est; sed in ipsa urbe *Pergami*, quam *Lydiae* ipsi accensent Xenophon in *Cyri expedit.* Lib. VII. Aristoteles *Libr. de Poëtic.* p. 97. etc. *Cabirorum* Deorum cultum plenum et solemnem ad secundum saltem saeculum Christianum durasse, teste Pausania in Atticis pag. 4.: et Strabone Libr. X. pag. 472. Tum in urbe Smyrna, quam veteres Geographi etiam Lydiae accensent, cultum Dearum *Gemellarum Cabiricarum* ad saecula prima Christiana durasse ex Nummis constat.

II. *Secundo demonstratur auctoritate Scriptorum Veterum.*

1. Nam Dionysius Halicar. etsi originibus Etrusco-

rum infensus Libro tamen II. pag.93. aperte est fassus ritus et ceremonias et ὀργιασμους των μεγαλων Θεων eadem fuisse *Etruscis*, et *Pelasgis Tyrsenis*.

2. S. Clemens Alexandrinus *Protrept*. pag. 12. refert ipsam cistam arcanam *Bacchi eviriati* et lacerati fuisse a Corybantibus, sive a Deorum *Cabiricorum* administris in Etruriam inlatam.

3. Tum Tuscus Virgilius et longe doctissimus Servius non potuerunt tam frequenter et adfectate Proto-Itali *Dardani* sedem facere *Etruscam*, et *Corythum Dardani* Atlantii praedicare *Tuscam*, nisi ob evidentem *Cabirismum Etruscorum*. Vid. Libr.III. Aeneid. v. 167. 206. VII. v. 616. VIII. v. 617. etc. etc. Verum quidem est ita te intricari et impediri si *Corythum* hanc Dardani cum Rodolphino Venutio in *Act. Academ. Corton*. Tom.IV. pag.19. 20. aliisque pluribus, in *Cortona Umbrica* ponis et tenes, ut nullo modo possis inde te extricare atque exsolvere: At si contra *Corythum* istam *Dardaniam* circa *Caeritis* amnem et nobilissimum oppidum *Caere* in *Etruria Tiberina* collocamus omnia veterum testimonia explicamus et intelligimus, quod iam ex longe prolixiore Disquisitione adhuc inedita indicavimus tantum in *Tentam. Herm. Etruseo* pag. 4. Et profecto nulla alia Urbs prae ista *Caere* potest indicari in Italia, qua diutius et plenius Ceremoniae *Cabiricae* viguerint et duraverint. Nam *Corythus* dicta vetustissimis temporibus condita fuit a *Cabiristis Dardaniis* et *Arcadibus:* hinc occupata a Tyrsenis *Samothracibus* et Thessalis dicta fuit *Agylla*, et necessario auxit etiam veterem suum *Cabirismum* : occupata tertio a *Tyrsenis* Lydis, et dicta *Caere*, si non auxit, certe nec minuit de suo vetere *Cabirismo*. Nam quarto adhuc et quinto Romae Saeculo ita adhuc in vetere sua Religione perstabat, ut uni ex vicinis Romae Populis incensa a Gallis Urbe ipsa Sacra *Cabirica* Romana cum Vestalibus tuerentur, defenderent, reciperent in Urbe, servarent : imo usque in Sabinos armata manu in Gallos fugientes excurrerent, praedasque factas ho-

stibus caesis repeterent: ut Strabo refert Lib. V. pag. 220. 221. vid. etiam Livium Libr. V. cap. 50. pag. 377. et Libr. VII. cap. 20. pag. 82. 83. Quin ego-met arbitror Inscriptionem illam Agyllensem a nobis editam et explicatam in *Tentam. Etrusco* Praef. p.XIX. XX. posse haberi ut Specimen Linguae Sacrae Samothracum, et illius, quam Diodorus Siculus Biblioth. Libr. V. cap. 47. pag. 369. vel 225. appellat: *παλαιαν ιδιαν διαλεκτον . . . ης πολλα εν τοις θυσιαις μεχρι τυ νυν τηρειται.*

III. *Tertio demonstratur ex praecipuis Professionibus Etruscorum.*

Architecturâ nempe, *Metallurgiâ*, et *Nauticâ*: quibus plurimis veteribus Gentibus praestiterunt, ut iam indicatum a nobis in *Tent. Herm. Etrusco* pag. 7. 13. 31. Atqui hae Professiones sive Socialia Instituta intime sunt coniuncta cum *Pantheo Cabirico*. Nam *Pantheum Cabiricum* Pantheum *Penatum* et *Larum* necessario supponit *Aedes* et *Domos*, et adeo artem exstruendi atque aedificandi: quin et *Hypogaea* et *Cryptas* funebres excavandi et adparandi, quia Religio *Quebirica* est, et in defunctos piissima. De *Architectura* autem et *Hypogaeis* Etruscorum Gorius in *Mus. Etrusc.* Tom. III. Inghiramius in *Monum. Etru.* Tom. et *Serie* IV. Editores *Bullett. Arch. Rom.* ab an. 1829 ad 1839. plura animadverterunt. Symbola porro Cabirica *focus*, *incus*, *malleus*, *forceps*, *subligar* desumta ex arte Metallurgica. Atqui aedes poni, Hypogaea excavari, Signa et Sigilla innumera metallica condi absque insigni arte metallurgica impossibile est. De Etruscorum *Nautica* Dempsterus, Guarnaccius, etc. plura monuerunt, nosque ipsi in *Tentam. Herm. Etrus.* pag. 7. 13. Monumenta autem *Nautophylacismi* Dioscurorum Etruscorum expectari iure non possunt, quia pleraque ex unis sepulcris collecta, atque extracta. Exponam tamen Drama Etruscum exsculptum in Speculo funebri, editumque a Contuccio *in Mus. Kircher.* Tab. XII. pag. 49. 50. quo gravissimam maris tem-

pestatem a Dioscuris Cabiricis sedatam et pacatam exhiberi arbitror. Nam in Speculi Campo duo Equi pares currunt, unus desultor et sessore carens, alter sessorem habens adolescentem nudum palliolo tantum volitante per pectus et humeros ornatus. Pone equos et equites quasi ex alto pariete vel potius aëre caput adolescentis apparet, buccis tumidis flantis et spirantis vehementer adeo, ut venti afflati signa et irradiationes sint exsculpta. In hoc caput flantis adolescens Eques retro conversus acriter intentat flagellum pluribus funiculis congestum, illum iam iam percussurus. Humi est Noctua, et Serpens erecto capite: Tum Canis currens ante equos: Litus proximum: Undae maris tumentes, fluctusque alti, et involuti: ex quibus ingens species Hominis emergit, quam recte Contuccius Spectrum et phantasma appellat, prolixa et lata barba instructum, et capillis horridis. E Coelo praeceps absque alis ruit adolescens utraque manu taeniam vel fasciam vento curvatam ferens. Contuccius nescio quam ethicam allegoriam Dramate exhiberi putavit, in biga vitam humanam, in equite animum hominis inepte, ut plerumque, ponens. Atqui Ore illo flante exprimi Ventum vehementem, et naturâ schematis, et per alia exempla et monumenta certum: Per illam *Larvam* barba et capillis horridam elevantem se ex fluctibus tumentibus exprimi *Procellam* gravem, tempestatem maritimam manifestum per ipsa Schemata, sed adsunt et similia monumenta. Equos desultores sacratos Dioscuris ex Ludis Romanorum Circensibus notum. Equi Gemelli Gemellos Dioscuros significant, Gemellus unus eques, quia *Alterni* erant lege, et in Circo unus Eques, et duo *Equi* currebant. *Castor Gemellus* Eques imperat Vento, ut ponat se, et quiescat: At nisi accedat etiam *Gemellus Castoris* marini fluctus non quiescent: Hinc Gemellus alter e Coelo ruit, ut Gemello adsociatus et coniunctus Pelagi iras penitus sedent. Canes autem Dioscuris sacros notum ex Nummis Gentis Caesiae, et ex aliis pluribus Monumentis Larium. Vitta

vero quam gerit alter Dioscurorum illi vittae potentissimae similis habenda est, quam Ino Leucothea filia Cadmi, qui Harmoniam Samothracen uxorem duxerat, naufrago Ulyssi dedit, et de qua agit Homerus *Odyss.* V. v. 346. 347. et v. 459. 460.

IV. *Quarto demonstratur ex ipsis Monumentis Etruscis.*

1. Nam ex Sigillis Etruscis plura sunt, quae manifeste ad *Cabiricam Ogdoadem* referuntur: ut satius loco suo per idoneam analysin demonstrabitur.

2. Ex ducentis porro Speculis funebribus saltem centum et quinquaginta intra *Pentadem* vel *Hexadem* Cabiricam continentur, et fere singulis est insculpta aedes et *Domus* characteristica Cabirismi.

3. Quomodo autem singulos Typos *Panthei Cabirici* congruant Signis et Dramatibus Panthei Etrusci accurata analysi in ipso Opere nostro demonstrabitur. Hic tantum Speculum funebre Etruscum explicabimus, quo naturam *coelestem* Minervae Cabiricae significari arbitramur. Est enim huiusmodi. In nubibus aëris, pedibus manifeste elevatis ab humo et tellure sedere fingitur Minerva tunicata torquata galeata, apposito Nomine MENRVA: coram ea est Mulier magnis alis instructa, tunicata, praecincta, cothurnata, armillis, inauribus, et monili exornata, sinistra manu summo suo femori adposita, vultu aperte subdolo et maligno, dextra florem, vel ramusculum floridum Minervae offerens, ipsa utroque pede firmiter humi et tellure imposito. Inscripta LASA FECV. Ediderunt Gorius in *Mus. Etrusco.* Tom. I. Tab. 86. Contucius in *Mus. Kircherian.* Tab. XIV. pag. 57. 58. Lanzius *Saggio* Tom. II. Tav. X. n. 6. pag. 203. 204. Gorius Tom. II. Mus. pag. 202. nescio quem *Fecialem* confinxit et protulit: Passerius in *Lett. Roncagl.* VII. *Caloger.* Tom. XXII. p. 95. 96. prolixe agit de hoc Dramate, nescio quam *Laram Viciam* sive *Victoriam* inducens, putatque ramusculum oblatum Minervae a *Lasa* esse *Vicine* huius et Victoriae Symbolum. Quamvis

pinionem exposuit et probavit Lanzius. At non iure. Primo quia nec Passerius nec Lanzius exposuerunt quid esset eiusmodi *Lara*, Etruscis et Latinis ignota, quid *Lara* alata faceret cum *Victoria*, et quam *Victoriam* retulisset. Atqui LASA Etruscis non est LARA, sed Genius semper, sive etiam Dea malefica, vel maligna, ut ex toto hoc Opere nostro patebit: Haec LASA tentantis, et contemnentis est habitu et vultu, ut Minerva stupentis, renuentis, abeuntis. Aliquanto satius Contuccius, qui Minervam, cui aër sacer est, et sedentem in aëre, ut aëris symbolum, flores et plantas educentis et augentis, Lasamque istam, ut Minervae administram habuit. At mihi certum est hoc in Dramate exprimi *Lasam Terrestrem*, Telluri adfixam, Geophilam, quae degat in loco solido, firmo, terreo, בקא BQA, באקי, BAQI, VACU, FECU stabili, fixo, manente: et quae oblatione floridae plantae, quam Terra fert invitet *Minervam* coelestem, ut sedem suam in *Terra* figat et ponat firma בקא, BQA, FECU: Quam invitationem et sollicitationem respuit horrens et reiicit *Coelestis Minerva*. Quod si quis vocem Etruscam FECU a Semitico פחח FCC, פח FC, FECU *laqueo*, *dolo*, *fallacia* deducere mallet sententia et Dramatis natura non corrumpitur, nec mutatur.

V. *Ogdoas Cabirica Etruscorum patrio et peculiari Dramate indicata.*

In superficie plana *Scarabaei* Etrusci, quem ex *Museo Gallico* edidit Micalius 1810. in *Monum. Italic.* Tab. LIV. et hinc peculiari Opusculo, quod non vidimus: insculptus est Vir sedens, genibus et sinistra manu sustinens Tabulam rectangulam rectam, qua inscriptae sunt verticali ordine quatuor *Notae*, quae dici possunt, et debent *Geometricae*: Quarum prima similis est Parallelogrammati, cuius duo latera sint producta, ita ut alium angulum efficiant; 2. Secunda *nota* est circulus diametris decussatis. 3. Tertia *nota* facta est ex duabus lineis se se mutuo intersecantibus, ut nostrum X, et Graecorum χ, 4. Quarta *nota* est si-

ve angulus, sive triangulus, sive pyramis, obscurius est enim insculpta. Hae autem sunt repetitae, sunt duplices, sunt gemellae 4+4 = 8. Coram porro Homine sedente est Mensula tripes, super qua positi sunt tres Globuli, quorum unum Vir ille sedens dextra adsumere attentat: Adscripta VOX APKAR. Micalius a quacumque interpretatione abstinuit. At Inghiramius in *Critico Examine Operis* Micalii in *Opuscul. Florentin.* Tom. XI. pag. 160. 161. putavit hoc Dramate sive Pythagoram, sive alium insignem Mathematicum scientiae suae Calculis incumbentem exhiberi. At falso. Nam Arithmetica *Pythagorica*, et aliorum Mathematicorum fuit Decimalis non *Octonaria*, ut in Tabula hac. Tum Figurae Geometricae classicae, et symbolicae, quibus ad Theologumena sua utebantur erant plusquam quatuor, et plane aliae ab illis, quae conspiciuntur in *Tabula*, ut quisque nosse poterit ex Platonis Timaeo, ex Plutarcho in *Quaestion. Platonicis*, ex Theone Smyrnaeo in *Mathemat.* etc. ex Chalcidio *Comm. in Tim. Plat.* etc. Oriolius porro in *Antholog. Florent.* 1825. Xbr. pag. 137. Hominem illum sedentem etiam Calculatorem fecit, et in Etrusco APCAR vidit *Abacarium*, hominem scilicet in *Abaco* occupatum. At etiam falso. Nam nec *Abacarius* Latina vox est, nec *Abacario* respondere potest Etruscum APCAR, quia declinatis vocibus Etrusci usi non sunt, ut toto nostro *Tentam. Hermen. Etrusc.* est demonstratum. Tum *Abacus* Latinorum et Graecorum factus est ex אבק, ABQ, *pulvere*, pulvisculo, unde ipse Papias Lexicographus aevimedius scribebat: *Abax, et Abacus Tabula in qua Radio et Pulvere formae depinguntur, qua Philosophi utuntur.* Ergo Tabula in superficie Scarabaei insculpta non est *Abacus*, quia recta, et fere perpendicularis: Tum *Globuli* iacti super figuras pulvere signatas eas statim et penitus corrupissent. Ergo APKAR Scarabaei Etrusci non est *Abacarius* Oriolii.

At si contra animadvertimus *octo* tantum esse figuras in Tabula APKARII descriptas: Gemellismum Deo-

rum Cabiricorum esse characterem essentialem: et adeo *Ogdoadem Cabiricam* posse resolvi in *quatuor binarios* Numeros, omni iure tenere possumus in hac Etrusca Tabula *Ogdoadem Cabiricam* per signa et symbola Geometrica fuisse expressam et designatam. Et profecto si *Pyramide Ignem*, et adeo *Vulcanum* et *Vestam* significare potuerunt Pythagorici, Platonici, et Neo-Platonici; utique possumus et nos figurâ, quae pro *Pyramide* teneri non absurde potest, *Vulcanum Cabiricum*, et typum suum foemineum *Cererem*, vel *Vestam Matrem* significare. 2. Et quoniam ex plurimis Monumentis Graecis et Romanis, quae apud Montfauconium, Passerium, aliosque videri possunt, imo et Etruscis, quae apud Inghiramium possunt conspici constat Gemellos Dioscuros Cabiricos significatos Symbolo *Cruciformi*, utique gemellam *crucem* Tabulae Etrusci *Apkarii* habebimus, ut symbola utriusque *Dioscuri*. 3. *Rota* quatriradia, sive Circulus diametris decussatis in Monumentis Graecis, Romanis, Etruscis symbolum Dearum fatalium Adrastiae, Nemeseos, Fortunae, Veneris Genitalis, et etiam Minervae Moeronomae. Et propterea Duas ex his Deabus nempe Deam Coelestis fati promam sive Minervam, et Venerem Terrestris Fati indicem *Gemellâ rotâ* significari dicemus: 4. Et tandem si *quaternarius* numerus et adeo figura quaecumque *quadrilatera* est symbolum maxime proprium Mercurii, quod docet Plutarchus *Sympos.* IX. qu. 3. pag. 738., et alii saepe, et plures, et si Proserpinae sacra illa *Tetractys* Pythagorica ineffabilis, de qua egerunt idem Plutarchus *de Isid.* pag. 381. et in *Psychogon.* pag. 1027. Pseudo-Plutarchus de Placit. Philos. I. cap. 3. pag. 872. Macrobius in *Somn. Scipion.* Libr. I. cap. 6. pag. 24. 25. aliique plures: tenere utique possumus *quadrilaterâ* figura Tabulae Apkarii Etrusci significari Mercurium et Proserpinam: Mihique probabile est per illa latera producta perfectibilitatem et progressum et cursum Naturae Humanae significari, cuius Humanae Naturae Typi profundissimi in Pantheo

Cabirico sunt *Mercurius* et *Proserpina*. Ergo in Tabulâ Etruscâ tota Cabirica *Ogdoas* Symbolice expressa est. At quid, cedo, agere et peragere vult ille Etruscus sedens? Omnino iacere Globulos illos in Tabula facta horizontali, et adnotare Figuram super qua consistant, et inde auguria et sortes petere, secundum significationes iam constitutas Figurae et Dei. Eo fere modo quo Sortiarius sive Sortilegus Lapponum, quem describit Schefferus *de Lapponia* Cap. XI. pag. 130. ex Figura, super qua constitit annulus dimotus super plures figuras Tympano magico percusso, divinationes suas promit et condit: quamobrem ego arbitror hoc Dramate Sortilegum sive Sortiarium Etruscum exhiberi, qui per Figuras et Notas Symbolicas Deorum Cabiricorum divinari velit, et Sortes edicere. Ad quam sententiam firmandam opportunissima accedit vox adscripta APKAR. Nam APKAR est ipsum פכר PKR, APKAR *considerare*, *meditari*, percensere, quo plane habitu et statu expressus est homo Etruscus: et quidem de Rebus פכר, PKR, APKAR *involutis*, *implexis*, complicatis, ut Sortes humanae sunt. Quin Etruscum APKAR solvi potest in APK, et AR, et fieri ac componi a פח PC *laqueo*, *rete*, re implexa involuta, et ערה ORE, ARE, *revelare*, *aperire*, manifestare; ita ut APC-AR sit qui obvoluta, *implexa*, confusa aperit, *solvit*, manifestat, revelat.

VI. *Ogdoas Cabirica Etruscorum aliis insuper argumentis firmata.*

1. Scilicet ex *octo* Periodis, ex *octo* magnis Annis, quos vitae Generis humani, et Mundo tribuebant Sapientes Etruscorum, ut iam animadversum a nobis est in *Tentam. Hermen. Etrusco*. Pag. 47. ad 51. Hunc autem numerum nulla alia ratione nisi Theologica statuere potuerunt Sacerdotes Etrusci, ut *sex* Mundi aetates constituerunt Hebraei.

2. Ex *cyclo Novenario* perpetuo dierum anni civilis, ut testatur Macrobius scribens *Saturn. Libr. I.* cap. 15. pag. 223.: *Sicut apud Tuscos Nonae plures habe-*

bantur: Quod hi nono quoque die Regem suum salutabant, et de propriis negotiis consulebant: Unde et Romanorum *Nonae* et *Nundinae*, de quibus accurate idem Macrobius agit. Atqui *Cyclus novenarius* perpetuus supponit numerum *octo* fixum et constitutum, ut *Hebdomas* nostra recurrens per *Octavas* perpetuas supponit numerum fixum *Septenarium*. Adeoque si Hebdomaticus dierum numerus a nobis Christianis, ab omnibus Hebraeis, et Musulmanis ob rationes Theologicas est constitutus, utique tenendum est, et *Octonarium* Etruscorum numerum, qui nec Astronomicus est, nec Chronologicus, per rationes pariter Theologicas, nempe *Cabiricas* a Sacerdotibus Cabiricis adsumtum et adoptatum fuisse.

3. Ex *octo* digitis, qui quandoque sunt *Canopis* Etruscis in *Museo Clusino* Tom. I. Tab. 49. qui Canopi et ipsi sunt ex vetustissimis symbolis *Panthei Cabirici*, ut adnotamus Sect. I. *Panthei Etrusci*.

CAP. IV.

Solvuntur obiectiones aliquot in octonarium numerum Deorum Etruscorum.

I. *Solvitur obiectio prima; quoad Herculem Panthei Etrusci.*

Herculis, quem ex Hierographia Graeca et Latina novimus, signa, sigilla, dramata occurrere plurima in *Hierographia Etrusca* verum est. Aeque verum has *Herculis* figuras et dramata ad vetustissimum *Pantheum Cabiricum* non spectare. Sed aeque verum nec corrumpi nec immutari, aliudque et diversum fieri *Pantheum* alicuius Gentis, cui alius Typus Theologicus accesserit, maxime congruus et opportunus. Et si nemo culparet Archaeologum, qui pro data occasione appellaret Romanos *Cabiristas*, etsi *Pantheum* Romanum non unius Herculis accessione sit auctum, sed ex plurimis diversis et fere adversis elementis constiterit, quis negaverit *Etruscos* fuisse *Cabiristas*, quia Herculem non Cabiricum receperint et consecrarint? Atqui receptio et

adoptio *Herculis* in Pantheum *Etruscum* facta est ob tres potissimum caussas. Quarum prima fuit intima coniunctio *Heraclidarum* cum *Tyrsenis Pelasgis* facta dum adhuc essent in *Lydia*, et adhuc conderentur *Mythi* de *Omphale* et *Jardane*. Secunda causa fuit ipsa natura *Herculis*. Nam *Hercules*, quem nos novimus ex Hierographia Etrusca, Graeca, et Latina, est Semideus, est filius Dei magni Jovis ex humana Muliere; scilicet est Typus *Theandricus* atque Incarnatus, et quo adeo rationes intimae atque arcanae nullius Panthei possunt turbari et convelli: 3. Tertia caussa fuit natura et conditio vetusta ipsius *Panthei Cabirici*. Nam quum *Typi* divini *Incarnabilis* forma et Epiphania esset triplex: scilicet in rerum initio, ut *Demiurgi* et Conditoris; in medio temporum, ut *Incarnati*, alexicaci, debellatoris hostium robustissimi et invicti; in fine rerum, ut *instauratoris* et restitutoris aetatis aureae: Sacerdotes Cabirici Epiphaniam Typi divini *incarnabilis* in Temporum medietate exponere, exornare per Sigilla opportuna, per Dramata congruentia, per Mythos et Fabulas narrare neglexerunt; quod quum mira sollertia et plene fecissent Heraclidae, *Herculis* Typus a toto fere vetere Genere humano receptus et adoptatus fuit. Et propterea nec iniuria nec absurde *Etrusci* in locum *Bacchi* secundi alexicaci, depulsoris, triumphatoris, qui in Pantheo suo Patrio decerat, vel erat plane obscurus et tenuis, susceperunt *Herculem*, et ut unum ex *Dioscuris Cabiricis* habuerunt et coluerunt.

II. *Solvitur obiectio secunda, quoad numerum Signorum, Sigillorum, et Nominum divinorum Etruscorum.*

Verum praeterea est *Signa*, et *Nomina* divina *Panthei Etrusci* esse plurima, et longe plura quam *octo*; sed aeque verum unum et eumdem *Typum* Theologicum posse tum per plura et diversae formae Signa, Sigilla, Agalmata exprimi, tum per plura et diversa *Nomina* significari. Tum per *Merotypismum*, de quo loquimur in *Fundam. Pantheogonic.* idem *Typus* potest

vario modo frangi et dividi. Quum porro *octo* dicimus Deos *Panthei Cabirici*, loquimur non de universa turba Deorum, sed tantum de *Classicis*, fundamentalibus, magnis, δυνατοις, μεγαλοις: in quorum numero non sunt *Daemones*, *Genii*, *Angeli*, *Lares*, quin ne ipsi quidem *Dii* a Sacerdotibus per *Chreiotypismum* conditi, peculiaribusque humanis necessitatibus adsignati. Adeo ut *Pantheum* esse poterit natura, origine, et constitutione sua *Cabiricum*, et tu interea colligere poteris centuriam *Signorum* et *Sigillorum* Hierographicorum, et plusquam *centuriam* Nominum divinorum.

III. *Solvitur obiectio tertia ex numero Deorum Consentium Etruscorum.*

Verum tandem est legi in Libr. III. Arnobii Afri *adv. Gentes* pag. 155.: *Hos Consentes et Complices Etrusci aiunt et nominant, quod una oriantur et occidant una, sex mares et totidem foeminas nominibus ignotis et miserationis parcissimae, sed eos summi Jovis consiliarios ac principes existimari:* Et ipsum hunc numerum colligi ex Seneca *Natur. Quaest.* II. 41. p. 636.; at aeque verum nil inde posse colligi in *Cabirismum Etruscum*. Nam si hi *Dii* sunt anonymi, *nominibus ignotis*, imo, ut addit Mart. Capella de Nupt. I. p. 3. *innominabiles*: si *miserationis parcissimae*, utique non possunt esse *Dii magni* et *primi* in ullo humano Pantheo, in quo Dii magni sunt *nominati*, *nominandi*, *laudandi*, semper *boni* et *misericordes*. Adeoque tenendum est hos *Consentes* et *Complices* Etruscos *Anonymos* fuisse ex minoribus Diis, ex ministris, ex administris Jovis, quibus scilicet *Fata* huius Mundi singillatim fuissent commissa, *custodes* nempe, *inspectores* sive Fatalis Sphaerae mundialis Jovis aut Astraei, de qua Mart. Capella I. p. 3. et Nonnus in Dionys. Libr. VI. pag. 181. 183. agunt: Sive fatalium Tabularum Phanetis, de quibus loquitur idem Nonnus Libr. XII. p. 329, 330. Sive Tabularum Parcarum, apud Ovidium *Metam.* XV. ver. 810., 811. etc. sive Fatalis Antri Naturae et Aeternitatis, quod descripsit Claudianus in 1. *Consul.*

Stilich. Libr. II. v. 445. 450. Adeoque sive tu ponis eos *duodecim*, sive etiam hunc numerum auges perinde est. Nam sunt habendi hi Dii *Complices* praefecti constituendis, et si vis cum Capella *scribendis*, colligendis, ponendis, servandis, custodiendis *Fatis*, et nos adeo putamus hos *Consentes* et *Complices* Deos esse alios et diversos a *Penatibus*, qui paucissimi et intimi et una coniuncti ad vitam efficiendam et servandam: Sed plane similes Diis Βουλαιοις Chaldaeorum, quos indicat Diodorus Siculus Libr. II. c. 31. p. 144., et quos esse Decanos Zodiacales, de quibus Scaliger *ad Manil.* et Salmasius *de Ann. Climater.* egerunt est certum.

Cap. V.

Disci manubriati Etruscorum habendi sunt Specula mystica et funebria, ad religionem Cabiricam intime spectantia.

I. *Indicantur significationes mysticae et Symbolicae Speculorum.*

1. *Speculum* primo est aequum Symbolum *Animae* humanae, ut iamdiu animadverterunt Porphyrius de *Stige* apud *Stobaeum* ed. *Heeren.* Tom. II. p. 1012. Julianus Caesar *Hymn.* V. *in Solem.* pag. 164. Dionys. Areopagita *Oper.* I. pag. 311. aliique. Et merito: Nam in nostra *Anima* veluti in *Speculo* Rerum formae adveniunt, abeunt, redeunt, miscentur, confunduntur. Tum etiam quia veteres Gentes *Animas* humanas destitutas corpore volitare per auras quasi quaedam *Speculorum Idola*, et *formas* putabant, quae scilicet nec solida impenetrabilia dura, nec prorsus nihili et invisibilia essent.

2. *Speculum* secundo esse potuit, et debuit Symbolum *Idearum* et *formarum* animi humani, ob easdem rationes.

3. *Speculum*, tertio fuit Veteribus symbolum meditationis, reflexionis, retractationis, *poenitentiae*; ut ex Seneca *Quaest. Natur.* Lib. I. cap. 17. p. 604. ut ex

Phaedro nostro *Fabul.* Lib. III. Fab.7. Apuleio Platonico in *Apolog.* pag.17. aliisque constat.

4. *Speculum* quarto Symbolum fuit *Hyles* et materiei, adeoque *Mundi* huius *Hylici*, et fugacis, fluentis, instabilis, umbratilis. Nam formae et figurae in *Speculo* sunt fugaces, instabiles, vanae.

II. *Indicantur Deae Diique, quibus a Veteribus Specula sunt tributa.*

1. Deae omnes *Hylicae*, genitales, praefectae huic Mundo fluxo, perituro, *Hylico*; adeoque tributa Specula Isidi, Cybelae, Veneri, ut constat ex Callimachi *hymno* ad *Lavacr. Pallad.* v.19. Apuleio *Metam.* Libr. XI. pag. 210. aliisque pluribus, ut et ex pluribus Monumentis.

2. Tributa Specula *Psychae*, et *Proserpinae*, quae *Psyche* est, ut constat ex Mart. Capella *de Nupt.*I. p. 3. Nonno in *Dionys.* Lib.V. p.175. Porphyrio de *Styge*, apud. Stob. p. 129.

3. Tributum Speculum *Demiurgo* et conditori huius Mundi fluxi, hylici, instabilis, ut constat ex Proclo in *Tim. Platon.* pag. 81. 102. 163. Nonno in *Dionysiac.* Lib.VI. pag. 191. S. Clemente Alex. in *Protrept.* pag.12. Arnobio *Adv. Gent.* Libr .V. pag. 213. 215. qui etiam *Demiurgum* hunc appellant *Dionysum*, sive *Bacchum Zagraeum*, *Sabazium*, et *Cabiricum*.

III. *Disci manubriati Etruscorum in nullum socialem usum adhiberi umquam potuerunt.*

Quod per plures annos et prolixa opera ostendere et suadere adnisus est vir egregius Franciscus Inghiramius Volaterranus, eique gratulor, quod rem ex voto obvenerit. Nam plurimi Archaeologi iam sententiam veterem reprobarunt. Et neminem modo esse arbitror, cui aequus rerum sensus et experientia sit, qui ad aliquem vere et proprie socialem usum *Discos* illos *aereos* adhibitos fuisse adhuc sentiat et teneat.

IV. *Disci manubriati Etruscorum habendi sunt Specula mystica, et funebria.*

Nam *Discis* istis *Etruscis* forma et natura *Speculorum* est, et minime alia. Et quamvis et ars et industria artificis non accesserit, per quam in plenum usum socialem advenerint, non fit inde non esse habenda *Specula*, quia dicimus et appellamus *Specula* etiam illa, quae rudia adhuc sunt et impolita, vel vetera et corrupta, et adeo in verum usum inepta. Habenda autem sunt *mystica* et religiosa, quia quum profana non sint, necessario sunt religiosa, et adeo *symbolica* et *mystica*.

V. *Specula haec Mystica Etruscorum habenda sunt propria et originali sua destinatione funebria et sepulcralia.*

Nam si ex unis prorsus unis *Sepulcris* et Cineribus *Defunctorum* eruuntur et colliguntur haec *Specula*, quidni ad Sepulcra et Cineres ea unice fuisse destinata et condita iure tenebimus? Quidni peculiari sua destinatione *funebria* dicemus, si ad quemcumque socialem et viventium usum inepta prorsus esse evidens est atque exploratum? Tum *Specula*, ut paulo supra vidimus pag. 23. 24. Symbola *Animarum*, et adeo *Defunctorum*: *Specula* Symbola *Dearum hylicarum* et Genitalium, per quas *Fatum* humanum et mors hominibus imposita, *Specula Demiurgi* Symbola, et eiusdem *Fati* perfectoris et datoris. At ex alia parte semper prorsus semper in his Speculis insculpta Corona Regis *Bacchi*, Bacchi inquam tertii, futuri, instauratoris humani Generis, et adeo Defunctorum. In his *Speculis* semper vel fere semper insculptae Icones et Simulacra Dearum et *Deorum* apotropaeorum, averruncorum, tutelarium, imo frequentissime *Necrophylacum*. Nam Dioscuri et Gemelli Cabiriei, qui tantum non semper in *Speculis* funebribus conspiciuntur sunt natura Necrophylaces, et Manium Patroni et Praestites, quod ex iis etiam, quae de *Vasis Pictis* in tertia parte adnotabimus facile colligitur.

VI. *Specula mystica Etruscorum intime spectarunt ad Religionem Cabiricam.*

1. Primo, quia Dii *Pataici* et informes *Cabirici* frequenter insculpti sunt *Speculis* Etruscis : ut Part. II. Sect. I. *Panthei* pluribus demonstramus.

2. Secundo quia *Dioscuri*, Didymi, *Gemelli Cabirici* frequentissime in *Speculis* adpositi.

3. Tertio quia *Bacchi* symbola semper *Speculis* Etruscis insculpta, et *Specula* sacra *Baccho* Zagraeo sive *Cabirico*, ut iam indicatum.

4. Quarto quia ipsum *Speculum* habendum *Symbolum* originale et proprium *Panthei Cabirici*, tum quoad Dogma *Ideogonicum*, tum *Psychogonicum*. Nam Deus *Ideogonicus*, Ideopegaeus, Demiurgus non modo pars fuit essentialis *Panthei Cabirici*, sed inde etiam Orphicos, Pythagoricos, Platonicos, Neoplatonicos hausisse et tenuisse dubitari non potest.

Cap. VI.

Pantheum veterum Etruscorum fuisse Tartaroarchicum, non Uranoarchicum, quo scilicet potentiores et maiores eorum Dii non in Stellis, Sole, Luna, Aethere, sed in Tartaro, et Tellure essent collocati est certo tenendum.

I. *Primo quia Etrusci fuerunt Chaogonistae* :

Ut nos demonstramus in I. et II. Sect. *Panthei Etrusci*: Apud omnes autem *Chaogonistas Tartarus et Gaea* vetustiores et potentiores Coelo, Sole, Luna, Stellis habentur, quum omnia serius educantur, et proferantur ex *Chao* Coelum et Homines, Stellae et Plantae, Sol et Animalia. Quamobrem etsi non affirmarem Sapientes Etruscorum, et ceteros omnes *Chaogonistas* praeter *Chaos*, *Spiritumque* divinum agitantem et foecundantem *Chaos*, nullum alium Principem Deum, et locum agnovisse : quin etsi darem lubenter eos omnes praeter *Chaos* et *Spiritum* omniparentem, alium remotiorem locum et aethera divinum, et *Deum* longe exsuperantissimum posuisse, aio tamen omnes *Chaogonistas* Mundo suo *Chaogenito* contentos nullo vincu-

lo, nulla relatione intima cum illo hypercosmico *Deo* sese devinctos et sociatos putasse: sed eum habuisse quasi *Ain-Suph* Cabalistarum Hebraeorum, quasi *Bython* et *Sigen* Gnosticorum, nec nominatum, nec nominandum, et fortasse nec colendum; adeoque sese totos in huius Mundi *Chaogeniti* oeconomia quasi carceribus continuisse, et conclusisse dicendum est: Quod minime mirum ex dogmatibus Veterum: Nam ipsi Poetae praestantissimi Virgilius, et Statius, quorum loca indicabimus paullo post, eorumdem Hominum vivorum vel mortuorum oeconomiam plane seiunctam et separatam voluerunt, Deosque Zontocratores a Diis Necrocraticis penitus discriminarunt et distinxerunt.

II. *Secundo, quia Dii praecipui Etruscorum omnes Chthonii, Elysii, Tartarici, ut Dii magni aliarum etiam Gentium*:

1. Nam Venus Libitina *Chthonia*, Proserpina *Chthonia*, Dioscuri *Chthonii*, ut patet etiam ex Sarcophaphis et sepulcris Romanis et Graecis; Mercurius *Chthonius*, Bacchus *Chthonius*. Tum si *Specula* funebria, Defunctis destinata, mortuis sacra, si in Defunctorum adiumentum et quietem condita, et in huiusmodi Speculis totum *Pantheum Cabiricum*, et praecipua elementa Etrusci sunt adsculpta, utique Dii praecipui Panthei Etrusci habendi *Chthonii* et *Tartaroarchici*. Quin si Pantheum Etruscum fuit *Cabiricum*, ut demonstratum est p. 10. ad 18. et *Cabiri* etiam קביר QBIRI, sive *Defunctorum* custodes, et salvatores; utique Dii praecipui Etruscorum fuerunt Dii *Tartarocratores*, et Gaeoarchici. Quod profecto non mirum. Nam omnia vetera *Panthea* fuerunt *Tartaroarchica*, et ipsum Isiacum adhuc secundo saeculo Christiano: quod et iterum animadvertemus loco suo. Nam en quae dicentem sibi *Isidem* maximam Aegyptiorum et totius *Orientis anheli* Deam Philosophus Platonicus Apuleius Libr. XI. *Metam.* pag. 219. inducit: *Et cum spatium saeculi tui permensus ad Inferos demeaveris, ibi quoque in ipso subterraneo semirotundo, Me quam vides Acherontis tenebris interluceu-*

tem Stygiisque penetralibus regnantem campos Elysios incolens ipse tibi propitiam frequens adorabis. Tum maximus Plato in *Phaedone*, *Gorgia*, etc. de *Tartaro* quidem fuse agit non de Olympo; et in Libr. X. *de Republ.* pag. 671. 672. Fusum, quo omnia vertuntur et volvuntur in Mundo *Anangae* genibus fixum in *Tartaro* collocat, et tres maximas *Parcas* adsidentes facit in eodem Tartaro.

III. *Tertio quia omnes urbes Etruscae sacrae et dicatae fuerunt Deo Chthonio Diti Patri.*

Ut testatur Servius ad *Aen.* X. v. 199. scribens: *Mantuam* ideo nominatam, quod Etrusca Lingua *Mantum Ditem Patrem appellant*, *cui etiam cum ceteris Urbibus et hanc consecravit.* Quem *Ditem Patrem* sive *Bacchum Amentis* et *Elysii Tartarici* Deum et Regem, sive *Tagetem* et *Mercurium* Cabiricum Propatora facis ad rem et propositum nostrum perinde est. Nam hic non est locus id disquirendi.

IV. *Quarto quia Kebla, sive regio Coeli, ad quam Augures Etrusci et Sacerdotes operantes in Sacris faciem suam convertebant fuit Meridies, ut testatur Plinius Libr. II. cap. 54.*

Atqui Veteres Meridianam Plagam, utpote devexam et inclinatam, ad *Manes* et *Tartara* spectare putabant: maximo Poeta canente Georg. I. v. 242.: « *Hic vertex nobis semper sublimis: at illum* » *Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi* »: Quod tenuisse etiam Chaldaeorum Scholas ex Diodoro Siculo aperte et certo colligitur Libr. II. c. 31.

V. *Quinto*, *quia idea et characteres Demogorgonis Tartarici*, secundum Lucanum *Pharsal.* Libr. VI. v. 745. 749. *Triplicis Mundi Dei summi*, ut appellat Statius Theb. IV. v. 515. *Finitoris maximi rerum, et Satoris*, ut appellat idem Statius Libr. VIII. v. 92. *Patris et genitoris Fortunae omnipotentis*: Et quae sit *potestas rerum divinarum atque humanarum*, ut facit Petronius Arbiter *in Specim. Belli Civil.* cap. 80. *Satyric.* pag. 311. *Patris Parcarum*, *qui funera et se-*

mina cunctis « *Praebet* , ut appellat Claudianus de *Rapt.* I. v. 55. 56. etc. ex uno *Pantheo Cabirico*, atque *Etrusco* potuerunt derivari atque adoptari.

Nam Typus iste *Demogorgonicus* neque est in *Pantheo Graeco*, neque in *Pantheo* Latino solemni et populari, neque in aliquo systemate Philosophorum, quibus vel nullus omnino fuit *Tartarus*, vel longe alius: Nullus Peripateticis , nullus Stoicis , nullus Epicureis : Alius Pythagoricis, et Neoplatonicis. Quin si systema Theologicum solemne et Populare Graecorum et Romanorum dici non potest absolute et proprie Uranoarchicum, accedit tamen, et pleraque aguntur et peraguntur per Deos Olympicos , quasi ex propria et intrinseca potestate, Saturno vetere Rege eiecto et in Tartarum relegato : et nescio quae distincta oeconomia, et regimen inter viventes et mortuos, inter hunc Mundum et alterum etiam a magnis Poëtis, ut Virgilio *Aen.* XI. v. 51.52. XII. v. 646.: et Statio in *Sylvis* V. v. 185. admittitur et praedicatur : quae oeconomia haberi non potest dato centrali et maximo *Demogorgone* : Qui omnino non potest esse nisi *Cabirus* maximus et fundamentalis, nisi summus Deus Etruscorum: De quo Seneca haec testatur in *Quaest. Natur.* II. cap. 45. pag. 638. *Etrusci eumdem quem nos* (Stoici) *intelligunt custodem rectoremque Universi Animum ac Spiritum Mundani huius operis Dominum et artificem, cui nomen omne convenit . . . . . Est enim ex quo nata sunt omnia , cuius spiritu vivimus . . . . . totus suis partibus inditus , et se sustinens vi sua.* Qui prorsus *Demogorgon* centralis , intimus, fundamentalis est: non fascia quaedam aetherea in finibus Mundi, ut ipsi Stoici Deum concipiebant , praecingens et complectens ipsum Mundum. Tum Lutatius Placidus Scholiastes Statii ad ea *Libr.* IV. *Theb.* v. 515. *et Triplicis Mundi summum* : adnotat: *Dicit Deum Demogorgona summum, cuius nomen scire non licet. Infiniti autem Philosophorum, Magorum . . . praeter hos Deos cognitos, qui coluntur in Templis alium Principem et maxime Deum ceterorum*

Numinum ordinatorem, de cuius genere sint Sol, et Luna, ceteri vero qui circumferuntur Astra nominantur, quae eius clarescunt Spiritu, maximis in hoc Auctoribus Pythagora, et Platone, et ipso Tagete convenientibus. Hunc autem *Demogorgona centralem*, fundamentalem, *Tartaricum* egregie descripsit Joh. Boccacius *in Genealog. Deorum* Libr. I. cap. 1. et illustrare etsi parum scite conatus est Heynius in *Opuscul.* Tom. III. pag. 291. 306.

VI. *Sexto, quia Animarum circulatio, et quaecumque Psychoplanesis et Palingenesia, ex qua maxime pendet intima Panthei oeconomia, non facta Etruscis per Astra, per Solem, et Lunam, et Stellas, sed per Tartarum et Tellurem; ut Aegyptiis, Graecis, et Italis plerisque.*

Quod constat ex innumeris Monumentis Funebribus Etruscorum, in quibus et *Tartari Portae*, et iter ipsum ad *Tartarum*, et Equitatio, et Equi parati ad iter *Tartaricum* conspiciuntur frequenter; numquam vero argumenta et symbola aethereae astriferae et alatae Psychoplaneseos vel tenuissima possunt deprehendi et colligi. Praeterea si animadvertimus circa primum Ecclesiae Christianae Saeculum ex una parte plurimos iam Philosophos Astriferam Palingenesiam et Aetheream Psychoplanesin tenere et praedicare; et alia ex parte plerosque Poëtas praestantissimos Virgilium Maronem toto Lib. VI. Ovidium Nasonem Metam. IV. v. 440. Annaeum Lucanum in Pharsaliae VI. et Papinium Statium Theb. IV. et VIII. Silium Italicum Punicor. XIII. v. 528. aliosque plures *Palingenesiam* et animarum circulationem ex omniparente et omnicapiente *Tartaro* et *Gaea* tenere et praedicare: Tum ipsa hac aetate adhuc esse et celebres ferri clarissimos Haruspices et Theologos Etruscos et Romanis ipsis haberi doctiores in divinis: iure tenebimus *Tartaricum* hoc Dogma ex *Theologis* potissimum *Etruscis* Latinos Poetas hausisse et pertinaciter tenuisse. Quin si per plurima argumenta constat *Psychoplanesin* astriferam haud esse apud nos

Pythagorâ vetustiorem; *Etruscos* antiquiores fuisse *Tartaroarchicos* colligere pronum est. Et profecto omni consideratione dignum est, quod ipsemet Plato, ut modo monebamus, qui in *Timaeo*, et alibi, *Psychoplanesin* aetheream, et animas *Stellis* infixas proposuerat, in *Phaedone* pag. 518. in *Gorgia* pag. 371. 372. in Libr. X. de *Republ.* pag. 672. *Tartaroarchicam* animarum revolutionem et *Palingenesin Tartaricam* probat, quod facit etiam in *Axiocho* sive Socraticus Aeschines, sive vetus alius Philosophus pag. 958. 959. Ut et ipse longe recentior Platonicus Plutarchus in *Opusc. de his qui sero a Numine puniuntur* I. p. 383. 384. in *Thespesii* Fabula. Etruscos porro *Tartaricas* domos et *Acherusia Templa*, ut Ennius canebat, Animabus adsignasse ex ipsis insuper *Tartari* et *Inferorum* Symbolis iam a nobis indicatis: *Gorgonibus*, scilicet, *Medusa*, *Gryphis*, *Chimaeris*, *Sphyngibus*, *Pegasis*, *Leonibus* alatis, aliisque monstris, quae in omnibus et in singulis suis Sepulcris adposuerunt et adfinxerunt *Etrusci*, colligere et pronum et facile.

VII. *Tartarica Etruscorum Palingenesia*, *sive Empsychosis per patria et propria Hierodramata demonstratur.*

In Vase Clusino funebri, quod editum est in *Museo Clusino* I. Tab. 34. 35. pag. 29. 30. a Micalio in *Monum. Ital.* Tav. 22. et Tom III. pag. 21. ab Inghiramio in *Lett. de Etr. Erudiz.* Tav. X. pag. 174. 176. expressa est magna et solemnis Pompa, sive insignis processio quasi nuptialis, et gamelia: qua fere 1. postrema incedit et procedit Mulier involuta pallio ingenti etiam caput, et quam sequitur 2 Miles duplici lancea armatus, praecedit vero alius gladium strictum in manu habens, vultu tristi pravo distorto, retro converso. 3. Hunc praecedit Monstrum horribile Medusa integra, figura Gorgonis tota turpissima. 4. ante hoc monstrum incedit Vir acuta barba praeditus, ut Mercurius in vetustis artis Graecae Monumentis solet effingi, quem indicant praeterea alae quae-

dam systematicae solidae et curvae et quasi Elicoeidae; inter eius pedes est Anser vel Cygnus gradiens, sed sensu inverso scilicet Medusam et Nympham velatam respiciens. Ante Mercurium species quaedam stellae radiantis, cuius tamen partem cubitu suo abrumpit.. Ante hunc primus ducit Pompam vir Bovino sive Taurino, ut plane videtur, capite, scilicet Minotaurus, facie Bovina retro conversâ, pone quam avis etiam quasi volantis more est, sed capite et pedibus carens: inter Pedes vero Minotauri Avis pariter magna, quam etiam anserem diceres, collo et capite sursum elevato. Inghiramius in *Lett. cit.* pag. 181. 184. ut morem gereret Desiderio Maggio eruditionem suam astronomicam et astrologicam hîc explicare adfectavit, nescio quem Horoscopum fingens, quo Venus, Mars, Saturnus utcumque coissent p. 182. quae nihili sunt. Nam nec Venus ulla hîc, nec Mars ullus, nec Saturnus ullus hîc possunt agnosci. Et certe satius fecisset Inghiramius, si distinctos et adnotatos saltem Planetas ab Etruscis certis testimoniis probasset. Nam demonstrari nullo modo posse nos adfirmamus et profitemur. Et egomet teneo omnes Etruscos in Scientia Astronomica minime Romanis praestitisse, nec Romanos expectare voluisse et suscipere Doctrinam Graecorum vix tandem Ciceronis et Caesaris aetate, si quaecumque peritia astronomica fuisset Etruscis iam ab aetate Romuli et Numae, vel etiam Pyrrhi et Duillii notis. In hac autem Hierographia Etrusca *Empsychosim* futuram *Tyrseni Samothracis* defuncti putamus exhiberi: Adeo ut *Psyche* sit illa Persona Pallio ingenti obnupta, omnino ut Nympha, Sponsa, Puella novis Nuptiis destinata. 2. Hominis *irascibilis* Typus, Symbolum *animi* Θυμου est vir qui praecedit armatus gladio stricto, ut passionis vehementiam re ostenderet. 3. Sequitur gravior Νους *Mens* vir nempe Symbolum *Mentis* et rationis: Is *Tripsychismus* Tyrsenicus, Samothracius, Cabiricus dogmaticus, quem nemo adhuc quem sciam animadvertit nec explicavit ad plura Dramata funebria Urna-

rum Etruscarum explicanda atque intelligenda est utilissimus ; et in quibus Gorius, Passerius, Lanzius plures absurditates cumularunt. Praecedit *Medusa Thanatophora*, quia haec quae coniunguntur abrumpet, et in *Tartarum*, cuius est symbolum, iterum rapiet. Formam autem certam distinctam pulcram *Psyche* adhuc non habet, nam umbra est et spiritus. At *Mercurius* sive *Hermes* Typus *Hominis*, Symbolum Generis humani, *formam* etiam Psychae adsignat et *humanam* facit: et non dubito quin *Stella* Mercurio adiecta sit *Lucifer*, qui *Pani* et *Inuo* saepius in vasis Pictis et Dramatographis solet adponi , ut symbolum nativitatis et ortus. Tandem procedit *Minotaurus* , symbolum *generationis* et methodi *Empsychoseos* , de quo symbolo longe gravi et elemento maximo Theseidis, et Heracleidis , plura possent adnotari, si opportunus esset hic locus. Nam *Pasiphae Psyche* est, tota lux, sed Generationis humanae desiderio correpta, nempe *Taurum* amat ; Unde gignitur *Minotaurus*, sive *Homo* , in huius vitae Labyrintho claudendus et exercendus: Cuius mortale fatum Typus divinus Theandricus Theseus domabit et vincet. Adeo ut si quis antea exclamavit : *Quis liberabit me de corpore Mortis huius* : Epist. ad Roman. c. VII. v. 24. Alius addet : *Ubi est Mors victoria tua* , *ubi est Mors stimulus tuus* ? Epist. 1. ad Corinth. c. XV. v. 55. De *Anseribus* autem *Generationis* et Priapi symbolis adnotavimus in *Alpano Etrusco* non pauca. De *Tripsychismo* tandem Veterum praeter ceteros animadverterunt plura Salmasius in *Epict. et Simplic.* pag. 256. 257. et Moshemius ad *Cudworth*. II. p. 399. 400.

SECTIO II.

HIEROGRAPHIA ETRUSCA HABENDA EST, QUOAD MAXIMAM PARTEM, HYPERCRYPTICA, ALLEGORICA, LEXEOSCHEMATICA, BLASONICA, PARODIACA, NON MYTHICA ET FABULARIS.

Cap. I.

Hierographia Etrusca in Sigillis potissimum et Speculis habenda est Hypercryptica.

I. *Quid sit Hierologia alicuius Typi Theologici, et quae dicantur eius partes.*

Appellamus *Hierologiam* Syllogen et Systema omnium elementorum, quae ad aliquem Typum Theologicum spectant: Scilicet eius nomina, cognomina, characteres, potestates, munera, officia, symbola, hierogrammata, icones, simulacra, ornamenta, mythos et fabulas, et quascumque Historias Theologicas: Quae elementa Hierographica adsunt in pluribus Veterum Pantheonibus Indicis scilicet, Graecis, Romanis, et saepius Aegyptiis, Syris, etc.

II. *Quae Hierographia dicitur Cryptica.*

Illa scilicet, cuius *Typos* non plene et perfecte capimus animo, cuius *Typos* non possumus explicare, et referre ad Ideas certas statas claras, quiqui esse possit numerus elementorum, quibus Hierologia componatur et efficiatur: Etsi adsint Nomina, Cognomina, Symbola, Agalmata, Mythi singulis Typis divinis. Dicimusque has *Hierographias Crypticas*, quia Auctores earum certo artificio veritates Theologicas, et Dogmata sacra occuluisse tenendum est, et fecisse ut auditores et spectatores in incertis et confusis ideis obvolverentur et manerent.

III. *Omnes veteres Hierographiae, excepta nulla, Crypticae sunt.*

Nam nullus est *Typus* Theologicus alicuius veteris Panthei, Sinensis, puta, Indi, Syri, Palaestini, Aegyptii, Libyci, Atlantici, Dodonaei, Graeci, Romani,

Scandinavi, quem ex *Datis* praesentis Hermeneutices et Critices receptae et vulgatae clare et distincte capimus animo, et cuius *Hierologiam* per singulas partes certo explicare possumus, clarumque nexum et relationem inter nomina, cognomina, symbola, simulacra, mythos ostendere atque explicare valemus. Vide etiam initium *Praefationis nostrae*.

IV. *Hierographia Etrusca dicenda est Hypercryptica.*

Nam, ut iam innuimus, Typis Theologicis Graecorum, Romanorum, Indorum, et etiam Aegyptiorum sunt nomina plura, cognomina plura, officia munera plura nota, symbola plura, eaque clara et manifesta, sunt mythi, sunt fabulae; etc. quid horum omnium in *Etrusca* Hierographia? Nomina et Cognomina Deorum vel nulla, vel paucissima, munera et officia a certis Poëtis prolata fere nulla, Mythi et fabulae nullae, et quod gravius ipsa Hiero-Agalmata, ipsae Icones Deorum, ipsa Simulacra, ipsa Signa nuda spoliata symbolis claris et evidentibus characteribus, insignibus et criteriis carentia. Nonne ergo *Hierographia* haec *Hypercryptica* dicetur et longe obscurissima? At dices est attente considerandus Gestus, habitus Simulacri, manus, et potissimum capilli. Ita quidem omnino: et ideo *Hypercryptica* est, quia haec tenuia et obscurissima Symbola non possunt nisi a paucissimis animadverti, et a longe paucioribus intelligi atque explicari.

Cap. II.

Pleraque Dramata Hierographica Etruscorum respondere non possunt Mythis et Fabulis, neque patriis propriis idioethnicis, neque externis et heteroethnicis.

I. *Non patriis et idioethnicis.*

1. Primo, quia Collegia Sacerdotalia, et severe Aristocratica, ut fuerunt Etrusca, quemadmodum demonstratum est in *Tentam. Herm. Etrusc.* pag. 18. ad 25.: vel Mythos et Fabulas sacras plane ignorant, vel paucissimas tantum condunt. Nam Fabulae et Mythi inutiles sunt et inanes Sacerdotibus, eorumque fi-

liis, quibus ipsae veritates et Dogmata Theologica et Theoremata Sacra nuda et manifesta traduntur et explicantur. Populo autem et Plebi hoc in Regimine aspero et severo nec Dogmata ipsa, nec Fabulae Mythicae et Poeticae traduntur et communicantur, sed hi adsunt tantum Pompis sacris et ceremoniis mutis. Unde revera ortus mos Etruscus *Ludorum Pantomimicorum* et *mutorum*. Quamobrem Systema et Corpus insigne Fabularum Sacrarum et Mythicarum condi, formari, componi, servari, custodiri, adhiberi ab huiusmodi Collegiis Sacerdotalibus et militaribus impossibile est.

2. Secundo, quia nullum systema Mythicum potest condi et servari absque Bibliotheca Populari et communi, qua Etrusci caruerunt, ut adnotatum est in *Tentam. Herm. Etrusc.* pag. 55. 56. 57. Nullum Systema Mythicum haberi potest nisi innumeri Deorum Hymni et Odae canantur ad Populum, nisi plurima Sacra Carmina, nisi plurima Poëmata divina recitentur ad Plebem, et ab ea recipiantur et adoptentur. Atqui libri Etruscorum omnes arcani et incommunicabiles, nullusque ex eis Mythologicus.

3. Tertio, quia nulla series, nulla Sylloge Mythorum Etruscorum ad nos pervenit. Atqui si fuisset Etruscis Systema Mythicum Patrium et idioethnicum impossibile, quin ipsimet plures Fabulas suas non tradidissent et recitassent; impossibile, quin Graeci et Latini Fabularum Sacrarum amantissimi et studiosissimi non collegissent plures et tradidissent. Quod exemplo evidenti demonstratum. Nam unum plane unum Mythum Tagetis Etruscum certatim tradiderunt et praedicarunt Strabo, Cicero, Ovidius, Festus, Censorinus, Servius, Arnobius, Mart. Capella, aliique. Tum Vertumnus ille Etruscus ita Amythologicus, et Sacrarum Fabularum nudus transire ad Romanos debuit et diutissime permanere, ut Sulmonensis homo P. Ovidius Naso Saeculo primo Christiano ineunte, mythicas eius Nuptias primus condiderit et celebrarit in *Metamorphos.* Lib. XIV. v. 642. 650. etc.

4. Quarto, quia Etruscorum Lingua Aclisiaca fuit aorista et pavromorpha, ut demonstratum est in *Tentam. Herm. Etrusc.* pag. 57-61. et condere, propalare, servare systema Mythicum et Corpus Fabularum Sacrarum hac Lingua impossibile. Nam si huiusmodi Lingua est necessario obscura fallax ambigua, et Mythi vel in clarissima, plerolexica, et pleromorpha Lingua obscuri ambigui absurdi: Quis obsecro capere et tenere et servare has ambiguitates per ambiguissimam Linguam quivisset?

5. Quinto, quia Etrusci, ut paulo supra adnotatum est, in sua Hierographia fuerunt Oligosymbolici et Cryptosymbolici, sive *Hypercryptici*. Atqui omnis Hierographia Mythologica est Polysymbolica: atqui impossibile Hierographiam Oligosymbolicam esse Mythologicam: quum potissimum Mythorum artificium in usu Symbolorum sit positum: Et quisque scit Hierographiam Indicam, Graecam, Romanam fuisse Mythicam et Polysymbolicam.

6. Sexto, quia nemo adhuc ex pluribus Interpretibus Hierographiae Etruscae ne divinando quidem et coniiciendo valuit aliquot Mythos et Fabulas proprias Etruscorum promere et exhibere: ut patet ex operibus Bonarotae, Gorii, Passerii, Coltellinii, Lanzii, Vermigliolii, Inghiramii, qui aperte etiam quandoque et ingenue sunt fassi Graecas Fabulas se laboriosissime quaerere, quia Etruscae non suppeterent, quia nusquam Mythos Etruscos idioethnicos deprehendere et colligere ipsis licuisset, quia nulli essent.

II. *Non exterus atque heterocthnicis.*

1. Primo, quia in Regiminibus Aristocraticis severis, ut fuit Etruscum, adoptari, recipi, et probari Systema Mythicum *Heterocthnicum* impossibile; tum ob innatam Collegiorum Aristocraticorum et superbiam et summam philautiam, ob insuperabilem aversionem, et maximum adeo contemtum institutionum externarum, ut factum olim ab Aegyptiis, et fit modo a Brachmanibus Indis: tum ob acerrimam et pertinacissimam cu-

stodiam et reverentiam patriarum et idioethnicarum Institutionum : tum ob iustissimum timorem , ne patrii mores et adeo ipsum Regimen adoptione externae Institutionis penitus pessumdaretur.

2. Secundo quia non potest adoptari Systema Mythicum alicuius Gentis nisi adoptato Pantheo; sine quo Mythi non sunt ; nisi adoptata Lingua, et tota Bibliotheca externae Gentis Poetica et Mythologica. Nam Mythi et Fabulae sacrae colligendae sunt ex Hymnis Deorum, et ex Canticis et Poëmatibus Sacris. Atqui id numquam factum ab Etruscis fuit.

3. Tertio, quia, ut dictum est, Hierographia Etrusca fuit semper oligosymbolica, et propterea numquam vere et proprie Mythica : quum Hierographia Graeca Mythica sit Polysymbolica , ut aequum et necesse fuerat.

4. Quarto, quia Etrusci et Graeci fuerunt invicem *Heterodiaeti* et *Heteroglossi*, ut demonstratum est toto *Tentamin. Herm.* nostro *Etrusco*: et potissimum p.74-81.

5. Quinto, quia Etrusci et Graeci fuerunt etiam *Hetero-Panthei* : Nam 1. Etruscis fuerunt Dii Pataici, Hemiteles, Demiurgi, Arsenotheles, Evirati, Androgyni, Gemelli ; qui nulli fuerunt in *Pantheo* Hellenum proprio et Patrio, de quo hic loquimur. 2. Iupiter Saturnius , *Zeus* nempe, qui eiecto Patre Krono , et in Tartarum coniecto occupet Thronum Mundi nullus Etruscis : Sed his *Iupiter* sive Vulcanus Cabiricus fuit mens et anima Mundi ; summus opifex et artifex Rerum, ut testatur distincte Seneca *Quaest. Natur.* Libr. II. cap. 45. pag. 638. utque ipsi nos animadvertimus in *Pantheo*. 3. *Iuno* Saturnia sterilis zelotypa inquieta invida nulla Etruscis : ut nulla Venus meretrix et lasciva , sed una recepta *Venus-Juno* matronalis, pudica, Gamelia. 4. Nullus Etruscis *Mars* ferox , atrox , Mars Thracius et Samothracius, quem Hellenes contumeliis affecerunt, unis bellis occupatus et turpiter boans. Sed Rex Coelestis, Deus oracularis, Deus Strategicus, Deus rex, Deus Princeps. 5. Nulla Etruscis *Diana* vena-

trix succincta, cynegetica sagittifera montivaga. Et THANA Etrusca, si genuina scriptura est, Dea domestica tunicata, stolata, sphendonata, est Dea obstetrix, et Paedophylax, non venatrix, et cynegetica etc. etc.

6. Sexto, quia quocumque examine instituto, revera pleraque Monumenta Etrusca per Mythos et Fabulas Graecorum, vel sunt prorsus intractabilia et inexplicabilia; vel absurde et inepte explicantur, ut saepe factum ab illusis et obstinatis Interpretibus. Nam ex duabus vel tribus centuriis *Sigillorum* et Signorum Etruscorum, quae hactenus edita possumus utcumque indicare et colligere, Herculeis exceptis, vix aliquod est, vix unum est, quod mythice per Graecas Fabulas explices. Ex ducentis *Speculis* funebribus, vel editis, vel indicatis, sunt plusquam centum et quinquaginta strictissime Theologica, non Mythica, strictissime clausa inter Hexadem Cabiricam, per nullos mythos Graecorum explicabilia: scilicet in his *Speculis* exhibetur tantum Theologice vel Monas Cabirica, vel Dyas Cabirica sive Foeminea sive Mascula, Trias Cabirica, Tetras, Pentas, Hexas Cabirica: et saepe per profundas Parodias, ut adnotabimus loco suo. Ex quinquaginta Typis distinctis *Dramatum* funebrium, quos Etrusci adhibent, sunt saltem quadraginta patrii, proprii, liturgici, allegorici, et quos velle explicare per mythos Graecos fatuum esset opus, ut Dramata Funerum: Pompas funebres: Equitationes ad Tartarum: Fidem Sponsorum ad Tartarum: Mensas funebres: confossiones expiatorias ad Aras, Rotiferi, Palmiferi, Gorgoniferi etc. Ut Dramata Festorum laetorum turbatorum confusorum: Dramata Quadrigarum turbatarum et ruentium, et alia huiusmodi plurima quae idioethnicum artificium apertissime produnt.

Cap. III.

Plurima Hierodramata Etruscorum habenda sunt Dogmatica, Liturgica, Symbolica, Lexeoschematica, et saepe Blasonica.

Nam si *Mythica* plerumque non sunt, si *Historica* et cyrioschematica esse non possunt, utique esse saepius debent necessario vel *Liturgica* et expiatoria, vel Dogmatica et *Psychologica*, atque adeo *Allegorica*. Ita ex. gr. innumera illa Dramata Etruscorum funebria, quibus transfossiones, confossiones, et saepe *autocheiriae*; oppressiones, et violentae adgressiones expressae sunt factae et fictae fuerunt a Hierographis Etruscis ex duobus Dogmatibus Theologicis: Primo scilicet illo, quod edixit etiam Apostolus et Doctor Gentium scribens ad *Hebraeos* cap. 9. v. 22. *sine Sanguinis effusione non fit remissio*: quodque fuisse indictum olim omnibus Gentibus certum est: Alioque mitiore et pacatiore, quod scilicet etiam ficta, picta, dramatica confossione, transfossione, autocheiria, oppressione expiationem Animarum haberi, expurgationem peccatorum obtineri, et piis his et expiatoriis Dramatibus cineribus et ossibus tectis et obvolutis posse Animas in Elysios recipi et quiescere. Nam fictam liturgiam et simulatos ritus, et ceremonias adsimilatas saepe adhibitas fuisse et ratas, bonas, sanctas habitas ex Servio *ad Aen.* II. v. 136. III. v. 370. IV. v. 515. ex Festo in *Cervaria* pag. 76. ex S. Ambrosio in *Relat. Symmach.* pag. 329. et 330. et aliis constat. Praeterea si profundus Hierographus Etruscus elementum immortale et elementum mortale, quo Homines componuntur, et quorum mutua pugna perpetuo agitantur et tandem conficiuntur per duos gemellos Juvenes ex Cabirica traditione expresserit, et sese mutua pugna conficientes exhibuerit, inepte Interpres ad Thebas usque Boeoticas proficiscitur, ut inde excitet Gemellos filios Oedipi et Jocastae et in Etruriam adducat; quum contra certo tenendum sit totam Thebanam Tragoediam ex Dogmatibus Cabiricis effictam: Et pru-

dentissimus Hierographus Etruscus saepe uni ex Gemellis pugnantibus totam *Palmam* arborem *immortalitatis* et perennitatis Symbolum receptum pectori adposuit, ut veram Dramatis Allegorici significationem traderet: Quod Symbolum nec Inghiramius in *Monum. Etrusc.* Tom. I. Serie. I. Tav. 92. pag. 693. 694. nec ibi Lanzius, nec Gorius in *Mus. Etrusc.* Tab. 133. Tom. II. pag. 261. 262. capere et intelligere potuerunt. Quin tandem plurima funebria Etruscorum Dramata esse *Blasonica* et *Onomatoschematica* peculiari artificio condita pluribus suadere adnisi sumus in *Fundam. Hierograph. Crypt.* pag. 115. ad 124. Nam ubi *Dramata* haec attente considerantur, inexplicabilis quaedam absurditas et confusio elementorum Hierographicorum in eis deprehenditur: Quae confusio et mixtio dari non potest non modo in Dramatibus Cyrioschematicis, vel Mythicis, vel Historicis, sed ne in Allegoricis quidem et Symbolicis. Sed dari potest et debet, ubi condere volumus *Drama* unâ Religiosum et *Blasonicum*, unâ sacrum et Onomatoschematicum: Quod insuper ipso examine ipsa analysi Dramatum funebrium demonstrare in *Tentam. Herm. Etrusc.* Part. II. Sect. V. pag. 234. ad 251. adlaboravimus.

Cap. IV.

Plurima Dramata Etrusca habenda sunt Parodiaca; et subdolâ Sollertiâ elementa Graecae Hierographiae adhibita in eis fuisse tenendum est.

I. *Indicantur caussae, ob quas in Hierographiâ Etruscâ atque Hellenicâ aliquot elementa communia et similia deprehendantur.*

1. Causa prima *Pelasgismus* communis. Nam *Pelasgos* quadruplicis generis nempe *Arcadicos*, *Argivos*, *Atticos*, et *Tyrsenos* totam Graeciam, Thessaliam, Macedoniam, et Epirum habuisse; et inde ingentem eorum numerum maxime Arcadum et Tyrsenorum Italiam occupasse demonstratum est in *Tentam. Herm. Etrusco*

pag. 1. ad 32. Adeoque si necesse fuit servari tum in Graecia tum in Italia elementa Hierographiae Pelasgicae, utique necesse est servari elementa similia et communia in *Etrusca* atque *Hellenica Hierographia*. Ex quibus elementis fuisse potissimum *Hieroemblemata Tartarica* fere omnia, uti sunt *Gorgones*, *Medusae*, *Gryphi*, *Chimaerae*, *Sphynges*, *Pegasi*, *Hippocampi*, *Apri* feri, ex summa religione prisci *Cabirismi* dubitari non potest. Et ita quidem, ut aliquis Guarnaccius posset acriter contendere ex Etruria potius in Graeciam, quam ex Graecia in Etruriam haec *Hieroemblemata* commigrasse: Nam haec *Symbola* fere semper apud Graecos ita frigide, ita mythice adhibentur, tam nude saepius puras Fabulas ornant, ut religiosa Dogmata et sanctum Pietatis fundamentum vel numquam deprehendas vel difficillime; quum contra horum *Hieroemblematum* usus apud Etruscos semper manifeste pius, religiosus, et funebris deprehendatur.

2. Secunda causa fuit *Heraclidismus* communis. Nam utraque Gens *Etrusca* atque *Hellenica* cultrix fuit *Herculis* eximia, quaequae caussa atque origo ponatur huius *Heraclidismi*. Certumque est hunc sive Deum sive Semideum dici posse inter *Etruscos* unum fere *Mythicum*, et cuius plura sint Dramata, quae Mythis et Fabulis Sacris Graecorum respondent, ut ipsi nos Sect. V. cap. 4. *Panthei* ex certâ analysi comperiemus.

3. Tertia caussa fuit *Syncretismus* Graecorum Poëtarum et Hierographorum fere universalis, quo scilicet in Systema suum *Hierographicum* et *Cyclum Epicum* omnia fere elementa potiora *Hierographica*, quae inter veteres Gentes inveniebantur non *Graecas* tantum, sed Italicas etiam, et Asiaticas potissimum *Pelasgicas*, collecta fuerunt et composita. Nam qui putaret *Hierographiam* Graecam ex puro et nudo *Pantheo* originali et proprio *Hellenum* atque *Aeolensium* factam, prorsus erraret. Nam praeter Panthea *Pelasgorum* Idioethnica et characteristica, sunt adhuc Typi Martis Thracii, Veneris Cypriae, Apollinis Lycii, Hecates Cappado-

cis, Dianae Persicae, Bacchi Cadmonaei, Herculis Phoenicii fusi invicem et confusi et commixti, ut saepius monuimus, et adnotavimus.

4. Quarta causa fuit mira copia, mira varietas, summa opportunitas et praestantia *Hierographiae Graecae*: Adeo ut ex Tragicis et Hierographis Graecis quaequae exempla vellet petere Tuscus Hierographus tristia, gravia, horribilia, atrocia, sublimia, facile statim et in promtu haberet et seligeret.

5. Quinta causa fuit adoptio plena Literaturae atque Hierographiae Graecae quinto Urbis saeculo a Romanis peracta, iam Etruriae dominis, iam liberis Etruscis a severissimo et necessario iugo Hierographiae Hypercrypticae et Sacerdotalis: et qui iam possent saltem addere Nomina et Symbola Deorum: imo et si vellent absque ullo civili periculo possent Deos Romanos vel etiam Graecos Romae receptos venerari et colere, eorumque Hierographiam publice amplecti.

6. Si igitur in *Etrusca Hierographia* occurrunt clara certa evidentia Documenta Hierographiae Hellenicae, ob has quas diximus caussas inveniuntur. At primum est severissime disquirendum an Documentum Hierographicum Etruscum sit revera Hellenico simile: vel sit Idioethnicum et proprium: vel potius arguta et subdola sollertia detortum et concinnatum, ut mox dicemus.

II. *De subdola et fallaci imitatione Hierographiae Graecae, sive de Parodiismo Artificum Etruscorum.*

1. *Si dicendum est Hierographos Etruscos quoties Dramatibus suis vocabula apposuerunt Graecis similia et homiophona Graecas Fabulas et Mythos respexisse, atque expressisse, aeque dicendum est eos fuisse absurdi, inepti, et fatui ingenii.*

Nam Personarum characteres, forma, vestes, Symbola ita saepius discrepant ab illis, quae ex Graeco vel Mytho vel Exemplo potes exspectare, ut quo te vertas nescias: Etsi scias Mythorum et Fabularum circumstantias posse saepe graviter discrepare. Id prolixe et singillatim ostendere fines nobis praescripti ve-

tant, tot vero exempla adducemus, quot ad propositum hoc indicandum sint satis.

1. Pele: Et profecto si in Gemmâ Etruscâ Scarabaeomorphâ ingens Juvenis plane nudus inscriptus PELE conspicitur, qui ad Craterem pedatum vel stans vel genuflexus capillos suos prolixos et muliebres tractat vel exprimit madidos, quis, cedo, habere iure eum poterit *Peleum* Thessalum Thetydis Oceaninae virum, Achillis Patrem? Quid eruditio Winkelmanni et Lanzii potest iuvare, nisi ut magis magisque pateat absurditas Dramatis?

2. Tute: Nec TUTE, sive Tydeus, quae vox in aliis Gemmis Etruscis legitur, potest iure haberi ipse Thesprotus et Dodonacus Heros, vel quia prorsus nudus sese strigili purgat, vel quia depressus et genuflexus opem potius et aliorum auxilia implorare videtur, nullo Symbolo proprio et characteristico distinctus. Vid. Lanzi *Saggio* II. p. 147. 148. 151.

3. Uluxe, achele: In alia Etrusca Gemma apud Lanzium *Saggio* II. Tab. IX. 3. pag. 158. Gorium in *Mus. Etr.* I. Tab. 198. aliosque conspicitur Juvenis sedens, pallio inferiora tantum tectus, lanceam dextra tenens, caput corona radiata, eaque regia cinctus; coram stat Juvenis galeatus, scutatus, lanceatus, cetera plane nudus. Is autem inscribitur ACHELE, ille ULUXE, ut recte mea sententia legebat Maffeius, et non UTHUXE, ut mallet Lanzius. At quid, cedo, huic sive ULÚXE, sive UTHUXE Etrusco cum *Ulysse*, quem nos ex Graeca vel Romana Hierographia novimus? Quid poterit efficere hic Gorius vel Lanzius, ut *Ulyssem* habeamus? Atqui Lanzius *loc. cit.* pag. 158. 159. quum absurde transformasset Coronam regiam radiatam in Galeam instructam aprinis dentibus, de qua canit Homerus *Libr. X. Iliad.* v. 264. non vidit fecisse hunc ULUXE seminudum palliatum et pretiosa Sella sedentem prorsus ridiculum, et ad ipsum propositum Iliadis ineptum et absurdum. Nam adscribendum fuisset nomen TUTE non ACHELE: Tum Galea aprina erat Me-

rionis non Ulyxis, neque antea capiti eius imposita. Scilicet Drama Etruscum non congruit Mythis Hellenicis.

4. Aibas, achele. In aliis Etruscis Gemmis apud Lanzium *cit. loc.* pag. 160. 161. apud Inghiramium in *Galler. Omerica.* Tav. 13. etc. et alios, conspicitur vir barbatus, loricatus, galeatus, dextro genu humi posito sustinens Cadaver Juvenis sinistro humero impositum, ante eum procurrente parvo et minuto homine nudo. Supra cadaver adscriptum achele, pone virum aibas. Certatim Interpretes et Aiacem Telamonium in ore habent, et Achillem Thessalum Iliadis Heroem. At quid Drama Etruscum ad Aiacem et Achillem quos novimus ex Mythis et Fabulis Graecis?

5. Amphthiare, atresthe etc. etc. Cui porro ignota Gemma illa insignis Etrusca, qua inscripti quinque ex septem Thebanis Heroibus: scilicet amphtiare, phulnices, tute, atresthe, parthanapae; et quam descripserunt, ediderunt, illustrarunt Antoniolus, Carlius, Guarnaccius, Lanzius, Winkelmannius, Fea, aliique plures? Atqui ex quinque Heroibus Thebanis tres in Gemma sedent comati et palliati, duo stant loricati scutati lanceati et imberbes, omnes quasi tristissima calamitate pressi profunda meditatione detineri videntur. Atqui in Conciliis bellicis nec palliati milites adveniunt, nec silentio vel meditatione Fakirica iuvare partes susceptas conantur. Tum in Bello Thebano Mythologorum Graecorum Adrastus Rex iam senex et grandaevus est mens centrum et auctor potissimus Belli, et omnis motus civilis: ubi hic in Gemma atreste est adolescens postremo loco relegatus. *Amphiaraus* absurde corruptus in *Amphtiare* in Mythis Graecorum detrectat pugnam, fugit bellum, at hic sedet princeps et centrum meditantum et cogitantum.

6. Umaile, echse. Ita in Speculo Etrusco funebri, quod edidit Bonarota ad Dempster I. Tab. 38. et quo pura et nuda tetras *Cabirica* exhibetur facta a Dioscuris Gemellis et Sororibus Gemellis Venere et

Adrastia, si nos cum Passerio *Eumelum* Thessalum et *Alcesten* quaerimus: vel illud ECHSE in *Herculem* corrumpimus cum eodem Passerio in *Paralipom.* pag. 72. et aliis Interpretibus plane desipimus, et Etruscum monumentum minime explicamus, quod iam etiam Lanzius sensit in *Saggio* II. p. 234.

7. MELACRE, MENLE. In alio Speculo funebri, quod edidit idem Bonarota ad *Dempst.* Tab. 7. et Lanzius *Saggio* II. Tab. XI. 5. pag. 224. duo Gemelli nudi et duo vestiti conspiciuntur, ex quibus nudi inscribuntur CASTUR et PULTUKE, ex vestitis, qui medius sedet cogitabundus inscribitur MELACRE, gemellus rectus MENLE. At quid, obsecro, Drama hoc ad *Aprum Calydonium*, quid ad Oeniadas, quid hic *Meleager* et Atalanta? Quid haec ad morientem Etruscum? Nam Speculum funebre, et in Urna defuncti inventum?

8. URSTE, PULUCTRE, CLUTMSTÁ. In Dramate Urnae funebris, quod ediderunt Micalius in *Mon. Ital.* 1810. Tav. 47. et Inghiramius in *Mon. Etr. Ser.* VI. Tav. A. 2. conspicitur Juvenis, qui Mulierem prolapsam, et quae dicitur CLUTMSTA confodit: Hinc ara cubica est, in quo Juvenes duo pares genu imposito sese autocheiria transfodere attentant, quorum unus dicitur URSTE, alter PULUCTRE: Ex ima Tellure prodit Furia facifera, et Charunus Malleoforus, inscriptus CHARUN. Inde est alia ara, qua se plures autocheiria transfodiunt, lemmate adiecto: ACNES PRIUMNES. Interpretes certatim et *Clytemnestram*, et *Orestem*, et *Pyladen* adducunt. At quid, obsecro, haec ad illum *Orestem*, quem ex omnibus Mythis et Tragoediis Graecis novimus? Quis *Pyladem* in *Poluctre*, quis *Clytemnestram* in *Clutmsta* potuit corrumpere et depravare?

III. *Si absurda et inepta non fuerunt ingenia Etruscis Hierographis necessario sollertia est eis tribuenda, qua per Homiophonias subdolas et polydynamicas potuissent et capere et fallere plures.*

Nam data hac sollertia, dato hoc *Parodiismo* vocabulorum Hierographicorum data est plena Problema-

tis solutio. 1. Primo quia plana haec via, facilis, prona. 2. Secundo, quia sic servabantur plene Dogmata Patria Cabirica, nec minimum per externas Fabulas corrumpebantur. 3. Xenophili fallebantur, amici Graecorum nominum homiophonia decepti tenebantur, et hoc satis et magnum Etrusco Hierographo, qui Graecam et Romanam Theologiam praeferre Patriae non poterat. Hoc insuper Parodiismo dato nulla necessitas otioso et crasso Sacerdoti evolvendi Tragoedias Euripidis et Sophoclis, nulla necessitas profundi studii in Cyclo mythico Poëtarum veterum: Satis elementa Linguae Sacrae suae Paternae Noachicae et Polydynamicae: Per quas Polydynamicas Homiophonias Sollertia Hierographi potissimum apparebat.

IV. *Haec sollertia subdola, haec Hierographia Parodiaca in Regiminibus Aristocraticis et factis Xenocraticis, ut fuit Etruscum a quinto Romae Saeculo facile et necessario gignitur et viget.*

Nam ex una parte *Hierographi Aristocratici* omnia externa Instituta potissimum Theologica acerrime oderunt, et contemnunt. Impossibile *Hierographum Aristocraticum* ita Mythos ita Fabulas externas, ita Linguam, ita Lexica, ita Bibliothecam externae Gentis colere et addiscere ut Dramata et Iconogrammata plane homodoxa condat et componat. At ex alia parte *Hierographus Xenocraticus* oculum etiam habebit ad Pantheum Dominorum suorum externorum, et seliget saltem *Nomina*, quae Diis et Heroibus externis Homiophona sunt et similia: unde huiusmodi *Parodiismus* subdolus necessario exoritur. Vide *Tentam. Herm. Etr.* pag. 18. ad 32.

V. *Breviter explicantur Parodiae Etruscae paulo supra indicatae.*

1. Pele. Et omnino si PELE BELE est a בול BUL יבל IBL *fluxus effluxus*, si בלל BLL PELE est *tinxit* intinxit, madefecit, quidni Hierographus Etruscus non exsculpsisset Fontem et Craterem aquarum יבל IUBL, et non fecisset PELE lavantem et madefacientem בלל BLL *Capillos* suos? Lusit in *Nomine*, et Polydynami *Nominis*.

2. Tute. *Tute* Etruscorum vel *Strigili* טא-טא tha-tha *abstergit* maculas, everrit sordes: vel procidit et procumbit תחת tct tht tuht: Scilicet agit Hierographice, quod significat onomastice. Nomina et facta sibi respondent.

3. Uluxe, achele. *Uluxe* est habitu Regis et imperantis, quia est ulu-xue, scilicet ולה-צוה, ule-tzue qui ילה, ile, ule *imperat*, *gubernat*, moderatur, et צוה tzue *mandat* et *praecipit*: Achele vero armatus est quia est חלל cll acll *confossor* perfossor, חיל cll, achil *fortis*, *robustus*, instructus כלי, kli acli *Achille Armis* et instrumentis bellicis.

4. Aibas, achele. Ita Miles ille barbatus et galeatus, qui *Cadaver* humero gestat et dicitur aibas, non est Aiax Hellenicus neque Telamonius, neque Oileus factus per Etrusci oris corruptionem absurdam: Sed est miles, qui portat rem באש bas abas אבש abs, *tristem foetidam* male olentem, עבש obs aibas *corruptioni* et putredini obnoxiam, nempe *Cadaver*: quod semper est Etruscis aibas: achele vero est חיל cil acil *vis vivida robur* hominis Psyche *anima* ipsa quae celerrime ante *cadaver* immotum et frigidum nuda procurrit, haec achele.

5. *Quinque Heroes* in Gemma. Hi sunt *Heroes*, sed Etrusci, sed Haruspices, Divini, sunt Fulguriatores, sunt Contemplatores auguriorum, et qui modo palliati modo armati, utpote Sacerdotes et Duces, Coeli et Mundi Templa contemplant. Ex his primus est amph-thiare, nempe qui טיר thir thiare *auguratur*, auguria ducit ab אפפ aphph, amph a *circumstantibus* obiectis, a Templo statuto, a *Circulo* אפפ aphph amph circumducto. 2. Alter est pulnike, qui a נץ ntz nice a *volatu*, ab *avibus*, פלל pll pul *auguratur*, a *praepetis omine pennae*. 3. Tertius est parthanapae sive פרת prt *Princeps* praecipuus, נביא nbia *Vatum* divinorum *Prophetarum*. 4. Quartus est atresthe qui טיר thir auguria, auspicia שות sut *ponit*, statuit. 5. Quintus tute, qui תאה-תאה tae tae, *definit* determinat Templa loca contemplanda.

6. Umaile, echse. Quod si unus ex Dioscuris Cabiricis in Speculo edito a Bonarota dicitur umaile, dicitur quia est עמל oml *aerumnosus* miseriis pressus, vel laborans operans demiurgus, ut erat unus ex Gemellis Cabiricis : Alter vero dicitur אח-שוה ac-sue *fratrem desiderans fratrem amans*, אח-סוע ac-suo *fratrem iuvans* opitulans, ut erat alter Cabiricus Gemellus : puta *Bacchus* et *Apollo*, et sivis *Castor* et *Pollux* ; de quibus opportune canebat Virgilius *Aen.* VI. v. 121. « *Si Fratrem Pollux alterna morte redemit* » etc.

7. Melacre, menle. Et ideo haud mirabimur, si unum ex intimis Penatibus Cabiricis meditantem dictum inveniemus מלך-רעה mlk-roe melac-re *Regem meditantem*, Regem cogitantem, et si Cabirus Gemellus dicitur menle, nempe מ-נלה m-nle, qui *perficit absolvit* consumat opus, quia nempe Demiurgus et conditor, ut monebimus paulo post.

8. Urste, puluctre, clutmsta. In hoc Dramate Clytemnestra est חלות-מצא clut-mtza *Dolores inveniens* : vel clu-tm-sta : scilicet סות sut *fallax* deceptrix, tm תמ *absumta* perdita, clu חלל cll *transfossione* : urste est qui poenitentia peccati ductus רצה rtze urtse *vult cupit* sese רצע rtzo ursto *transfodere* confodere: quod facere etiam vult socius alter puluc-tre בלח-תרי blc-tri *insanus alter*, furiosus secundus ; vel פלח-תרי plc-tri scissor conscissor *perfossor alter*. In aliâ arâ autocheireiorum inscriptum acnes sive ipsum כנס kns *congregatio* societas, priumnes, nas-prium, נאס-פרימה nas-prime, *humanarum* victimarum, sacrificiorum humanorum, ut vidimus in *Tent. Herm. Etr.* pag. 168. Hierographus ergo Etruscus fundum et quasi elementum Mythi Graeci adsumens Dogmata sua et Etyma sua ex Lingua sacra scite apposuit et aptavit.

VI. *Explicatur prolixior Parodia Iliaca Etrusci Hierographi.*

In Speculo Etrusco funebri omnium hactenus inventorum maximo, quodque editum fuit in *Monum. Ine-*

dit. Instit. Arch. Roman. 1834. Tom. II. Tab. 9. et leviter ab Oriolio indicatum in *Annali* 1834. Tom. VI. pag. 180. media et quasi in centro Dramatis conspicitur Mulier tunicata, palliata, crepidata, torquata, Pileo Phrygio caput tecta, nobili sella sedens, pedibus etiam scabello impositis, et inscripta ELINAI, sive *Helena*, quae Proserpina est, quae *Psyche* est, Typus humanae *Animae* הלל ELL *lucidae* splendentis, נאי NAI *pulchrae* formosae, quae destinata sponsa Regi *Baccho* Demiurgo, Deo MENLE מ-נלה, M-NLE *perfectori* consumatori: Qui revera est iuxta hanc *Helenam* ad sinistram ille Juvenis pallio semitectus, qui sinistra lanceam, dextra insignem *Craterem* tenet tum Demiurgiae tum Sapientiae: at quasi reiectus et remotus non attingitur, et dicitur MENLE, qui est etiam MENLE Graecorum, quem *Helena* reliquit et sprevit. Juxta hunc MENLE est vir ingens hispidus barbatus crepidatus peramplo pallio tum inferiora tum caput etiam tectus et inscriptus ACHMEMRUN nomine *Agamemnonis* Parodiaco. Atqui is et *Helena* dextras sibi porrigunt et stringunt: Et ACHMEMRUN est מרון MRUN *Rex Princeps* אכמי *tristium*, *dolentium*, moerentium, nigrorum, nempe *mortuorum* et Defunctorum: Nam *Helena* sive *Psyche* reiecto *Menelao* sive *Baccho* Protogono Demiurgo, Regi Tartarico obnubit, Regi mortuorum fit sponsa, vel potius ipsa ut satius paulo post, Homini mortali coniuncta nempe *Paridi* post fata sua ad Tartarum pergit, et sponsa fit Dei Tartarici, quod fatum *Helenae* Parca *Adrastia* dicta LASA IMRAE, quae מאר-מרי MAR-MRI, *exarat amara tristia*, pone Regem hunc Tartaricum collocata nuda torquata, alata, dextra vas atramentarium vel coloris scriptorii, dextra Graphium vel stilum habens est iam scriptura. At ex alia parte nempe ad dexteram ELINAI dorso converso abit pulcher adolescens nudus dextra lanceam tantum habens, et palliolum per humeros iniectum erubescentis et quasi poenitentis habitu: is Typus *Corporis* et formae humanae, quam *Psyche* sive *Helena* deperit dicitur ELCHSNTER sive *Alexander*

Paris, is nempe qui לחש LCS *incantamenta praestigias* נצר NTZR נטר NTER *servat habet*, per quas *Helena* Menelaum relinquit et eum sequitur. Sed et hunc *Helena Psyche* ob senectutem et mortem reiicit et relinquit: quia ipsa ad Tartarum abit, et *Homo* qui *Paride* et *Alexandro* significatur in sepulcro clauditur. At in Rerum αποκαταστασι redituros est hic *Paris* et restituendus, unde Dea Philanthropa et averrunca MEAN מנע MNO מנעין MNOIN *Torquem averruncum* vult collo *Paridis* apponere, ut futurae suae restaurationis et restitutionis faceret conscium, cuius Symbolum *Hinnulus* צבי TZBI Deae genitalis et *Bacchi acruti* et futuri, ut dicemus iterum in *Vasis*, socius. Quam *Palingenesiam* AIBAS tandem claudit sive humani *corporis* et *cadaveris* Symbolum quasi e sepulcro sese erigentis. Nec leve ad rem est sollertem Hierographum addidisse *Venerem Protogonam* chaoticam ex floris Calice emergentem adhuc hemitelem et nudam, sed stilo scriptorio et ampulla Fatorum instructam adiecto Nomine LASA RAGUNETA, sive *Lasa elementaris*, *Lasa* elementorum genitalis, et adeo malorum et damnorum quae ex nativitate sunt oritura principium et fons; quod iterum p. 56. adnotabimus.

TENTAMINUM HIEROGRAPHICORUM PARS SECUNDA:

ELEMENTA PANTHEI VETERUM ETRUSCORUM.

SECTIO I.

DII ETRUSCORUM CHAOTICI ET COSMOGONICI.

CAP. I.

Dii Etruscorum Chaotici et Vasiformes, Hemiteles, Semipisces.

I. *Dii Etruscorum Chaotici et Vasiformes.*

Vasa generis varii apud omnes veteres Gentes illustriores fuisse Symbola et signa divinarum et sacrarum Rerum nemo poterit ignorare, qui in veterum Philosophorum, Mythologorum, et Poëtarum lectione versatus est. Nam tum *Crateris* et *Cantkari Bacchici*, vel *Scyphi Herculei* et *Solaris*: vel *Vasorum Canopicorum*: Tum *Craterum Psychogonicorum Cosmogonicorum Demiurgicorum* frequens apud eos mentio et argumentum occurrit. Quorum testimonia iam collegit Jablonskius quoad *Canopos* in *Panth. Aegyptio* Libr. III. Lobekius in *Aglaophamo*, quoad *Orphicos Cratere:* Creuzerus, quoad haec ipsa *Vasa*, et reliqua *Bacchica* in suo *Dionyso*. Atqui ex pluribus sepulcris Etruscis potissimum Clusinis multa Vasa effossa sunt *Canopis* Aegyptiis valde similia, utpote quibus Ollaris et globosa forma est, et Caput humano simile adpositum. Elegantiores sunt *Canopi* Aegyptii, literati Hieroglyphici, figuraque humana saepius aperte foeminea: Rudiores Etrusci, agrapti, Caput virili simile, additaque brachia saepius mobilia per catenulas adnexa. De natura et significatione *Canoporum* Aegyptiorum leviter et supine egisse Jablonskium minime mi-

rum, quia in universa fere oeconomia Aegyptiae Theologiae non videbat nisi Nilum et Solem, sed mirari potius subit, quomodo Creuzerus in 300. paginis *Dionysi* sui nil habeat quod teneas. At si attente ipsa haec *Vasa*, consideramus, si anaglypha adsculpta, et super *Crateribus* Veterum *Cosmogonicis* meditamur, facile sentiemus non potuisse per *Canopum* significari nisi ipsum *Chaos* initiale, ipsum Rerum Statum antedemiurgicum. Nam ipsum *Chaos* non potuit rectius quam per aquae *Hydriam* exprimi; et Divinus Spiritus ei quasi incubans per humanum Caput. Quin si in tenui et angusta *Hierographia Etrusca* datum non est chronicam *Chaeos* explicationem per explicationem formarum *Canoporum* aperte exprimi, possumus id adsequi in *Hierographia Aegyptia* longe copiosiore, qua facile colligimus *Canopos* alios, quibus membra iam efformari incipiunt et dignosci, et hinc paullatim discerni, separari, et formari pergunt, quasi gallinaceus pullus in ovo; quorum *Canoporum*, qui aliqua exempla videre vult adeat Kircheri *Oedip*. Tom. III. pag. 435. ad 452. et Academ. Hercul. in Tom. II. *Bronzi* p. 352. 353. etc. Ut autem naturam *Canoporum Cabiricorum* satius intelligamus, quia haec *vasa* ad unum Pantheum *Cabiricum* ex origine potuerunt spectare, animadvertendum est non unum numero Spiritum et Divinum Ens *Chao* initiali immixtum Veteres reputasse. Sed post primum et plane archaeotaton Parentem *Vulcanum* et *Cabiram* maximam, quae Isis fuit Aegyptiis, Athergatis Syris, Cybele Phrygibus, Bavani Indis, fuerunt etiam Filii duo, Gemelli duo, Penates intimi duo, Dioscuri duo, et adeo et ipsi informes in *Chao*, et qui non potuerint nisi per *Amphoras*, *Ollas*, *Canopos* exprimi et significari; ex quo factum, ut quamvis non frequenter, occurrant tamen in Monumentis Aegyptiis *Canopi* duo plane *gemelli*, ut in Laconicis, et Samothraciis monumentis *Amphorae* duae *Gemellae* conspiciantur Symbola certissima *Dioscurorum Gemellorum*, qui quandoque sunt etiam adiecti, v. *Act. Acad.*

Inscript. Tom. I. *Histoir.* pag. 294. 295. Montfaucon *Ant. Expl. Suppl.* Tom. I. pag. 188. Maffei *Mus. Veronens.* Tab. I. pag. XLVII. Ad quos Dioscuros Gemellos, Typos prorsus characteristicos Panthei *Cabirici*, referri *Canopos* Etruscos; ex eorum virili specie et maxime ex *brachiis* et manibus, ut animadvertemus paulo post, certo colligimus. Horum autem *Dioscurorum Gemellorum* Nomina in hoc Chaotico et *Vasiformi* statu vel nulla vel prorsus arcana et omnibus Scriptoribus ignota, ut possumus certo colligere ex pavone et summa brevitate, qua Dionysius Halic. Lib. I. pag. 54. 55. et omnes reliqui, de his Diis sive Romanis sive Laviniensibus sive Albanis sive etiam Samothraciis et Graecis loquuntur et agunt. *Canoporum* autem *Etruscorum* Ectypa edita sunt ab Inghiramio in *Monum. Etrusc.* Serie VI. Tav. G. 5. Dorowio in *Voyag. Archeolog.* Tab. V. Micalio in *Monum. Italic.* 1832. Tav. 14. 15. in *Memor. Archeol. Rom.* T. IV. Tav. 6. In *Museo Chiusin.* Tom. I. Tav. 43. 67. etc. De *Chao* autem et primitivo Rerum statu Cosmogonico plura collegerunt Grotius et Conringius *de veritate Relig. Christianae* Libr. I. Windetus de *vita functor. statu* pag. 46-54. Burnetus in *Theor. Tellur. sacra* Lib. II cap. 7. Cudworthus et Moshemius in *System. intellect.* cap. IV. Mazochius in *Spicileg. Biblic.* T. I. et alii quam plures.

II. *Dii Etruscorum Chaotici et hemiteles.*

In *Hierographia* multarum Veterum Gentium Dii earum magni videntur saepe quasi prodire et emergere, vel sedere et manere in Calicibus Florum, vel Plantarum palustrium, et formâ saepe et statura non integrâ. Ita in Loto Brahma Indicus, et Budda Transgangeticus, et Puzza Sinensis in arbore ipsa, in Loto Isis, Harpocrates, et Osiris; in Planta Diana Ephesia, et Caput vel Protome mulieris pulcherrimae Veneris nempe Genitalis in floribus et ex floribus et plantis palustribus expingitur in Vasis innumeris Mythographis sepulcralibus. Quibus Symbolis expressos Deos

Chaocratores et *Cosmogonicos* dubitari non potest. Nam nil satius, quam *Plantâ* aquaticâ *Loto*, *Tamara*, *Nenuphare* statum Mundi Chaoticum significari, quo tantum colluvies aquarum est, sine qua hae Plantae non sunt: Tum semina Rerum, quae λογους σπερματικους appellabant Stoici, aeque significant Flores *Loti* seminiferi. Nil satius quam Figurâ hemitele, et quasi emersione vel insessione Dei in *Flore* vel Planta aquatica tum eius accessio ad foecundandum *Chaos*, tum foecundatio iam peracta et Chaocratia Dei manifesto exprimitur et significatur. Sed accedamus ad ipsa Monumenta. In signo aereo Etrusco quod edidit Gorius in *Mus. Etr.* Tom. I. Tab. 69. conspicitur pulcra Mulier, alata, pileata, quae sinum factum ex Chlamyde omni fructuum genere repletum utraque manu sustinet, ipsa ex ingenti Calice facto ex foliis Acanthi mollis usque ad media femora prodiens. Idem Gorius Tom. II. pag. 159. nescio quam Nympham Dryadem in Etrusco Signo agnoscere malebat; at nec Dryades Graecorum fuerunt pancarpae, nec emergere credebantur ex Floribus, nec Etruscis fuisse Dryades aliquis demonstravit. At signo Etrusco exprimitur *Venus* archaeotata, *Fortuna* Italorum Pancarpa, quasi per suum Spiritum *Chao* iam foecundato, unde omnium bonorum fructuum sinum in Hominum commodum oriens educit. 2. Quae ipsa *Venus* Pancarpa agnoscenda est in Protome aerea Herculanensi, quam Academici *Bronzi* Tom. I. Tab. X. pag. 47. 48. expresserunt et descripserunt. Nam et sinum Pancarpum gestat, et emergit, vel utcumque imposita est foliis Acanthi mollis, artificio et ornatibus evidenter Etruscis. Dolet Academicos nostros fecisse eam *Pomonam*. Nam Dea ista auctore Ovidio Nasone non Etrusca Dea est, sed Latina Hamadryas in *Metam.* Libr. XIV. v. 623. 3. Praeterea Mulier alata, torquata, calceata, et prorsus nuda, quae modo ex calice floris ortam fuisse et emersisse videtur, toto adhuc sinistro crure in calice latente, quae phyalam in sinistra manu gerit, stilum scriptorium in

dextera; adiecto Lemmate: LASA RACUNETA, ut conspicitur in manubrio Speculi funebris in *Monum. inedit. Instit. Archeol. Rom.* Tom.II. Tav.6 an.1834., ut diximus p.51. nulla esse potest nisi Dea Proarchica et *Chaocratica*. Nam, ut dicemus Sect. III. cap.3. *Phyala* et *Stilus* Scriptorius sunt Symbola Parcarum Etruscarum maximarum et necessario Chaoticarum: Tum vis et potestas Lemmatis adposita certa et manifesta. Nam LASA, ut dicetur satius loco suo, non male respondet Latinae PARCAE, et RACUNETA est plane Arabicum רכנת RENT *elementaris*, *hylica*, *angularis*, Venus Genitalis, Isis elementorum domina. 4. Hinc in signo Etrusco aereo quod edidit Gorius in *Mus.* I. Tab. 60. 4. quo exhibetur Protome Senis pinguis, nudi, barbati, calvi, alati, qui utramque manum impositam habet magno ventri, ipsa protome quasi emergente ex foliis Acanthi mollis, et imposita ingenti pede Leonis *Chaoticum* atque Etruscum *Vertumnum* agnoscemus. Nam quum Deus hic Etruscus, de quo singillatim egerunt Ovidius *Metam.* XIV. v. 620. et Propertius Libr.IV. Eleg. 2. pag.733. fuisset intima natura sua Myriomorphus vel potius Pasimorphus, et omnes Typi divini Pasimorphici sint necessario *Chaotici* et *Chaocratici*, quia in *Chao* et nulla certa et omnes formae incertae extitisse putantur, palam est eum habendum Deum *Chaoticum* et Cosmogonicum. Atqui in Protome ista aerea alae, nuditas, obesitas, et quasi Ollaris et Canopica rotunditas ventris, hemitelismus, folia Acanthi mollis sunt Symbola certa *Chaeos* initialis, et Dei propterea *Chaocratici* et *Cosmogonici* nempe *Vertumni*.

III. *Dii Etruscorum Chaotici et Semipisces.*

1. *Venus Chaotica Etruscorum Semipiscis.*

Gorius in *Mus. Etr.* Tom. I. Tab. 76. Caylus in *Recueil* Tom. III. Tabl.50. et IV. Tab.30. Vermigliolius in *Bronzi Etrusc.* Tab. 8. Inghiramius in *Monum. Etrus. Serie* III. Tav. 24. Gerhard in *Monum. ined. Archeol. Roman.* Tom. I. Tav. 18. etc. ediderunt plura Sigilla Etrusca, quibus Mulier Semipiscis, ipsa quae

Horatio canente « *Desinit in Piscem Mulier formosa superne* » : Et quae non potest esse nisi *Athergatis* et *Derceto* Syrorum et Palaestinorum celeberrima simili fere modo hierographice expressa. Vid. Selden. de Diis Syr. pag. 194. 195. et Beyerum pag. 302. Et si Graeci Hierographi Venerem suam Cypriam ita monstrosam non expresserunt, saepius tamen Delphinum sive Piscem insignem Agalmati addiderunt. Quod Symbolum si quis traditum *Veneri* putaret unice quod in Bello Typhonico « *Pisce Venus latuit* » Ovidio canente V. *Metam.* v. 131. vel quod in « *Piscem sese Cytherea novavit* » canente Manilio IV. v. 580. prorsus erraret: Nam Venus Syra et Euphrataea ex Ovo suo Cosmogonico per Pisces exclusa tradebatur, teste Hygino *Fab.* 196. Ampelio cap. 21. aliisque, ita ut acute Manilius adhibuerit vocem *novavit*, quasi a Venere resumta fuisset in Bello Typhonico forma Chaotica et originalis.

2. *Mars Etruscorum Chaoticus Semipiscis.*

In Gemma Etrusca, quam ediderunt Gorius in *Museo* Tom. I. Tab. 199. Lanzius *Saggio* II. Tab. VIII. 3. aliique, conspicitur vir barbatus, galeatus, scutatus, hastatus, a genitalibus deinceps desinens in piscem et quasi in mari natans pronus : addito Lemmate MI PAPAS. Idem Gorius Tom. II. pag. 436. habuit hunc *Semipiscem* quasi unum ex Tyrsenis, quos Fabulae Graecorum in Delphinos transformaverant. Sed temere. Nam quis credat Hierographos Etruscos calumniosam Graecorum fabellam in contemtum et odium Tyrsenicae Gentis fictam, voluisse aeternitati tradere ipsi, qui illustria et magna Tyrsenorum gesta numquam nec scripto attingerent, nec Hierographice exhiberent? Ubi porro Bacchus transformationis auctor? Lanzius *Oper. cit.* pag. 143. 144. iure reiecta Gorii opinione putavit exhiberi in Gemma Glaucum Hellenicum Navis Argoae architectum et Gubernatorem, quem quum cecidisset in pugna cum Tyrsenis ad Insulas Thraciae sub Jasone Duce Jupiter convertit in θαλαττιον Δαιμονα:

ut Athenaeus scribit Lib. VII. pag. 296. Sed aeque falso. Nam neque haec Metamorphosis nomini Tyrsenico vehementer iniuriosa potuit a Tyrseno Hierographo celebrari, neque ita trunca et imperfecta exhiberi. Quamobrem si Hierogramma Etruscum habendum est per se integrum et perfectum, si Typi divini masculi *Semipisces* fuerunt praestantissimis Gentibus, cum quibus diutissime convixerunt Etrusci, si fuit Semipiscis Oannes Babyloniis, Odacon Chaldaeis, Dagon Palaestinis, Visnu quandoque Indis: de quibus egerunt Vossius, Seldenus, Beyerus, Kircherus, Carpzovius, Paulinus a S. Bartholomeo, aliique: Si Venus Etrusca Semipiscis, ut modo demonstravimus: si Typis foemineis necessario respondent masculini in Veteribus Pantheis, et legitimus vir Veneris Cabiricae Mars est dicendus, ut iam in Disquis. Hierograph. p. 7. 8. animadvertimus, utique satius et melius in hoc Milite *Semipisce* Etruscum *Martem* adhuc *Chaoticum* et Archaeogonum agnoscemus, qui iure dicitur MI hic ipse, PE-פה partes, membra mundi elementa פשה PSE PAS extendens, expandans, producens.

CAP. II.

Dii Etruscorum Chaotici et Pataici.

I. *Deus Etruscorum Chaoticus Pataicus et Arsenothelys.*

In Speculis funebribus Etruscorum conspicitur quandoque Figura humana virili barba et foemineo sexu, vel foeminea forma et virili fascino; instructa ingentibus alis et quasi quadruplicibus, pileolo Phrygio caput, calceis pedes tecta; membrisque omnibus non tam deformibus quam informibus, non tam turpibus, quam inconditis atque imperfectis: ut videre est apud Schiassium de *Pateris* Tab. XI. et Inghiramium in *Monum. Etrusc. Serie* II. Tav. 12. 13. 52. 53. etc. Schiassius, si recte memini, neque ex sententia propria neque ex sententia Biancanii, quam ad singula Specula adponit,

de hac *Figura* aliquid statuit et demonstravit. Inghiramius vero contentus dixisse habendam *Fortunam barbatam* ad alia transiit. Nos autem animadvertentes hanc *Figurae* abnormitatem non ex mera Artificis imperitia ortam, sed omnino systematicam et voluntariam esse habendam, animoque reputantes Formarum vacuitatem vel abnormitatem nonnisi primitivo et *Chaotico* Rerum statui posse convenire: *Figura* istà informi et arsenothely *Spiritum* illum divinum infusum *Chao* informi, ut semina masculina et foeminina vivificaret, foecundaret, explicaret, coniungeret, expressum esse tenemus: Scilicet illum ipsum AMOREM et Ερωτα initialem et Archaeotatum, quem *Chao* infusum reputarunt Hesiodus, Acusilaus, Parmenides, Pseudo-Orpheus, Aristophanes, aliique veteres viri praestantissimi: Illum ipsum quem doctus et profundus Simmias Rhodius descripsit in Πτερυγαις haud ab isto Etrusco discrepantem, utpote qui etiam esset nudus, alatus, barbatus, arsenothelys, et forma ac statura abnormi et pataica: Quem *Chaoticum* et Chaocraticum AMOREM dicemus etiam *Vulcanum*, non minutum illum et claudum Artificem Graecorum, sed *Vulcanum* ingentem Cabiricum et ipsum *Phta* Phoenicum atque Aegyptiorum. Nam nec *Vulcanus* sive *Phta* archaeotatus harum Gentium potuit esse alius ab *Amore Cosmogonico* et *Chaocratico* Mythologorum et Philosophorum, et forma Pataica congruit, ut quisque potest facile ex Kircheri *Oedipo* II. et III. ac Jablonski *Panth. Aegypt.* Tom. I. pag. 29. 30. aliisque, qui de *Diis Pataicis* prolixe egerunt facile colligere. Quin etiamsi Poëtae Latini *Vulcanum* Romanorum quasi ipsum Hellenicum descripsissent verum et Idioethnicum *Vulcanum* Romanorum ipsum Cabiricum et hunc Etruscum fuisse tenendum est, tum quia Pantheum fundamentale Romanorum fuit Cabiricum, tum quia praesto sunt Inscriptiones authenticae in *Thes. Gruteri*, *Reinesii*, et *Muratorii*, ex quibus manifesto colligitur *Vulcanum* sive MULCIBERUM Romanum fuisse unum ex Classicis et fun-

damentalibus Diis, ut iam innuimus pag. 5. 6. : Quomodo autem Etrusci appellaverint Deum hunc archaeotatum et *Pataicum* notum hactenus non est. Nam SETHLANS, ut dicetur deinceps, est *Demiurgus* iunior et *Neo-Vulcanus*. Apud Samothraces vero fratres Etruscorum appellatum fuisse AXIEROS mihi probabile est; Nam quamvis apud doctissimum Scholiastem Apollonii Rhodii Libr. I. v. 917. Mnaseas affirmet *Cererem* quidem non *Vulcanum* sic appellatam, quoniam *Vulcanus Cabiricus* habendus Typus masculus *Cereris Cabiricae*, adeoque eiusdem naturae primae et fundamentalis, ideo dubitari non potest, quin si *Ceres Cabirica* sive *Vesta* antiqua mater recte dicitur AXIEROS non dicatur aeque *Vulcanus* et Ephaistos, ut iam innuimus pag. 7.

II. *Dea Etruscorum Chaotica et Pataica.*

At longe frequentius in aliis *Speculis* funebribus Etruscorum eadem Figura humana *pataica*, alata, calceata, pileata conspicitur, sed foeminea specie, et mammarum loco, cartilagine quadam et quasi pelle dependente, ut in Ectypis editis a Gorio in *Mus. Etr.* I. Tab. 82. et III. Tab. 30. Contuccio in *Mus. Kircher.* Tab. 9. Schiassio *de Pater.* Tab. 3. 4. 5. Inghiramio *Mon. Etr. Ser.* II. Tav. 14. 19. 22. ad 25. etc. etc. Hanc autem *Pataicam* Deam Gorius in *Oper. cit.* Tom. II. pag. 185. 186. modo habebat ut saevam Clotho, modo ut mitiorem Proserpinam, modo Tom. III. pag. 185. Parcam quamcumque, vel Geniam. Contuccius p. 78. faciebat Nemesin vel Adrastiam: Biancanus Schiassio teste pag. 31. 32. *Noctem:* Bonada Dissert. III. *ad Carm. ex Lapid.* pag. 234. 235. et ut videtur ipse Schiassius *Mortem*; et Inghiramius tandem pag. 261. ad 263. pag. 317. 318. *Fatum*, Necessitatem, Fortunam: Et omnes quidem satis recte et vere, quoad intimam et Theologicam naturam Deae: Nam quis dubitaverit, quin hac Figurâ maximam aliquam Parcarum Etrusci expresserint, ac significaverint? At non aeque recte Figurâ istâ Pataicâ Hierographice et Symbolice

considerata. Nam nemo horum hactenus demonstravit vel demonstrare potuit Symbola Deae esse Symbola Parcarum, Noctis, vel Necessitatis, et Fati. Hinc reor factum quod Franc. Oriolius in *Anthol. Florent.* ann. 1828. : reiectis his omnibus opinionibus putaverit his *Pataicis* Etruscorum *Figuris* exhiberi Animas humanas, quae ex Stellis et Planetis ad informanda corpora in generatione illaberentur. Sed errore longe graviore. 1. Primo quia Etrusci ut omnes Gentes vetustissimae Tartaroarchici non Uranoarchici fuerunt, ut pag. 5. 6. et 28-33. demonstratum est, Animaeque ad informanda corpora non ex Stellis, sed ex Tartaro eductae, ex quo Tartaro Virgilius Tuscus Animas educit. 2. Secundo quia Animabus humanis ante informationem vel forma nulla vel ex hypothesi pulcherrima, post informationem decens et certa humana, non incerta et pataica. 3. Tertio quia Animabus in Generationem properantibus vel nullae *alae*, vel una, ut ex praestantissimo Dramate Εμψυχωσεως, quod iam interpretati sumus in *Tent. Hermen. Generali* 1830. p. 252. 255. constat: quia Generatio non fit nisi per πτερορροσιν, sive *alarum* defluxum et abolitionem: quum *Figurae* Etruscae sint duae integrae et ingentes. 4. Quarto, quia *Animae* in Generationem delabentes non sunt foeminei sexus sed nullius, ut nullo sexu distinctae sunt in citato Dramate. 5. Quinto quia Symbola reliqua sunt absurda incongrua et inexplicabilia in istâ Hypothesi.

At si forma Pataica Diis Chaoticis est propria, quidni in hac Etruscâ Figurâ Typum foemineum *Amoris* Archaeotati Archaeotatam Venerem agnoscimus, ipsam Romanorum Libitinam, vitae et mortis dominam adhuc informe *Chaos* agitantem et moventem, et temporum initia ponentem, unde vita et mors mors et vita perpetuo cursu et perenni motu recurrerent? Et profecto si forma Deae Pataica, ut modo dicebamus *Chaeos* statum informem significant, alae אביריי ABIRI ingentes et quasi quadruplices *Spiritum*, animum poten-

tissimum אביר ABIR significant, ex quo omnia creantur ברא BRA: Per quem *Spiritum* Hyle Mundi adhuc invisibilis tecta tenebris obscura כפה KPHE quasi pileo כיפא KIPHA *tegitur*: vel tandem קיפה QIPHE *solidescit*, fit sensibilis, *concrescit*: ut omnino Silenus Protogonus apud Virgilium canit *Eclog.* VI. v. 84. Tum *Calcei* נעל NOL sunt lexeoschema et ideoschema *coeni*, *luti*, נול NUL, ut etiam סין SIN, et *Pileus* etiam סין SIN lexeoschemata סין SIN iterum *luti* et *coeni* nempe Hyles Chaoticae, quam *Luto* et *Coeno* et Phoenicia voce *Moth* Veteres Cosmogonistae comparabant. Tandem *Cartilago* illa pendula est צדר TZDR, *Pectus* צדר TZDR, Elementum *principium* צדר TZDR. Tum *pectorale* dicitur חשן CSN, *tegere* חשה CSE, *Pectus* נעא NOA, *Tenebrae* כשך CSK, נוע NUO *forma* species. Ergo *Pectorale tegens Pectus* est aequissimum Lexeoschema *Caliginis* et Tenebrarum Chaoticarum *formas* et species Rerum *obtegentium*.

Hanc autem Deam Archaeotatam appellasse Etruscos CUPRAM probabile est. Primo, quia alia esse nequit a CABIRA maxima et prima, et CABIRA ore Etrusco CUPRA est; secundo quia *Junonem* ab Etruscis appellatam CUPRAM auctor Strabo Libr. V. pag. 241. quum certum sit aliunde nullam fuisse Etruscis *Junonem* Saturniam et Graecam, sed omnino *Junonem-Venerem* Generationi praefectam, et adeo ipsam hanc de qua loquimur. Tertio, quia Orphici *Noctem* illam suam Chaoticam et Cosmogonicam, ipsam *Athor* Aegyptiorum, appellabant *Cyprin*, nempe CUPRAM, ipso Pseudo-Orpheo teste in Hymno *Noctis*. Quin probabile pariter est Deam hanc Chaoticam et Pataicam appellatam fuisse ab Etruscis MANIAM: Nam MANIA Latinis fuit Mater Larum, scilicet divinorum, auctore Varrone ex Carmine Saliari Libr. VIII. de L. L. pag. 113. et Macrobio *Saturn.* I. cap. 7. pag. 189. et MANIAS dictas Figuras deformes et turpes ex Festo in *voce*, ex Glossis Isidori, et ex Suida in Κοσταβιζειν discimus. Et prorsus iure. Nam MANIA est, quae sua מין MIN MANI

forma figura creat et gignit in aspiciente מאן MAN *molestiam dolorem*, et adeo a contemplando מנע MNO MANAI *repellit* et arcet. Adeoque si Romanis fuit hoc Nomen ex Lexico Theologico Cabirico, fuit aeque Etruscis Cabiristis et potioribus: si inde non fuit, fuit profecto ab ipsis Etruscis, apud quos *Figurae* istae Pataicae solemnes et frequentes.

III. *Dii Etruscorum Chaotici Gemelli et Pataici.*

In aliis Speculis funebribus Etruscorum apud Inghiramium *Mon. Etr.* Ser. II. Tav. 57. 59. etc. aliosque conspiciuntur duo Dii *Pataici Gemelli* adhaerentes et sese mutuo respicientes; Qui esse nequeunt, nisi *Dioscuri potentes* Samothracum in statu adhuc *Chaotico* considerati, ut in statu etiam imperfectiore considerabantur, ubi expressi erant per *Canopos* per *Hydrias* per *Serias*, ut apud Romanos. Vid. Dionys. Halic. I. pag.54. Lampridium in *Heliogabal.* c.6. p.802: per Tigillos, ut apud Lacones, non quod Aegyptii, Samothraces, Latini, Lacones nescissent ex creta vel cera figuram humanam quamcumque effingere, quod faciunt pueri nostri quinquennes, sed ut per scitam allegoriam informem illum Mundi statum significarent. Cabiri porro filii Ephaisti *Pataici* et Cabirae *Pataicae*, et ipsi *Pataici* in Templo Memphitico colebantur: Et deinceps irridebantur a Cambise Persa, ut refert Herodotus Lib. III. cap.37. p.174 Sed quae, inquies, natura horum Gemellorum, quae nomina? Inghiramius *Serie Cit.* pag. 514. 515. nescio quem Dualismum Cacogonicum in hoc Gemillismo Pataico agnoscit, sed falso, si de Cacogonismo absoluto loquitur. Nam Bonum et Malum nec mutuo adhaerere possunt, nec mutuo consistere, et Dii Mali unâ et intime cum Bonis non consistunt nec amicissime se respiciunt, ut faciunt *Gemelli* Etrusci. Adeoque dicemus potius cum doctissimo Scholiaste Apollonii Rhodii ad Libr. I. v. 917. primum horum Gemellorum et Dioscurorum habendum *Jovem* non quidem Hellenicum, sed Cabiricum Marti et Apollini similiorem, et alterum *Bacchum*, qui ipsi

Gemelli Cabirici fundamentum constituebant Panthei Delphici arcani.

IV. *Deae Etruscorum Gemellae Chaoticae et Pataicae.*

Alia insuper sunt eaque plura Specula Etrusca funebria, in quibus conspiciuntur duae *Deae Pataicae* prorsus *gemellae* et similes *Maniae* illi Pataicae, de qua diximus paulo supra: Ut videre est apud Inghiramium *Serie* II. Tav. 86. 87. 88. Inghiramius quidem *Serie* cit. pag. 747. 748. et alibi saepe Deas adversas et invicem infensas, vel Nemesin bonam et malam facit. Et falso. Nam sunt Gemellae amicissimae et conspirantes: *Adrastia* nempe vel *Fortuna*, et *Venus* genitalis.

SECTIO II.

DII ETRUSCORUM PROTOGONI ET DEMIURGICI.

CAP. I.

Dii Protogoni multarum veterum Gentium ex digitis, manibus, brachiis, humeris magnae Matris Chaoticae et Archaeotatae educti..

I. *Dactyli Idaei Cretensium, et Phrygum.*

Idaeos Dactylos Cretensium et Phrygum ortos et genitos ex *manibus* et *palmis* maximae et Archaeotatae Matris *Ideae* ex veterum traditionibus docuit Grammaticus Diomedes agens de *Pede Dactylo* Libr. III. pag. 474. edit. *Putsch.* et ante Diomedem Attacinus, Varro pretioso fragmento, quod servavit Servius ad *Virgil. Eclog.* I. v. 66. et ante Varronem docuit Apollonius Rhodius in *Argon.* I. v. 1029. Unde Scholiastes iure colligebat hos appellatos fuisse Δακτυλους *Digitos*, quia δια των χειρων ex *manibus* Magnae Matris fuissent orti et progeniti. Quamobrem in Etymolog. magno voce Ιδαιοι legimus: Δακτυλοι απο των Μητερος (non ημετερων) δακτυλοις: η επειδη εκ (non εν) τοις δακτυλοις ερριφησαν. Nosque potiore etiam iure addimus matrem IDAEAM ita appellatam a *genitrice* יד IAD *manu*, quia

gigneret manu, et quia *manus* symbolum potestatis et roboris *Idaea* mater est potentissima sive *Cabirica Genitrix*, et adeo omniparens: Est prima אוד AUD *caussa*, *principium*, origo *potentiae* roboris איד AID, ex qua sint omnia, scilicet magna mater IDAEA. De *Dactylis* autem et *Digitis* Idaeis plura adnotarunt Salmasius in *Solinum* pag. 46. et Lobekius in Aglaophamo II. pag. 1256. 1257. etc.

II. *Mater Idaea Dactylos ex Digitis gignens in Dramate Vasis Siculi.*

In Vase picto Siculo rarissimo, quod editum est in *Annal. Archeol. Roman.* 1830. Tom. II. Tab. 2. conspicitur ingens prorsus et immane Mulieris caput collo tenus quasi ex Tellure emergens, erumpentibus etiam manibus ad nasi altitudinem, sed longe minoris proportionis ac caput. Ad occiput stat vir nudus barbatus ingentem malleum humero impositum habens, aliquantum vero ad cranium Mulieris inclinatus: Ad sinciput vero est vir huic plane gemellus, qui Malleum suum Mulieris cranio iam adplicuit, ipsemet adhuc inhaerens manui dexterae Mulieris, quasi non perfecte inde explicitus et evolutus. Adeo ut duo digiti Mulieris et pes viri sint adhuc unum et indistincta. Welckerus qui *cit. op.* pag. 263. 266. Drama hoc illustrandum sumsit putavit eo exhiberi *Gemellos Palicos* peculiares Siculorum Deos, de quibus Servius ad *Aen.* IX. v. 585. et Macrobius *Saturn.* Libr. V. cap. 19. pag. 434. egerunt. Quam opinionem firmare etiam conatus est Panofka *op. cit.* Tom. IV. pag. 395. 396. ann. 1832. Uterque tamen falso: quidquid sit de Gemellismo *Palicorum*. Nam nihil est in Mytho Palicorum quod elementis et symbolis huius Dramatis respondeat, imo omnia sant adversa. 1. Palici numquam habiti Malleofori et Metallurgi, ut qui descripti sunt in *Vase*. 2. *Palici* habiti sunt filii Jovis, et nulli filii Jovis metallurgi et Malleofori; Vulcano ipso excluso, quem plures Jovi abnegant. 3. Thalia mater Palicorum parit filios ex sinu Telluris reiecta iterum tota,

non capite tantum emergente. 4. Thalia parit *ex alvo*, ex utero, non ex manibus ut Mulier in *vase*. Atqui Mulier in *Vase* picta est magna Mater *Idaca* adhuc *Chaotica* et hemiteles, adhuc Mundo informi Chaotico et imperfecto. Caput est ingens et immane, quia Spiritus Dei est infinitus: *Manus* adhuc parvae, quia Potentiae etsi infinitae desunt instrumenta actionis, quae facienda in Mundo sunt; Mater est *Idaea*, scilicet est *Mater*, quae ex יאד IAD ex *manu gignit*, et parit ex *manibus*, quia eget Demiurgis, eget Conditoribus, eget Architectis Mundi, adhuc inconditi et chaotici: Adeoque si nati ex *Digitis Idaeae* matris *Dactyli* Idaei sunt, *Hypurgi* Deae magnae, ut appellat Pollux, utique et hos habebimus *Idaeos Dactylos*.

III. *Dii Etruscorum Gemelli in Digitis vel Brachiis magnae Matris Idaeae.*

1. Comes Caylus in suo *Recueil* Tom. II. Tab. 13. edidit Sigillum Etruscum, quo exhibetur Mulier talari et adstricta veste induta, ingenti Pileo Conico caput tecta, dextro brachio demisso, et manu adfectate passa et protensa, sinistro brachio ad angulum elevato, cuius manus tres posteriores Digiti sunt iustae formae, at duo priores *pollex* et *index* sunt plane ingentis et abnormis magnitudinis, quibus Globulum vel Nucem stringit. Caylus pag. 57. 58. de more quoad sigilli Artificium nonnulla adnotavit, de natura vero Hieroagalmatis tacuit. Montfauconius vero qui Sigillum simile edidit in *Ant. expl.* Tom. II. 2. Tab. 118. pag. 290. habuit falso ut simulacrum Osiridis ab imperito Sculptore deceptus, qui illam abnormitatem Digitorum non capiens in formam disci vel placentae *Digitos* illos deformaverat. At significari hoc sigillo Deam magnam et elevati גדול GDUL Throni כסא KSA indicat manifesto magnus גדול GDUL Pileus כסה KSE: Tum esse Deam Aegyptiae Isidi similem vestis similiter adstricta מדד MDD ostendit: eiusque nomen in *manu* passa et adfectate protensa est יד ID איד AID temurice דעא DEA IDEA, quo nomine Rheam Cabiricam appellas-

se Etruscos auctor Hesychius. *Digiti* ergo *magni* גדולי GDULI *filii manus* בני יד BNI ID erunt ipsi Dii *Dactyli*, *Dii Digiti*, ut pertinacissime appellarunt Romani Scriptores, quorum loca Salmasius ad *Solinum* pag. 46. aliique collegerunt, ad Mundi Demiurgiam a Matre centrali et interna destinati. Et si *digitus Pollex* dicitur בהן BEN et אליון ALIUN, et *Index* dicitur סבאב SBAB צבע TZBO, et *Globulus* est symbolum *Sphaerae* et Mundi עולם OULM, utique per hos magnos et divinos *Digitos* indicantur בני BNI *Filii* אליון ALIUN *Altissimi* סבאב SBAB causae effectores artifices צבת TZBT *ornatus* et demiurgiae עולם OULM *Mundi*.

2. *Quin Dactyli Gemelli Etruscorum ex Brachiis magnae Matris hemitelis educti*. Nam in lamina aerea manubriata, quae iure haberi potest, ut Speculum funebre, etsi non plane rotundum, edita a Comite Caylus in *Recueil* Tom. III. Tab. 45. 5. exhibetur Mulier imperfecta desinens a pube in squamas et caudam Piscis, nuda, prorsus calva et rasa caput, utroque vero brachio gestans et ad pectus coniunctos duos adolescentes nudos et rasos, corporibus mutuo conversis, et cruribus decussatis, vultibus tamen aversis, altero brachio ad verticem capitis sui altero ad verticem matris adposito, ita ut ex occipite Matris digiti tantum fratris utriusque appareant. Nec Caylus nec alius quem sciam Drama hoc explicavit: Mihi vero certum est exhiberi eo MANIAM illam *Archaeam* Matrem Larum Divinorum vel Penatum intimorum, quae sit adhuc Chaotica et Semipiscis p. 56. 57. et quidem calva rasa חלק CLQ cultu carens, quia Demiurgi adhuc non חלקי CLQI explicati et geniti: sed ea est etiam חלאק CLAQ *genitrix mater*, et adeo per Filios Demiurgos non erit amplius calva חלק CLQ et hemiteles, sed ornata et perfecta. Nomen porro et officium suum uterque Gemellus per *Digitos* et Caput exprimunt. Nam *Digiti Dactyli* Idaeos *Dactylos* significant, et qui sciant צבת TZBT *ornare* exornare, quia sunt צבע TZBO *Digiti* periti אטבע ATHBO *formare* effingere; et quia *rasi* et

calvi חלק CLQ sunt etiam חלקי CLQI *formatores* efficiores *artifices* Demiurgi. Corpora coniuncta conversa, quia ad idem systema Mundanum spectant, eundem Mundum exornant, vultus aversi, quia Mundus diversis partibus constat, puta Coelo et Terra, et uni assignabatur Coelum, alteri Terra exornanda.

Cap. II.

Dactyli Demiurgi.

1. *Dactyli divini Samothracum Phrygum Cretensium Demiurgi.*

Inter Dogmata fundamentalia veterum Pantheopaeorum fuit ut pleraque Nomina Theologica essent generica et pluribus et diversis Personis adtributa, ut auditores confúsi et implicati quid tenerent nescirent: quod plane verum Testimonia Veterum de istis *Dactylis* iam collecta a Guthberleto, Frereto, Lobeko, aliisque demonstrant. At si tu attente characteres consideras et distinguis, et per Characteres Personas discernis et constituis systematicam istam confusionem perdis et ordinas, verumque arripis et tenes. Et ita quidquid sit de Dactylis Goetis, de Dactylis Sacerdotibus, de Dactylis Metallurgis, haud magno labore disces ab his *Dactylis* discernendos esse divinos, filios, paredros, adhaerentes intime IDAEAE Matri, eorumque Metallurgiam, Malleum, Forcipem, Incudinem esse necessario symbolica atque allegorica. Et profecto si ex. gr. Julius Pollux Libr. II. cap. 4. n. 31. pag. 106. scribit: κατα το τη Ρεᾳ παγυ υπουργειν. οτι και οι της χειρος δακτυλοι τεχνιται τε, και παγτων εργαται: Adeoque si Rhea et Idaea mater Tellus est vel potius cor Mundi, utique per Gemellos et divinos *Dactylos* Potestates magnae Demiurgicae fuerunt significandae. Quin si quaecumque Demiurgia per Incudinem, Malleum, et alia Metallurgica instrumenta tum Ideographice tum Lexeographice exprimitur, si *Idaea* mater est Lapis et *Incus* Fundamenti Mundani, si im-

possibilis extra eam quaecumque Demiurgia; utique necesse fuit hos Gemellos *Dactylos* υβριζειν in matrem suam, ut veteres Mythi retulerunt apud Zenobium in *Proverb*. Cent. IV. n. 80. pag. 101. quo Demiurgiam suam peragerent: Et adeo acute et recte solertissimus Auctor Dramatis Vasis Siculi, quod superius descripsimus pag. 65. 66. fecit cranium *Idaeae* Matris quasi incudinem Gemellorum Fabrorum. Nam in ea, per eam, circa eam, ex ea debebant necessario agere et operari et apparenter υβριζειν. Quam *Demiurgiam* Gemellorum *Dactylorum* Nomina eorum servata ab Auctore vetere Phoronidis apud *Schol.* Apollonii Rhod. I. v. 1129. a Strabone Libr. X. pag. 473. Clemente Alex. Libr. I. *Stromat.* pag. 306. Zenobio *loc. cit.* aliisque etiam demonstrant. Nam DAMNAMENEUS est DAMN-AMEN-EUS, EUS, איש AIS vir *Persona*, AMEN אמן AMN vere fideliter sincere, ימין IMIN *dextera*, DAMN דמה-ן DME-N *efformans*, *effingens*, assimilans. Alter KELMIS, IS-KELM est IS *Persona* חלם CLM *fortis* valida, SIML-EK סמל SML similis, *adsimilans*; EK, אח AC frater, Gemellus figura, Gemellus opere.

II. *Dactyli Etruscorum Demiurgi.*

1. *Dactylus Etruscorum cucullatus.* Comes Caylus in suo *Recueil* Tom. IV. Tab. 27. 4. 5. 6. pag. 82. 83. edidit Sigillum Etruscum, quo exhibetur vir vertice capitis et angulis rasis, quasi Monachus nostras, et cucullo praeterea quasi monachali pectus et humeros tectus, cetera nudus et insigniter mentulatus, sinistra demissa, dextera vero elata, cuius digiti ingentes aequales coniuncti: Scilicet est *Dactylus*, quia *Digiti* symbolici systematici; *Cabiricus* quia *Digiti* sunt כבירי KBIRI, *magni*; חבירי CBIRI *coniuncti*; *Idaeus* quia *Digiti filii* כבירה KBIRE *magnae* איד AID *manus* sive *Idaeae*. *Dactylo* isti est *vertex* ריש RIS *rasus* חלק CLQ, quia ipse est ראש RAS *Princeps* primus חלק CLQ *artifex demiurgus* fictor. *Anguli* פאה PHAE, *capillorum* שער SOR, *rasi* חלק CLQ, *in gyrum* יקף IQPH significant *Principem* פאה PHAE, qui metitur appendit *aestimat*

שער SOR, qui condit format *figurat* חלק CLQ, qui statuit constituit *ordinat* יקף IQPH. Tum *Cucullus* dicitur גבא GBA et מלוט MLUTH: et גבא GBA est fovea *cavea* barathrum, et מלט MLTH liberatus *genitus* eductus. Ita ut *Cucullus* ille sit opportunum Lexeoschema *Demiurgi protogoni*, qui primus emergat liberetur prodat מלט MLTH ex *Cavea Chaeos* ad Demiurgiam exsequendam. Mihique porro valde probabile est ipsum *Dactylum* Cabiricum CELMIS significatum. Nam is est חלמ CLH CELMI *crassus* spissus magnus manu et mentula; est חלמ CLM CELMI *validus* et firmus robore; est in statu pudendo et erubescendo כלמ KLM KELMI: est capillis et veste decurtatus et praecisus קלמ QLM KELMI.

2. *Dactylus Etruscus Malleoforus.*

Micalius in *Monum. Italic.* 1832. Tav. XXXV.4.. edidit Sigillum Etruscum quo exhibetur vir Caliptra caput tectus, cetera prorsus nudus, dextra magnum malleum elevatum gerens, sinistram vero habens abnormem tum magnitudine tum forma: Nam sunt quatuor non quinque *Digiti*, et tres posteriores magni aequales coniuncti. Micalius Tom. III. pag. 49. habuit quasi Charunum Malleoforum et Thanaton, et iure expavit. Nobis contra est *Dactylus Cabiricus*, quia ei sunt *Dactyli Cabiri magni*: et quia דוק-תלה DUQ-TLE, *Dac-tili*, nempe *malleum* דוק DUQ *elevatum* תלה TLE habet: Et quoniam in sinistra manu sunt quatuor digiti qui duplicati *Cabiricum* numerum absolvunt, de quo diximus pag. 16-20 hinc iure colligimus Deum ab hoc Hierogrammate indicatum ad Ogdoadem Cabiricam spectare, et non posse haberi nisi Protogonum Demiurgum qui nuper e Chao emersus sit Mundum adhuc confusum et obtectum ordinaturus: unde et ipsemet Caliptra caput tegit. *Malleum* porro esse symbolum characteristicum *Cabirorum* et singillatim *Dactylorum Demiurgicorum* iamdiu demonstratum ex Nummis Phoeniciis, Carrensibus, Thessalonicensibus, Italicis, etc. ab iis qui de *Cabiris* egerunt.

3. *Dactylus Etruscorum oculis clausis.*

Gorius Tom. II. *Inscr. Etruriae* pag. 131. 132. edidit sigillum Etruscum, quo conspicitur Juvenis rectus plane nudus, oculis clausis, utroque pede super parvam basim cordiformem consistens, sinistra demissa, qua linteolum intortum gerit, dextra ad angulum elevata, qua sunt quatuor digiti magni aequales adhaerentes. Gorius loc. cit. nescio quem Larem facit nulla de more ratione et argumento. Nam contra palam est esse *Dactylum Cabiricum*: et summa probabilitate eo temporis momento expressum ab Artifice, quo primum tantum fundamentum Terrae concreverit, et *cor* mundi firmitatem et soliditatem necessariam acquiserit, quum primum « *Tener Mundi concreverit Orbis* » ut canebat Virgilianus Silenus Eclog. VI. v. 34.

Cap. III.

Amor Protogonus Etruscorum Demiurgus.

I. *Adolescens pulcher saepius alatus et genuflexus brachia habens ad Normam composita habendus est Amor Protogonus et Demiurgus.*

1. Ex Museo Pourtalesio edidit Panofka Tab. XL. pag. 80. 81. exquisitum Sigillum Etruscum, quo exhibetur Adolescens hexapterus, cui scilicet sunt quatuor alae ad dorsum duae superius duae inferius vergentes, et duae ad pedes. Brachia sunt Normalia, genu dextrum inflexum, calyptra caput tectus, ex qua tum folia sive plantae sive magni floris erumpunt, tum duae pennae systematice incurvae tabulis similiores. Panofka habuit Deum hunc hexapterum quasi masculam Nemesin, et putavit scelestos et noxios homines persequi et insectari, nomenque dedit Κηρ: una multas absurditates cumulans. Nam nemo currit vel currere potest genuflexus. 2. Nemo magno pondere caput pressus potest currere. 3. Daemonibus Etruscorum Psychoplecticis longe alia fuit forma. 4. Κηρ κηρος est generis foeminini, et fere semper significat fatum triste

calamitatem ingentem pestem, non scelerum vindicem atque ultorem facinorum Deum.

2. In Sigillo Etrusco quod edidit Caylus in Tom. III. sui *Recueil* pag. 214. Tab. 55. cernitur adolescens plane nudus genu sinistro flexo super Columnae Capitulum, cubitoque dextro genu imposito caput innixus quasi profunde meditans, sinistra manu Regulam sive Normam rectangulam habens. Caylus in adolescente *Amorem* sive Cupidinem ob nescio quam rem tristem et meditabundum, nec prorsus absurde vidit; etsi non animadvertisset illam *Normam*, quae tamen perfecte a Sculptore expressa est.

3. Inter Marmora Taurinensia edita a Maffeio ad calcem *Histor. Diplom.* et in *Mus. Veronens* pag. CCVI. et a Rivautella in *Marm. Taurn.* Tom. II. pag. 4. 5. est unum, quo insculptus est Juvenis penitus nudus alas habens in humeris easque intortis fastigiis, tum duplices singulis pedibus, adeo ut sit hexapterus, sinistro genu aliquantum flexo, sinistra manu tabellam semicircularem habens qua aequilibrare conatur bilancem, cui criterium et centrum aequilibrii adhuc non sit datum, digitis alterius manus impediens ne una ex lancibus ruat deorsum et bilancem ipsam pervertat. Interpretes Juvenem hunc hexapterum habuerunt ut *Occasionem* masculam, et ut Graecorum Καιρον. Falso: Nam palam est Bilancis aequilibrium ita esse difficile, ut nedum currere et volare, nec locum quidem Juvenis mutare possit.

4. In Disco manubriato, quem edidit Chaussaeus in *Mus. Roman.* Tom. II. Tab. XIX. pag. 14. conspicitur adolescens sinistro genu aliquantum flexo, nudus, alato dorso, alatis pedibus, dextra florem quasi odoraturus ad nasum admovens, sinistra demissa Lyram gerens. Interpres inepte Mercurium, Solem, Apollinem facit.

5. In Speculo funebri Etrusco, quod edidit Schiassius *de Pater.* Tab. XXVI. pag. 47. cernitur pulcher adolescens circulo quasi ovo conclusus cothurnatus

quidem, cetera plane nudus, quatuor alis ad dorsum instructus, sinistrum genu super tumentes fluctus inflectens, brachiis dextro ad angulum elevato, sinistro demisso: Biancanus et Schiassius agnoscebant in hoc adolescente *Mercurium* legatum, sed falso. Nam Etruscis nullus *Mercurius* legatus Jovis, vel alterius Dei Olympici, nec Graeci vel Latini Hermetem et Mercurium suum fecerunt hexapterum, et flectentem genu super tumidas undas.

6. In alio tandem Speculo funebri quod edidit Inghiramius in *Monum. Etr. Ser.* II. Tav. 90. conspicitur similis adolescens, sed apterus, calyptra caput tectus, cetera nudus, sinistro genu super mare, in quo pisces lusitant, flexo, brachio dextro ad normam et demisso, brachio sinistro ad normam elevato. Inghiramius nil habens satius *Fatum* fecit, ut saepius, et hic *Fatum* crescens, nempe non *Fatum*.

At mihi contra iste adolescens alatus et genuflexus in omnibus istis et similibus aliis exemplis est *Demiurgus* Mundi, est *Artifex* Mundi adhuc imperfecti est iunior Amor filius Amoris Pataici et Archaeotati, quem superius descripsimus pag. 59. 60. sive iunior *Vulcanus* p. 75. 76.

1. Primo, quia iste Adolescens Hierographiae Etruscae est aeque Juvenis, aeque nudus, aeque fere genuflexus, aeque alatus, ac adolescens insculptus in Nummis Phoeniciis Melitensium, qui editi sunt in *Act. Acad. Corton.* Tom. I. pag. 35. in *Malte par un voyag. Franc.* 1791. pag. 17. et alibi; in quibus Nummis aliquem ex magnis Diis Patriis adsculptum dubitari non potest. Tum similis est Adolescenti insculpto in Nummis Camarinae Siculae, in quibus esse agnoscendum Demiurgum Mundi iam ab anno 1830 monuimus in *Tentam. Herm. Generali Praef.* pag. IX. X. XI. Et quoniam auctoritate sive Sanchuniatonis, sive Philonis Biblii apud *Eusebium Caesar. Praep. Evang.* I. cap. 10. pag. 41. constat Κρονον sive Saturnum Protogonum et Demiurgum fuisse factum a Phoeniciis Tessaropterum, et notum a-

liunde a Palaestinis et Arabibus appellatum fuisse כיון KIUN, non iniuria nec temere adolescentem hunc Etruscae Hierographiae appellabimus KIUN; maxime quia nullum videtur huius vocabuli probabilius etymon quam כון KUN et כנה KNE *aptare* nempe *coaptare*, adponere *normam regulam amussim*. Atqui *Genua* כנע KNO *curvata* כנע KNO, ad *normam* כון KUN sunt prorsus opportuna Lexeoschemata כיון KIUN. Et quoniam in VULCANO Latinorum, quidquid sit de alio Etymo p. 5. proposito, esse potest בעל-כיון BOL-KIUN. *Dominus Artifex*, Dominus Demiurgus, Nomine Dei Romani Demiurgici poterimus iure et Deum hunc Etruscum appellare: Et quia insuper *filius* adolescens בר BR BUR, cui sint *quatuor* ארבע ARBO, *alae* אבר ABR est egregium Lexeoschema *Creatoris* ברא BRA sive Regis *conditoris* מלך-ברא MLK-BRA, ideo etiam iure adolescentem hunc Etruscorum Demiurgum appellabimus *Mulciberum*. Praeterea Demiurgus Pourtalesii Musei habet in capite florem vel folia Plantae genitalis, Symbolum receptissimum nativitatis ex Chao.

2. Demiurgus Caylusii habet ipsam *Amussim* rectangulam in manu sua, et meditantis habitu est; positus super Columna symbolo concretionis primae et initialis soliditatis Mundi in aquoso et coenoso Chao. Haec Columna in qua consistit *Amor* et *Vulcanus* Protogonus *Statae Matris* et *Vestae* archaeotatae symbolum.

3. Demiurgus Taurinensis appendit elementa in bilance, imo ipsam bilanceem constituit, ipsas leges aequilibrii Mundani condit, ipsum criterium staterae investigat, et experitur; est ipsa re SETHL-ANS ut dicetur paulo post pag. 76.

4. Demiurgus Chaussaei originem suam Chaoticam in Flore, officium et munus Lyrâ significat, faciens omnia harmonice.

5. et 6. In his reliquis exemplis pisces et oceanus symbola et argumenta status Mundi Chaotici initialis et Demiurgici. Ipsum vero Demiurgum Genua et Brachia quasi ad Normam inflexa, quatuor alae vel Pileus aperte, ut iam innuimus, demonstrant.

Cap. IV.

Vulcanus iunior sive SETHLANS *Etruscorum Demiurgus.*

I. *Neo-Vulcanus Etruscus Malleophorus.*

In Speculo Etrusco funebri quod edidit Dorowius in suo *Voyage Archeolog.* Tab. XV. et descripsit p. 29. 30. conspicitur Juvenis stans pileolo conico et coronato caput tectus, cothurnatus, et tunica brevi et discincta indutus, dextra malleum gerens, sinistrâ, inclinato aliquantum corpore, amanter complectens alium Juvenem aetate parem, cothurnatum quidem, sed plane nudum. Hinc inde adstantibus duobus fere similibus Juvenibus Gemellis et nudis. *Malleofori* nomen absumtum maxima ex parte. Ex fragmentis tamen recte puto Dorowium Oriolium aliosque restituisse SETHLANS, *Gemellus* nudus inscribitur DUDLUN vel THUPHLUN, vel PHUPHLUN, ut alii mallent legere. Gemellus ad huius sinistram dicitur LARAN, Gemellus ad dexteram Malleofori MARIM. De his autem duplicibus Gemellis nec Dorowius, nec Oriolius, nec quantum memini alius, quae essent ad rem retulerunt. Qui autem in Etrusca Hierographia Speculorum est versatus facile intelligit per hos duplices Gemellos, *Gemellos Penates*, et *Gemellos Lares* Cabiristarum et Etruscorum exprimi: qui duplices *Gemelli* frequenter in Speculis, quae Bonarota, Lanzius, Contuccius, Inghiramius ediderunt conspiciuntur. Et hîc quidem *Lares* gemelli divini sunt MARIM et LARAN, quibus *Mercurium* et *Martem* significari dubitare non possumus. Nam in aliis Speculis funebribus LARAN habendum *Mercurium* Patrem Larum humanorum, iam ab aliis animadversum est, MARIM vero est ipsum מאדים MADIM Judaeorum et Palaestinorum, quo *Martem* Romanum sive Deum sive Planetam significant: scriptumque ab Etrusco Hierographo MARIM, quia deerat in suo Alphabeto D, et non poterat recte adhiberi TH. *Gemelli* medii sunt *Penates* intimi, Demiurgi Protogoni, quorum uni veteres Cabi-

ristae et Orphici naturam lucis et ignis, et adeo *Jovis*, *Apollinis*, et *Vulcani*; alteri vero naturam humoris, et adeo *Bacchi* tribuerunt. Qui *Junior Vulcanus* ex *Malleo* Cabirico characteristico, ex Pileolo Conico, eoque coronato, ut in plurimis Nummis praecipue Italicis conspicitur, ex indusio illo discincto, ut in Nummis Phoeniciis editis in *Act. Acad. Taurinens.* Tom. XXXV. 1828. deprehenditur. Nomen autem SETHLANS fit a נסה NSE ANS *experiri tentare* probare, ideo *incipere*, initia ponere: et שתל STL *plantare* plantas et semina figere, et metaphorice condere creare; et propius ad orthographiam שדל SDL Etrusce STHL *cura studium* sollertia, unde ipsum Latinorum *sedulus* et *sedulitas*. Ita ut SETHL-ANS sit qui multa *cura Demiurgiam experitur* tentat, Demiurgus. Nomen autem alterius Demiurgi Bacchi DUDLUN vel PHUPHLUN explicabitur opportuniore loco.

II. *Vulcanus Etruscus* SETHLANS *in Minervae nativitate Demiurgus.*

In Speculo funebri Etrusco, quo Minervae Nativitas exhibetur, et quod ediderunt vel illustrarunt Bonarota ad *Dempsterum* I. Tab. I. Passerius in *Paralip.* pag. 18. 19. Gorius *Mus. Etr.* Tom. I. Tab. 120. Tom. II. p. 239. 240. Fogginius in Act. Acad. Corton. II. pag. 93. 94. Lanzius *Saggio* II. p. 193. 194. Tav. X. 1. Schiassius peculiari *Opusc.* de *Pater. Cospian*: aliique; conspicitur Adolescens cothurnatus palliolo circa medium corpus tectus, cetera nudus, dextra securim sive bipennem gerens, sinistro brachio ita ad caput suum admoto, ut videatur obstupescere, quod ex capite Jovis Mulier armata prosiliat. Hic Juvenis dicitur SETHLANS, et eum esse omnino *Vulcanum* ex Veterum auctoritate Fogginius, Passerius, Schiassius demonstrarunt. Quumque Jupiter eguerit securi et sollertia *Vulcani*, ut Minerva ederetur Dea vetustissima, et sine qua nil fere operatur Jupiter, palam est, priorem *Vulcanum* ad Deos Mundi Protarchicos et adeo Demiurgicos spectare, et referri.

Cap. V.

Bacchus Phanes alter Demiurgus Etruscorum.

1. *Bacchus Phanes Speculum Demiurgicum e manibus Cabirae maximae appetens.*

In Gemmâ Etruscâ, quam primus indicavit Dorowius in *Voyag. Archeol.* pag. 23. et bis edita in *Mus. Clusino* Tom. I. Tab. 61. et Tom. II. Tab. 118. conspicitur Vir plane nudus in magna incudine sedens converso ad adspicientes dorso, Galero caput tectus; quem contra est Mulier comata mammosa nuda Speculum manubriatum habens in dextra et habitu retrahentis et removentis, quasi ille qui sedet in incudine appetat et conetur arripere. Adscripta vox ERELCU, quam ego exploratam habeo: Primi tamen non statim sunt adsecuti, quum legendum putassent ERECLU *Hercule*, quamobrem Dorowius loc. cit. in viro *Herculem* revera agnoscebat, in Puella Jolem. Inghiramius contra in *Mus. Chius* I. p. 60. in viro Vulcanum, in Muliere Venerem agnoscere volebat. At nobis vir galeatus est Demiurgus, et Galea esse nequit nisi *Galea Orci*, nisi tegumentum illud Diis Cosmogonicis proprium, quo tenebrae, et defectus ordinis et artis designatur. Sola *Incus* adhuc stat et manet in Mundo, quia una fundamenta sunt posita, unus adhuc Mundi nucleus et *tener Mundi concrevit orbis*; ita ut *Incus* non quasi Symbolum Vulcani characteristicum, sed ut Symbolum iactorum Mundi fundamentorum sit omnino habendum. Nam *Incus* est סדן SDN SUTHINA Etruscis *Radix* fundamentum truncus fundamentalis, *Axieros*, ut diximus pag. 7. a סעד SOD ISID *stabilire*, fulcire, firmare. Mulier autem nuda mammosa est *Cabira* magna, Dea Moeronoma et Fatalis, quae *Speculum fatale* fabrefactum a Gemello Demiurgo Vulcano, sed tradendum Gemello Demiurgo *Baccho* servat et tenet. Quamobrem nos putamus in hoc Scarabaeo Clusino exhiberi *Bacchum* Protogonum, qui sedens in primis fundamentis Mundi incipere vult Demiurgiam suam arrepto *Speculo*

Cabirae sive Adrastiae magnae: quod prolixe indicarunt Proclus in *Tim. Plat.* I. p. 44. III. p. 163. 164. Nonnus Dionys. VI. p. 189. 191. Clemens Alex. Protr. p. 12. Arnobius Libr. V. p. 213. Eique factum nomen ab sollertissimo Hierographo ERELCU, quod nos Itali diceremus il *Prendispecchio*: Nam ERELCU est ERE-LCU, et ERE factum a ראה RAE REE ERE videre cernere *speculum*, et LCU לחק LCQ LCC LC *arripere* capere.

II. *Bacchus Demiurgus adfectans iterum Speculum Adrastiae fatalis.*

In Vase Picto funebri Regii huius Musei Borbonici et in *Mus.* vol. IX. Tab. 29. edito: conspicitur Mulier modeste comta in sella fulcris dorsualibus carente sedens, sinistra elevans Speculum manubriatum, dextera sellae adposita, iuxta eam a sinistra parte Mulier prorsus similis et gemella inflat duas tibias: Accedit ad sedentem pulcher Adolescens subligari tectus mediam corporis partem quasi faber et opifex, corona caput collum et carpos manuum ornatus, ingentem amphoram futilem dextro humero impositam gerens; Pone adolescentem accedit pariter ingens vir calvus coronatus pilosus hispidus crassus, pallio inferiora tectus, vultu manifeste Silenico, ardentem facem sinistra gerens, dextra protensa eo habitu, quo nos adhuc remoti impedire conamur aliquod factum triste et damnosum, quo ipso habitu est tertia Mulier similis duabus, et quae brachium proiectum habet super viro Silenomorpho. Interpres contentus dixisse nescio quem Mysteriorum Thronismum hic significari, tacuit, nec Thronismum nec Mysteria aperuit. Nos autem in Adolescente *Bacchum* agnoscimus, qui ad sumendum Speculum Demiurgicum accedit, et ad implendam Amphoram Fatorum humanorum. Quam Amphoram simillimam calcat pede suo Hercules Etruscus in pluribus Speculis funebribus; iam fati humani Victor post flammas Oetaeas. In tribus porro Mulieribus gemellis tres magnas Parcas Cabiricas agnosco: Adrastiam nempe Speculoferam: Venerem Genitalem inflantem tibias, nem-

pe gaudentem, laetantem, quia Generatio est eius imperium et gaudium, eiusque Genius Arsenothelys et mollis volitat desuper : At tertia Mulier Symbolum Minervae Psychophilae et Uranophilae obsistit coepto, et vellet opus amoliri, quod facit ipsemet Silenus Typus Generis humani, Typus *Hominis*, cui per Demiurgiam istam *Bacchi* innumera mala et calamitates et pestes erant obvenienda. Vulgo quidem Silenus habetur quasi tantum Bacchi Semelei Paedagogus et custos : At Silenus est revera Typus Cosmogonicus, Symbolum Generis nostri, cui profunda et solita sibi sapientia Carmen Cesmogonicum attribuit Virgilius Ecloga VI.

III. *Bacchus Demiurgus invitus tradens Adrastiae Craterem Psychogonicum.*

In Speculo funebri Etrusco, quod edidit Gorius in *Adpend. Monum.* ad *Inscript. Etruriae* Tom. IV. Tab. 16. et 1. pag. 78. 79. Inghiramius *Mon. Etr. Serie* II. pag. 170. 171. Tab. 9. conspicitur Adolescens rectus palliolo semitectus *Craterem* sinistra gerens, et dextra habitu renuentis et recusantis, proxime ad eius dexteram est Mulier turpi potius facie, Pileo conico, et quasi Cirbasia caput tecta, tunicata palliata magna sella sedens, scabelloque pedes suffulta, dextra quidem conversa quasi arreptura *Craterem* Adolescentis proximi, sinistra vero eo habitu elevato, quo rem tristem odiosam molestam facere adgredimur. Ad dexteram huius sedentis est alia Mulier sed stans crepidata, coronata, armillata ceterum prorsus nuda. Et haec peraguntur ad ipsum litus maris quo pisces lusitant.

Gorius quidem *loc. cit.* et ante Gorium Bonarota *ad Dempsterum* pag. 20. 21. et post Gorium Biancanus, et post Biancanum Schiassius de *Pater.* p. 76. in Muliere sedente Magam *Circen*, in Muliere nuda stante vel ancillam vel Circes sororem Angitiam, in adolescente Craterofero Ulyssem agnoverunt. Sed falso: quia nulla, vel potius adversa criteria. Inghiramius contra iure ista interpretatione reiecta *loc. cit.* autu-

mavit Mulierem sedentem esse Cybelem Phrygiam, Mulierem nudam Venerem Cypriam, Adolescentem Bacchum fecit, qui iucundarum et gratarum rerum Craterem gestaret. At quid obsecro Cypria Venus cum Cybele Phrygia, si ipsa Cybele Venus est? Et quis umquam Bacchum Crateroferum Cybelae Phrygiae adiunxit, si Bacchus Cybeles est ipse Athys suus, Athys Mysticus? Nos contra elementa Panthei et Cosmogoniae Cabiricae atque Etruscae patria et propria etiam hîc ut semper deprehendimus. Nam Pisces et litus sunt Symbola *Chaeos* non adhuc penitus ordinati et dispositi in Κόσμον. Mulier sedens Cabira magna est *Adrastia* fatalis sedens in iam firmis fundamentis et Radicibus Mundi, proxima est soror *Venus* Genitalis praefecta Mundo generationum et transformationum, et adeo malorum et calamitatum Sedi: Quae adeo a Hierographo solertissimo exsculpta et adposita est, quia absque Venere et generatione nulla mors, nulla mala; at data Venere et Generatione fatalia mala et anangaea plurima. Adolescens est *Bacchus* Demiurgus *Craterem Psychogonicum*, quo scilicet sunt mixti et repositi λόγοι σπερματικοι, semina animarum et hominum, quibus seminibus Dionysiacis Parca maxima Adrastia addere debet αναγγαια fata et leges vitae cursus et Psychoplanesiam et Palingenesiam, et alia similia adiicere: quae fata quum tristia sint et inamabilia, ideo et *Bacchus* et *Adrastia* renuunt, et invitorum habitu sunt expicti. De quo *Bacchi Cratere* videri possunt, quae Plato in *Timaeo*, et Proclus in *Timaeum*, et Macrobius in *Somn.* I. cap. 12. p. 49. 50. Plutarch. De *generat. animae* ex *Timaeo*, Damascius περι αρχων, aliique plurimi adnotarunt.

SECTIO III.

DII ETRUSCORUM MOERAEI, FATALES.

CAP. I.

Dii Etruscorum Moeragetae et Moeronomi.

I. *Vulcanus Cabiricus.*

Nam si omnes Cabiristae atque adeo Etrusci *Vulcanum* Deum praecipuum habuerunt, nempe אח-שרש AC-SRS *AXIEROS focum* Mundi *radicalem* et fundamentalem: vid. p. 6. 7. 29. 30. fecisse etiam eum *Moerocratorem* et *Moeronomum* necesse est. Adeo ut quae Seneca in Libr. II. *Quaest. Natur.* cap. 45. pag. 638. de praecipuo Etruscorum Deo disserit, de hoc ipso *Vulcano Cabirico* sumi possint et debeant: Ut ea etiam quae Martianus Capella de Nupt. Philol. I. p. 8. 9. canit huic *Vulcano* Etrusco congruere tenendum est.

II. *Vulcanum hunc Moeraeum, saltem Parodiace, appellatum ab Etruscis* NETHUNS *tenendum est.*

Nam in Speculo funebri Etrusco edito in *Monum. ined. Inst. Arch. Rom.* Tom. II. 1834. Tab. 60. et indicato in *Bullett.* 1839. pag. 139. conspicitur Senex decorus, coronatus, super lapides, ut videtur, sedens, pallio inferiora tectus, dextera ingentem tridentem gerens, qui ex superiore et inferiore parte aeque trifidus: inscriptus NETHUNS: medius est Juvenis dictus USIL rectus nimboferus, palliolo leviter tectus, arcum sagittiferum dextra et quasi paratum habens: hinc ad sinistram est Mulier sphendonata ingenti pallio obvoluta, cubito dextro erecto columnae stanti imposito, et ea elevatione, qua humero Juvenis manus possit imponi: Haec inscribitur THESAN. Cavedonius *loc. cit.* in USIL nimboferô SOLEM videbat, in THESAN *Auroram*, in NETHUNS *Neptunum* ipsum, et in toto Dramate nescio quem adhuc ignotum *Memnonis* Aethiopis et nigri Mythum: At quid, obsecro, *Memnon* Aethiops ad sepulcrum Etrusci hominis? Quid Mulier tota involuta stans et columnae innixa habere poterit

cum Aurora revelante et fugiente? Atqui haec Mulier stans per certissimos et evidentes characteres, per statum suum, per columnam, per cubitum erectum, per vestes obvolutas *Adrastia Cabirica* et Etrusca est, profundo nomine dicta THESAN a תשא THSA, תשן THESAN *obvoluta*, *obtecta*, secreta, impenetrabilis, quia Fata arcana, et a דשאן DSAN *germinans Herbam*, *Germina producens*, quia omnes *Fortunae Fructiferae*. Medius est *Apollo Aretimius* finalis, Apollo Cabiricus, quem indicavimus in *Tent. Herm. Etrusc.* pag. 145. 146. *Apollo* proprius Etruscorum, et omnium fere Italorum, Praefectus magnis Periodis Mundi, huiusque destructor et Instaurator cum Baccho fratre, unde spes et fiducia morientum, et expectatio firma, diciturque USIL, quia veterem et malum Mundum עצל OTZL USL *dissipabit*, *abolebit* arcu suo, et novum lucidissimum et felicissimum יצל ITZL USIL *adducet*, *adiunget*, apportabit. Senex autem qui sedet est iste ipse *Vulcanus Cabiricus*, de quo loquimur; qui est NETHUNS, nempe qui *nutu* suo נוט NUT *nutare*, imo corruere facit Terram, eamque נסס NSS *attollit* elevat; quin *figit*, *ponit*, plantat נטע NTHO, NETH-UNS, qui est totus *Neptunus Consus* et *Posidaon*, non dimidiatus et diffissus.

III. *Magni Etruscorum Penates etiam Moeronomi.*

Nam scribebat Seneca ex Etruscis disciplinis Libr. II. *Natur. Quaest.* cap. 41. pag. 636. *Tertiam Manubiam idem Jupiter mittit, sed adhibitis in consilium Diis, quos superiores et involutos vocant.* Tum Martianus Capella Libr. I. pag. 10. 11. advocare ad consilium Jovem facit « *praecipue Senatores Deorum, qui Penates ferebantur Tonantis ipsius, quorumque nomina publicari secretum coeleste non pati.* Qui Jovis Penates utut Theologice dicantur innominati sunt tamen ipsi *Penates Cabirici* atque Etrusci *Gemelli*, scilicet mares Mars Jovialis et Bacchus, *Gemellae* foeminae Adrastia fatalis et Venus genitalis.

IV. *Dii Complices et Consentes Etruscorum Mocroscopi et Moerophylaces.*

Nam praeter Principem Deum, et *Penates* intimos, fuerunt Etruscis etiam *Dii Complices* et *Consentes* Fatis Mundi praefecti: quos Arnobius Libr. III. pag. 155. 156. Seneca *Nat. Quaest.* II. c. 41. v. 636. et Martianus Capella Libr. I. p. 26. descripserunt, et nos iam indicavimus p. 22. 23.

Cap. II.

Dea magna Etruscorum Moeronoma.

I. *Dea Etruscorum Moeronoma dicta* THESAN ETHIS LETUN ALPNU.

Nam Dea illa, quam paullo supra descripsimus p. 81. 82. non potest haberi nisi *Adrastia* et *Fortuna* magna Etruscorum; et dicitur THESAN, et THESAN pariter appellatur in alio Speculo funebri, quod describemus cap.V. n.3. Et si Dea, quae Herculi fata et aerumnas aperit in Speculo, quod exponemus Sect. V. cap. 4. ipsa est *Adrastia*, et dicitur ETHIS non THESAN fit quia Radix משא THSA potuit vario modo efferri. Tum si Theologice mater Apollinis fatidici alia esse non potuit nisi *Adrastia Moeronoma* et *Themis* magna, utique *Latona* Apollinis Mater *Adrastia* habenda est: adeoque in Speculo Etrusco funebri, quod editum est in *Mus. Clusino* Tom.I. Tab. 108. p. 98.99. et quo pulcher *Apollo* APULU arcu parato conspicitur, eum quasi complectente Muliere proxima, quae dicitur LETUN, hanc LETUN dicemus etiam *Adrastiam*, ut iterum Cap. VI. n. 3. et adeo faciemus eamdem ac THESAN et ETHIS: Nam fit nomen a לתת LTT *obvolvere involvere*, ענה ONE, UN, *responsa* oracula voces *Fata*; quia fata involuta: et ipsa *Latona* Graecorum non potest haberi nisi magna *Parca*; Et si certum est ex Athenaeo *Deipnos.* Libr. XIV. pag. 614. simulacra *Latonae* facta fuisse informia et pataica, iure colligimus habitam Deam Chaoticam, et adeo iure haberi cum Venere Proarchica Parcam magnam et *Moeronomam* Deam. De nomine ALPNU dicetur Sect. IV. c. 1.

II. *Dea Etruscorum Moeronoma dicta etiam ab Etruscis* TURIA, *et* MURAN.

In Speculo funebri Etrusco quod editum est a Gorio et Passerio in *Mus. Etrusc.* Tom. III. 2. Tab. 19. Viscontio in *Mus. Pioclement.* Tom. VI. Tav. A. n. 111. Finatio in *Mus. Borbon* III. 1. pag. 10. 11. 12. Lanzio *Saggio* II. pag. 213. 214. Inghiramio *Monum. Etr. Serie* II. Tav. 76. pag. 630. ad 660. Vermigliolio in *Iscriz. Perug.* I. pag. 54. ad 60. conspicitur Mulier duplici tunica induta, sinistra situlam fune multo adligatam gerens, dextro cubito et brachio erecto, habitu loquentis gravissima cum Adolescente penitus nudo, qui dextra praelongam lanceam habet, sinistra demissa sive Chartam sive Tabulam peramplam et pendulam tenens. Pone Mulierem Gemellus illius innititur muro vel parieti lapideo, quo stare fingitur: Pone alterum Gemellum est Protome Adolescentis basi suae imposita, in qua VOX PHLERE adsculpta, inferius Serpens. Gemellus autem proximus inscriptus PELES, Mulier media TURIA, reliquus Gemellus NELE. Super horum autem capita, quasi super tecto volantis habitu est Mulier prorsus nuda, ante quam Stella, pone Avis. In Manubrio tandem Protome vel Caput est galeatum atque alatum. Quae autem de hoc insigni Dramate omnes isti Editores protulerint referre et refellere inutilis esset laboris: Nos autem hoc illustre Drama, ut alia pleraque, non Graecum esse, non per fabulas Graecas posse explicari, sed esse Idioethnicum et patrium arbitramur, inque *Hexade Cabirica* contineri, ab Auctore sollertissimo, ut Interpretes fallerentur, Parodiacis nominibus adscriptis. *Hexas* autem *Cabirica* facta est 1. primum ex TURIA sive *Adrastia* Moeronoma, cuius Symbola characteristica: 1. Vestes plures, quia obvoluta THESAN occulta. 2. Cubitus erectus, quod saepius Viscontius, aliique plurimi animadverterunt. 3. Situla Urna etiam propria Parcarum et Deorum fatidicorum, ut ex Amm. Marcellino, Mart. Capella, aliisque pluribus constat. 4.

Plurimus funis Symbolum implicationis Sortium et oraculorum : Et ipsamet dicitur TURIA תורה TURE *Lex* scilicet *Fatum*, Praeceptum per excellentiam, *Themis*. 2. Secunda Persona *Hexadis* est PELES BEL-ES *Apollo* Deus Ens ES איש AIS, פלל PLL *Augur fatidicus*, qui omnia revelata dicta communicata ab Adrastia maxima aperit manifestat hominibus ; qui ex Tabula, Libro, membrana Fatorum recepta a Cabira Moeronoma Fata hominibus significat. 3. Tertia *Hexadis* Persona est Gemellus Apollinis, qui absolvit Fatorum traditionem *Mercurius*, Hermes, Tages Chthonius Moerodidascalus, ut dicemus paullo post, נלה NLE NELE, qui perficit absolvit scribendo explicando commentando. 4. Quarta Persona est *Bacchus* sed *Elysius*, mortuus, super cuius membra ab Apolline ipso collecta Oraculum Delphicum conditum, et cui etiam sacer Parnassus ; et qui est adeo amicissimus, et vetus socius Apollinis fatidici, nempe PHLE-RE פלל-רעה PHLL-ROE, *Auguris* et divini *socius* et comes. 5. Quinta *Hexadis* Persona est *Venus* Genitalis, quasi emergens ex Chao, Planeta suo Hespero et Columba comitibus; quia ea Fatorum causa, sine ea nullus Thronus Ananges et nulla potestas *Adrastiae* ; sed dato Mundo genitabili et perituro, datae sunt plurimae Leges, quarum custos et vindex TURIA, et monitor *Apollo* : et Salvatores quantum esse possunt *Bacchus*, et *Minerva* indicata per Caput galeatum et alatum ; qua *Hexas* huius Dramatis praestantissimi absolvitur.

III. *Dea Etruscorum Moeronoma dicta saepius* NORTIA.

Magnam et potentem Etruscorum Deam dictam NORTIAM vel NURSIAM ex Livii *Histor*. Libr. VII. c. 1. ex Juvenalis *Satyr*. X. v. 74. Tertulliani *Apolog*. c. 24. ex pluribus Inscriptionibus, quas protulerunt Fabrettus, Reinesius, Gorius constat. Hanc autem NORTIAM ipsam fuisse quae reliquis Italis FORS FORTUNA SORS, et ipsis Etruscis probabiliter SURIS, ut colligere possumus ex Inscriptione edita in *Tent. Herm. Etr.*

C. 169., ex Scholiaste vetere Juvenalis, ex Martiano papella de Nupt. I. p. 15, aliisque certum est. Nomina vero facta puto ab ירש IRS, ירת IRT *possidere hereditare* locupletari *ditari*, et נע NO *vagus mobilis incertus*: vel נהה *prohibere depellere*, quod *Fortunae* est.

IV. *Dea Etruscorum Moeronoma Hormophylax.*

In Speculo funebri, quod edidit Inghiramius *Serie* II. Tab. 21. conspicitur tristis et gravis Mulier tunicata, crepidata, pileata, scutata agens ante se *Anserem*, ex cuius rostro pendet *Monile bullatum*. Inghiramius p. 306. 307. Mulierem hanc habuit Harmoniam uxorem Cadmi. Sed quid, obsecro, uxor exsul Thebani exsulis in Speculo Etrusci defuncti? At si meminerimus omnia *Monilia* a Poëtis et Mythologis memorata sive Harmoniae ipsius, sive Heriphiles, sive Helenes infandorum malorum sive Causas sive Symbola extitisse: ut quisque potest nosse ex Apollodoro *Biblioth.* III. cap. 6. p. 173. c. 7. p. 182. etc. Pausania Libr. VIII. c. 24. Diodoro Siculo *Biblioth.* IV. c. 65. Scholiast. *Pindari* ad III. *Pyth.* Scholiast. Euripid. ad *Phoenis.* v. 171. Statio *Thebaid.* Libr. II. v. 265. Nonno Dionys. V. v. 25. p. 146. Si meminerimus omnia *Monilia* haec fatalia tradi condita a *Vulcano* dubio procul *Cabirico*, et haberi et donari a *Venere* magna genitali: Si meminerimus quod saepe adnotavimus *Anserem* esse Symbolum *generationis* et nativitatis et sacrum potissimum *Nemesi* et Adrastiae: si meminerimus ipsi *Veneri Libitinae* Etruscorum sive Veneri Infernae sacra *Monilia*, quod loco suo animadvertemus, haud dubitabimus, quin Mulier haec Speculo exsculpta sit ipsa *Adrastia* magna *Cabirica Dea*, ipsa *Parca fatalis* et *Moeronoma* Etruscorum.

V. *Nortia Etruscorum Trochodroma.*

Gorius in *Mus. Etr.* I. Tab. 3. et III. 1. Tab. 9. edidit Signum Etruscum, quo exhibetur Mulier tunicata, palliata, crepidata, dextra Globulum vel Pilulam gerens; pedibus vero insistens discis perforatis, vel ferreis annulis, vel rotulis quibus gradi videatur. Idem

Gorius T. II. p. 13. 14. Deam Pomonam signo hoc exprimi falso autumavit. Nam nec Pomona uno pomo potuit significari, nec Pomona trochodroma, nec ut iam animadvertimus p. 55. 56. Pomona aliqua fuit Etruscis: sed est omnino NORTIA *Trochodroma*, quae scilicet *trochis* et *rotulis* רץ RTZ RT N-RT *currit excurrit* רת RTH *rotat*, quum iamdiu a Mythologis et Poetis *trochos*, *rotulas*, globos ut *Fortunae* Symbola recte haberi ex Nonno Dionys. XLVIII. v. 378. 379. Pacuvio apud *Auctor. Rhetor. ad Herenn.* Libr. II. c. 23. Ex Ovidio Libr. IV. *de Ponto Eleg.* 4. v. 31. 32. Plutarcho de *Fort. Roman.* II. Oper. p. 317. aliisque pluribus sit notum. Quam NORTIAM *Trochodromam* agnoscemus etiam in alio Signo Etrusco ab eodem Gorio edito in *Museo Etr.* Tab. 83. et qua exhibetur Mulier crepidata ceterum plane nuda, alata, utroque pede insistens uni *Disco*, vel annulo vel rotulae, qua feratur volans et currens, dextra elevata Pateram inversam tenens, sinistra ad pelvim adposita; habens insuper capiti infixam sive Palam cordiformem, sive Remum foliiformem. Gorius quidem Tom. II. pag. 186. 187. adversus omnes characteres faciebat eam Venerem Stygiam Infernam Libitinam: At Nuditas, Trochus, Alae, Patera inversa, qua dat, et perdit, tribuit ac proiicit et Pala vel Remus רדה RDE, imperium רדה RDE, et adeo *Fortunam* significant.

VI. *Nortia Etruscorum acronychos et manu prava.*

Lanzius in *Saggio* Tav. XV. 1. II. p. 522. 523. Vermigliolius in *Iscriz. Perug.* 1. et 2. edit. Tab. I. pag. 46. 49. 2. edit. Millinus in *Galler. Mitol.* Tab. 72. n. 358. Micalius in *Monum. Italic.* 1810. et 1832. Inghiramius in *Monum. Etr.* T. III. Tab. 10. p. 178. 179. ediderunt atque illustrarunt Sigillum Etruscum vetusti plane operis, quo exhibetur Mulier tutulata, tunicata, palliolo supertecta, crepidata, sed cuneo vel basi subiectae ἀκρώνυχος, sive summis pedum digitis insistens, sinistra manu elevans limbum vestis, dextro cubito erecto et manu prava, cui sunt

tres posteriores digiti aequales, index prorsus abnormis, et pollex non aequus, oculis insuper straba, dorso inscriptum habens ut plures legunt PHLEXRU, vel potius PHLEXRL. De natura autem huius Deae Lanzius et Micalius tacuerunt, Passerius et Inghiramius habuerunt Spem, Viscontius fecit Junonem, Vermigliolius Nemesin. Egomet vero habeo *Fortunam* et Nortiam. Nam est 1.° ακρωνυχος, et una *Fortuna* sive *Nortia* potest sic exhiberi, et sic exhibitam fuisse colligimus ex Plutarcho de *Fort. Roman.* Tom. II. pag. 317. 2. Sunt oculi pravi, quia inaequaliter munera sua tribuit, et adeo haud cernit recte. 3. Manus prava uni Fortunae tribui potest, quae prave et inaequaliter dividit et spargit dona sua. 4. Cubitus vero Nemeseos recte tribuitur *Fortunae*, quia saepe iusta est, et adimit indignis, et dignos extollit. 5. Symbolum Spei uni fere Fortunae ex Typis Theologicis potest convenire et congruere, nec miser est et infelix, qui in *Fortunam* non speret. Scilicet hoc Sigillum et omnia reliqua plura similia, ut illud editum a Bonanno in *Museo Kircher*. Tab. XXI. n. 60. 5. a Micalio Tab. XXXII. 1. quo Deae sunt oculi clausi; illud Herculanense illustratum ab Academicis nostris Tom. II. *Bronzi*. Tab. 24. pag. 92. 94. uni plane *Fortunae* et *Nortiae* Etruscae sunt tribuenda. Sed quid, inquies, PHLEX-RU vel omnino secundum ectypa PHLEX-RL ad *Nortiam* Etruscam? Plurimum aio: Nam quis ακρωνυχος potest quiescere et manere diu? Quae *Trochodroma* manet immota? Quin necessario et tremit, et nutat, et locum deserit. Atqui tum פלץ PHLTZ, tum רעל ROL Pelasgice RL est *tremere*, *nutare*, moveri, sedem mutare, vagari, quod *Fortunae* est.

CAP. III.

Nortia Etruscorum Moerotropa.

I. *Nortia Clavipunga Moerotropa.*

Persuasum Romanis fuit graves atque diras calami-

tates, lues, pestes, morbos, et furores ipsos civiles, et quasi civilem dementiam posse e Republica amoliri atque depelli *Clavo* quodam *aereo* apotropaeo et Moerotropo, quem summus Magistratus Parieti Templi Minervae et Jovis pangeret et infigeret: Ideoque creatus aliquoties fuit Dictator figendi *Clavi*, ut ex Fragm. *Fastor. Capitolinor.* apud Gruterum T.I.2. p. 291. 292. apud Sigonium in *Fast. Capit.* aliosque constat. Quamobrem Livius Libr. VII. cap. 3. pag. 61. ad ann. 391. Urbis scribebat: *Repetitum ex seniorum memoria dicitur pestilentiam quondam Clavo ab Dictatore fixo sedatam. Ea religione adductus Senatus Dictatorem Clavi figendi causa dici iussit.* Hanc autem Religionem fuisse Romanis peregrinam atque extraneam plura manifesto demonstrant. 1. Primo quia intermissa et neglecta, quum Calamitates et Pestes redierint; quia nullum nexum habebat *Clavus* iste cum Pantheo Patrio et proprio. 2. Quia non ex Patria stata et Pontificia liturgia mos repetitus, sed vulgarium Seniorum memoria. 3. Quia Latini Scriptores pauca et male de hac institutione loquuntur. Adeo ut quum certum sit abundasse Etruriam religionibus, ita ut ab Arnobio *omnis superstitionis mater* non falso Etruria appelletur Libr. VII. p. 291. et plures ritus religiosos adoptatos inde a Romanis, et plurimas familias Etruscorum cum Romanis habitasse constet; haud temere faciemus si morem hunc Religiosum origine et formatione sua Etruscum habebimus: maxime quia Livius *loc. cit.* haec scribat: *Fixus fuit Clavus dextro lateri Aedis Jovis opt. max. ea ex parte, qua Minervae Templum est. Eum Clavum quia rarae per ea tempora literae erant notam numeri Annorum fuisse ferunt; eoque Minervae Templo dicatam Legem, quia Numerus Minervae inventum est. Volsiniis quoque Clavos indices numeri annorum fixos in Templo Nortiae Etruscae Deae comparere diligens talium Monumentorum auctor Cincius affirmat.* Nam si *Clavi* Romani non fuerunt proprie *Annales*, sed Periodici, Cyclici, Symbola magnorum

Annorum, per quos Calamitates et eorum Remedia redirent, utique *Clavi* similes fuerunt infixi templo *Nortiae* Volsiniensis: et quoniam hi *Clavi Periodici* et Cyclici intime cohaerent cum Chronologia Etruscorum Periodica, cuius elementa exposuimus in *Tentam. Herm. Etr.* pag. 47-51. et cum Elementis Panthei Etrusci, quae modo exponimus, ideo affirmavimus morem *Clavi* figendi esse Etruscum, et *Nortiam* Etruscam esse originalem Deam *Clavipangam*. Et profecto dolet tum Livium hîc, tum Festum in *Clavus*, confuse negligenter et falso de hoc more egisse, et occasionem dedisse recentioribus Scriptoribus plurimis praedicandi morem receptissimum apud Veteres fuisse numerandi omnes et singulos annos Civiles sive Solares sive Lunares per *Clavos* et Paxillos parietibus Templorum infixos. Nam hic mos est intrinsece absurdus, et non potuit apud quamcumque Gentem obtineri. Si enim *Clavi* sunt parvi et proximi, ad levem distantiam non distinguuntur, numerus non potest colligi, et brevi erosi dilabuntur: si magni et distantes ingenti spatio egent, et ubi numerantur triginta vel quadraginta anni, iam silvam efficiunt et parietem totum inumbrant. Tum poteratne deesse frustum Carbonis vel Gypsi Pontificibus, Sacerdotibus, Magistratibus, ut per claras lineas annos suos signarent, qui numerum digitorum excederent? Quin eo vehementer peccamus quod saepius Patres nostros longe rudiores, quam revera fuerunt fingimus et calumniamur. At contra si *Clavos Annales*, de quibus Historiae veteres apud Etruscos et Romanos loquebantur de *Annis Magnis* Cyclicis Periodicis intelligimus; si *Clavos* dicemus Apotropaeos et Moerotropaeos, tum morem laudabilem rationalem et utilem inveniemus et dicemus. Nam si ponimus per saeculi spatium tres vel quatuor Clavos Moerotropos fixos, tum etiam post Sextum Civitatis et Urbis saeculum facile poterimus et discernere et numerare in pariete 18. vel 24. *Clavos* sive Periodos Moerotro-

picas et elementa Patriae Historiae et Chronologiae ictu oculi recolere et reminisci.

II. *Nortia Etruscorum Clavum tenens.*

In Speculo funebri Etrusco, quod unus adhuc, quem sciam edidit ac illustravit Vermigliolius peculiari libello ann. 1811. conspicitur Persona sedens tunicata armillata, quae sinu et genibus suis impositam sustinet Mulierem nudam, quae omnino aegra et furens videtur: Sinistra vero manu habet magnum quemdam *Cuneum*, a fulcro sellae plane diversum. Hinc inde adsunt Gemelli nudi, et pone Persona alata et pallio obvoluta. Vermigliolius in Persona tunicata Theseum Atheniensem, in Muliere nuda Antiopen Amazonem, in Persona alata Venerem vel Dianam. pag. 28. 29. in Gemellis Pirithoum, et alium indefinitum p. 35. agnovit; quae falsa, quia singula Dramatis elementa adversa. Nam quis, obsecro, Theseus tunicatus, et armillatus? Nobis Persona tunicata et armillata est *Adrastia* magna Cabirica, *Nortia* benefica et Maerotropa Etruscorum, quae ingentem *Clavum trabalem* arripit, ut morbum immanem sororis *Veneris* genitalis tollat et mutet: Adsunt Deae *Moerotropae* Gemelli Cabirici Salvatores, Soteres, et Minerva, quae sive symbolice sive proprie Etruscis potuit et debuit per alatum Genium exprimi, quia essentiâ suâ verâ Typus Angelicus est. Morbus autem et pestis, quam a Sorore *Venere* vult depellere et tollere bona *Adrastia* est *furor Venereus*, furor Generationis corporum infirmorum mortalium et putrescentium: Quem morbum revera abolendum ab *Adrastia* magna plurimi Veteres et Etrusci dubio procul per magnum et *trabalem Clavum* in fine huius Mundi, everso hoc Mundo fluxo et malo, novoque per *Clavum Moerotropum* instaurato atque inducto tenuerunt: quem *Clavum*, iure *trabalem* ab Horatio appellatum, ideo factum ita magnum in Dramate a solertissimo Artifice colligere pronum est.

III. *Nortia Moerotropa Clavum pangens.*

In alio Speculo funebri, quod edidit idem Ver-

migliolius in 1. et 2. edit. *Inscript. Perus.* in *Opuscul.* I. pag. 26. 27. et alibi : tum Inghiramius *Serie* II. Tav. 62. pag. 535. 536. et descripsit tantum Panofka in *Mus. Bartholdian.* pag. 26. 27. 28. conspicitur media pulcra Mulier recta, alata, torquata, crepidata, armillata, corona florida caput exornata, palliolo fluitante inferiora tantum tecta, sinistra manu *Clavum*, non stilum, Parieti adpositum tenens, dextra vero demissa *Malleum*, quo *Clavum* infigeret: ad eius dexteram est alia Mulier decenter vestita amanter complectens, et curam habens Viri penitus nudi et sedentis, vel furentis, vel aegri et gravi morbo vexati: ex alia parte stat alius Vir nudus hastatus, et iuxta sedet Mulier crepidata et torquata, cèterum prorsus nuda : Quibus fere omnibus *oculi* sunt ita aperti et dilatati, ut ad aliquod magnum prodigium conspiciendum adstent. In superiore Speculi ora, adscripta haec verba, initio facto a loco Mulieris nudae et sedentis: AILENTA, ut Inghiramius et Panofka ediderunt, non ATLENTA, ut dedit Vermigliolius in 2. *Oper.* editione. 2. MELIATH, vel MELIAPH. 3. ATHRPA. 4. TU. . . Vermigliolius et reliqui Interpretes Graecum Mythum *Atalantae* et *Meleagri* in hoc Dramate agnoverunt; haud sentientes tam insuperabilem esse et intrinsecam absurditatem, ut non sit refellenda. Atqui hoc praestantissimum Drama est ex plane propriis et Idioethnicis Etruscorum, et Dogma servat penitus ignotum Graecis, et confuse tantum et imperfecte indicatum a Latinis, ut paulo supra pag. 89. 90. adnotavimus, quo nempe a profundis Theologis Etruscis tradebatur magnam *Moeronomam Adrastiam* fieri ad certos Periodos Mundi *Moerotropam*, et magnas aliquas calamitates, inducta nova Periodo et novo Rerum humanarum cursu expellere et fugare. Quod Dogma mire congruit cum ipsa Chronologia Ideoethnica Etruscorum, quam indicavimus in *Tent. Herm. Etr.* p. 48-51. Ipsa ergo *Pentas Cabirica* idioethnica Etruscorum in Speculo exprimitur, et una *Cabirica* dogmata Theologica et Psycho-

logica adumbrantur: Scilicet Media *Mulier* est ipsa *Adrastia* ipsa THESAN atque ETHIS Etruscorum alata, et ea mea opinione nuda, quia exhibetur huius mali et furiosi Mundi finis, post quem omnia erunt *nuda* et quasi incorporea: Eiusque Symbola evidentia *Clavus* ille *fatalis* et *Malleus*, et ipsa adeo *Nortia Clavipanga*; ab eius sinistra est unus ex Dioscuris Cabiricis rectus hastatus, quem sive *Pollucem* sive *Apollinem* appellamus non erramus. 3. Mulier sedens nuda, et vultu averso *Venus* est, Venus illa Genitalis mater corruptibilis et perituri Mundi, causa Fatorum, furorum et calamitatum omnium. 4. Ex alia parte est Mulier decenter vestita Philanthropa miserum complectens, haec *Cabirica Minerva*. 5. Juvenis tandem furens, aeger, inquietus est Gemellus Cabiricus, et Cabirus aerumnosus sive *Bacchus*, sive *Hercules*; nam utrumque habuerunt Etrusci ut *Dioscurum*, et utrumque aegrum, aerumnosum, imo *furentem*, ex veteribus Mythis, et ex Scriptoribus Apollodoro, Nonno, Euripide, Seneca, etc. novimus: Dignumque notatu est has potissimum aegritudines putasse Veteres *Clavi* infixione amoliri et repelli: Unde Livius Libr. VIII. c. 18. p. 140. testabatur: *Memoria ex Annalibus repetita in secessionibus quondam Plebis Clavum* (Nortiae) *ab Dictatore fixum, alienatasque Discordia mentes hominum eo piaculo compotes sui factas*. Et Plinius Libr. XXVIII. cap. 2. pag. 154. scribebat: *Hominum furores sedatos Clavi ferrei infixione*: Quod ipsum expressum est Lemmate Speculo adposito; scilicet: *Furentem liberat et sanat Clavo*. Nam AILENTA AIL-ENTA est הלל-נתת ELL-NTT EL-NT *furore perditum*, furiosa aegritudine deficientem: 2. MELIATH est ipsum מלט MLTH *liberat* eripit *solvit*: quod si scriptum revera MELIAPH, nempe MELI-APH erit a מאל MAL מילה MILE *Fortuna bona* αγαθη τυχη, עפא OPHA *salutaris*, *sanans*, cuius vocis lexeoschema est in *corona Nortiae* ramifera *florida*, quum עפא OPHA ipsum sit *ramus floridus*, adeo ut haec *Nortia* bona et *salutaris* potuit egregia et

propria voce appellari ab Etruscis MELIAPHA. 3. ATHRPA est a טרף THRP Arabibus *iuvare adiuvare*, Chaldaeis percutere *pulsare*, utrisque *folium* tamariscus *myrica*: Triplici Etruscis significatione; nam sensu Theologico est *sanat*, *medetur* aegro *furenti*; Liturgico est *pulsat pangit Clavum*, Hierographico est *folium*, et fortasse *Myrica*, ex qua *corona* facta *Nortiae Clavipangae*. 4. Tandem TU . . . est certe TUDI, TUD, יהוד ITD *Clavus paxillus*, qui infigitur et truditur. Bacchus autem et Hercules numquam plene et vere liberandi putabantur a suis aerumnis, et ex Elysio ubi cum reliquis animabus detinerentur, nisi finali *Clavo* a maxima Cabira infixo, quo novus Mundus, et Imperium *Bacchi* tertii, vel Telephi filii Herculis initium sumerent. Hinc dilatati *oculi* et pupillae omnibus apertissimae, spesque morituris Etruscis ingens facta per Sapientes Hierographos.

CAP. IV.

Deae Etruscorum Moerographae.

1. *Adrastia Moerographa.*

In Speculo funebri, quo *Bacchi Semelei* nativitas ex Jovis femore exhibetur, quodque servatur modo in hoc Museo Borbonico, editumque atque illustratum a Lanzio *Saggio* II. pag. 196. 197. Viscontio in *Mus. Pio-Clem.* Tom. IV. Tab. 16. pag. 362. 363. Inghiramio *Serie* II. *Tav.* 16. p. 277. 278. conspicitur Mulier alata, tunicata, torquata, sphendonata, crepidata, quae sinistra manu Phyalam gerit, dextra vero stilo acuto scribere aliqua adtentat super capita *Bacchi* et Jovis, sub Larvâ horridâ et barbatâ ex cuius ore prolixae teniae volitant: adposita voce M..RAN nempe MIRAN, ut Viscontius primum coniecit, et probarunt deinceps Lanzius, Zannonius, Vermigliolius, aliique; vel ut ego satius ad fragmenta legendum puto MURAN: Quumque *Bacchus Semeleius* sit aerumnosus et gravissimis fatis obnoxius, ut ipsa ostendunt

Nonni Dionysiaca, et Mysteria Lernaea, et quae nos praeterea Sect. V. adnotabimus: Ideo tenendum est in *Murana* ista exhiberi magnam *Parcam*, quae *Bacchi* Fata exaret et figat, quorum Fatorum symbolum sit illa ipsa *Larva Bacchica* horrida et Tragica et lemnisci volitantes: Quae quum putemus clara et certa, in refellendis falsis interpretationibus non immorabimur: Maxime quia *Phyala* istius *Muranae* ea ipsa est, quae frequenter conspicitur in manu Mulieris illius *Chaoticae* et *Pataicae*, quam descripsimus pag. 60. 61. et qua impossibile non significari *Parcam magnam*: Et ideo iure *Muranam* istam faciemus eamdam, quam THESAN et TURIA, de quibus diximus p. 81. 83. 84.

2. Quae *Parca Moerographa* est etiam agnoscenda in Speculo funebri edito in *Monum. Ined. Inst. Archeol.* Tom. II. Tab. 6. 1834. quo *Helenae*, sive potius *Animae humanae* Fata praecipua sub Iliacae Fabulae Parodiâ, quam p. 50. 51. explicavimus, exhibentur. Nam haec ipsa Mulier nuda alata phyalephora stilo scriptorio insculpit et scribit Fata: diciturque LASA IMRAE.

3. Tandem in alio Speculo funebri edito in *Mus. Clusino* Tom. II. Tab. 108., et quo exhibetur *Apollo* Arcifer medius inter tres Parcas Cabiricas gemellas, quarum propior *Apollini* dicitur LETUN, remotior THALNA, tertia MUIRA, sive *Murana*, et quae quasi proprio Nomine Fatorum *scriba* dicitur. Nam VOX MUIRA fit a מאיר MAIR *stilus acutus*, scalptrum, et מאר MAR *pungere*, lacerare, *insculpere*: et inde metaphorice *nocere* malefacere, et quia insuper מר MR *amarum* est, et מרן MRN MURANA *adversarius inimicus*, quum fata fere semper tristia adversa molesta sint et aerumnosa, hinc quisque videt quanta ratione haec *Parca* Etrusca adpelletur MURAN. Et quia Fatorum *Scribae* possunt esse multi et multarum classium, hinc patet nomen MURANAE haud ita primae Parcae fatali adtribui, ut non possit etiam alteri Fatorum scribae quandoque apponi.

II. *Venus genitalis Etruscorum Parca Moerographa.*

Nam *Venus* Etruscorum Genitalis profundo vocabu-

lo appellata LASA RACUNETA adhuc *Chaotica* et emergens ex calice floris *Chaotici*, ut vidimus supra p. 55. 56. in sinistra *phyalam* fatalem, in dextra stilum scriptorium gerit. Tum in alio Speculo, quo exhibetur ut Gamelia, et appellatur ERIS sive ערס ORS *Nuptialis*, ut dicemus agentes de *Hercule*, habet etiam *Stilum* scriptorium et *Phyalam*, etiamsi haec metalli erosione haud evidentissime conspiciatur.

III. *Minerva Etruscorum Moerographa.*

In Speculo funebri Etrusco, quod unus adhuc quantum scio edidit Inghiramius *Serie* II. Tab. 41. conspicitur Mulier illi fere similis, quam *Maniam Pataicam* diximus, dextra phyalam atramentariam sinistra stilum scriptorium gerens: adscripto lemmate: P. FRONTO MINERVAE D. D. Inghiramius *Op. cit.* pag. 428. 429. quid de ista Pataica Minerva sibi faceret nesciens, de Inscriptionis genuinitate visus est dubitare: At si plane multiplex *Jupiter*, scilicet Olympius, Thalassius, Stygius, Casius etc. si triplex Juno, triplex Hecate, etc. quidni erit duplex Minerva? Prima ex Penatibus Cabiricis Vulcani, et adeo *Pataica* et Chaotica, et altera recentior ex Jovis cerebro nata? Quin ego aio numquam Mythos et characteres Minervae sive Ægyptiae, sive Graecae, sive Italicae intelligi nisi duplici hac natura supposita et instituta, adeoque tenebimus Frontonem hunc ex veteris Theologiae effatis Speculum hoc *Minervae* dicasse, neque errasse, sive haec *Minerva* habeatur Archaeotata, sive genita et recentior: Nam quum *Minerva* semper sapiens, docta, Moeroscopa sit, semper et necessario est *Moerographa*, sive ex intima et primigenia natura sua, sive delegatione, et institutione sua.

IV. *Omnes Parcae Etruscorum Moerographae.*

Nam si *Adrastia* magna *Murana* est Moerographa, si *Venus* genitalis Moerographa, si *Minerva* sapiens Moerographa utique omnes magnae *Parcae* Etruscorum *Moerographae:* Et quum Martianus Capella in Etruscis Disciplinis eruditus Parcas faciat constanter *Scribas* Deorum,

et Jovis *de Nupt.* pag. 7. 12. 15. 17. ex ipsa Etruscorum Doctrinâ id fecisse tenendum est. Nam, ut notum est, Graeci pertinacissime fecerunt *Parcas* nentes, et ducentes fila et stamina, et colum et fusum *Minervae* celebrarunt, ipso Platone teste de Republ. X. p. 676. ut contra Romani *Parcas* fecerunt canentes et Carmina fatalia fundentes, ut constat ex Virgilio *Eclog.* IV. v. 47. 48. Catullo *Argon.* Carm. 65. v. 306. Horatio *Carmin. Saecul.* v. 26. 28. Seneca in *Hercul. fur.* v. 189. 190. Et profecto quum nulla Oracula oralia et vocalica essent apud Etruscos, quia asperrimo Regimine Aristocratico uterentur, ut in *Tentam. Herm. Etrusc.* iam animadvertimus pag. 18-25. et plurimi contra essent sibi Libri Fatales descripti, et quotidie describerentur; hinc aequum et consentaneum fuit, ut *Parcae Moeronomae* ipsae essent et *Moerographae*.

V. *Parcae Romanorum Etruscis* LASAE.

Exploratis pluribus Etruscis Inscriptionibus, in quibus VOX LASA legitur certum est eâ noxium, maleficum, molestum ens indicari, adeoque radices esse לצץ LZZ LZ LS LASA *molestiam dolorem* noxam inferre creare, vel לשא LSA LASA *perdere abolere nocere*: Et quoniam in hac nostra Oeconomia Fata Hominum fere semper tristia sunt, funesta, aerumnosa, hinc etsi nulla animi malitia *Parcae Moeronomae* sunt necessario maleficae, et adeo LASAE: Quamobrem *Parca* IMRAE, quae fata *Animae* humanae describit pag. 50. 51. est LASA, *Venus* Genitrix, quia per eam generatione et nativitate mala innumera in Mundum obveniunt est LASA RACUNETA pag. 55. 56. et ita porro.

Cap. V.

Dii Etruscorum Moerologi.

I. *Mars Jovialis, sive Jupiter Martialis fulminator, Ceraunocrator.*

Nam, ut notum est, amplissima et praecipua fuit Etruscis *Disciplina Fulguralis*, et ea hi fuerunt apud

veteres Gentes longe clarissimi: De qua *Disciplina* etsi pleraque Documenta perierint Fragmenta tamen aliqua servarunt Seneca, Plinius, Nigidius Figulus, et Johannes Laurentius Lydus. Principi autem Deorum Fulminantum trium *Manubiarum* distinctarum potestas data, et imperium magnum, ut docet Seneca *Quaest. Nat.* Libr. II. c. 41. p. 636. Hic autem Deus Etruscorum *Ceraunocrator*, etsi a Jove Kronide Graecorum sit alius, utpote qui sit *Mars Cabiricus*, quoniam Graeci Mythologi *Martem* hunc Samothracium et Thracium pro dignitate non excluerunt, factum, ut Scriptores plerique Graeci et Romani Etruscorum Deum magnum fulminatorem Ζηνα, Δια, *Jovem* appellarint: ut *Jovem* ipsum Deum Stoicorum appellarunt a Kronide Zeo longe alium.

II. *Deus Etruscorum fulminator dictus* TINIA.

Nam in Speculis funebribus Etruscorum ita est inscriptus et appellatus Deus fulminator 1. ut in Speculo nativitatis Bacchi. 2. Nativitatis Minervae. 3. in Speculo Telephi alati et Parodiae Iliacae praestantissimae. 4. in Speculo Dei fulminatoris exorabilis, quod explicabimus paulo post. Quod Nomen factum videtur ab Arabico תנן THN תנן THNN ipso Latinorum *tinnio* et *tono*, adeoque TINIA sit ipsum ac TONANS Romanorum. Qui autem putaret Deum hunc fulminatorem TINIA unum Jovem Hellenicum non *Martem Samothracium* habitum fuisse a Hierographis Etruscis prorsus erraret. Nam Martis Samothracis et Jovis Kronidae alia quidem est Mythologia et Hierographia, sed una prorsus natura et essentia Theologica.

III. *Deus Etruscorum fulminator exorabilis.*

1. In Speculo Musei Romani et Gregoriani, hactenus quod sciam inedito, sed quod descripsit Braunius in *Bullett. Arch. Roman.* 1837. pag. 74. ad 80: conspicitur Vir barbatus coronatus pallio semitectus, apertis brachiis, utraque manu habens fulmina: hinc inde adsunt Mulieres duae gemellae alatae palliatae calceatae, quae Fulminatorem hunc complectuntur, et ei a-

manter blandiuntur, accedit Gemellis Mulier galeata, lanceata, scutata, aegide armata, quae inscribitur MENRVA, ut vir Fulminator TINIA, et una ex Gemellis THETHIS, altera THESAN. Braunius in *Thethide* Achillis Matrem agnovit, in *Thesan Auroram*, et eas blandiri putavit Jovi Graeco, ut filios suos ab Iliaca morte servaret: quod Cavedonus etiam probavit in *Bullett. Arch.* 1839. pag. 139. At neque is TINIA est Ζευς Hellenicus, nec *Thetis* Pelei est THETHIS Etrusca, nec Thetidi Hellenicae alae umquam esse potuerunt, et nemo fit alatus dono alarum, quae alteri sint abscissae. Ego contra aio hoc praestantissimum Drama esse Patrium Etruscum Idioethnicum, eoque unum ex magnis Dogmatibus Fatalibus Etruscorum exhiberi, et illud ipsum quod Tuscus Virgilius expressit carmine Aen. VIII. v. 398. « *Nec Pater Omnipotens Troiam nec Fata vetabant « Stare, decemque alios Priamum superesse per annos* ». Ad quae haec adnotat doctissimus Servius: « *Secundum Haruspicinae Libros et Sacra Acherontica, quae Tages composuisse dicitur, Fata decem annis quadam ratione differri, quod nunc dicit Vulcanus potuisse fieri* ». Atqui in Dramate Speculi est ipsa Tetras Cabirica. 1. Primus *Mars* sive Jupiter, ipse Pater Fulminator TINIA 2. *Minerva* nota. 3. THESAN, ut demonstratum est pag. 82. 83. est *Adrastia* magna. 4. THETHIS, DEDIS Etrusca, est DED-IS, ISA אשה ASE mulier uxor, דוד DUD *amata*, *dilecta*, *amans*, nempe *Venus*, quae Etruscis etiam *alata*, ut vidimus pag. 55. 56. 60. 61. Hae igitur magnae Parcae ad magnum Fulminatorem accedunt, ut exorent, ut Fata vel mutet, vel moretur saltem, ut spatium adhuc concedat miseris utcumque vivendi, et agendi ex pristina fortuna, et veteri cursu Rerum, ut parcat.

IV. *Bacchus Elysius Etruscorum alter Deus insignis fulminator.*

Nam in Speculo funebri, quod edidit Bonarota ad *Dempsterum* Tom. I. Tab. 3. Lanzius *Saggio* II. Tav. X. n. 5. pag. 202. 203. Contuccius in *Mus. Kir-*

cheriano Tom. I. Tab. XXI. pag. 85. 86. aliique, conspicitur Juvenis rectus torquatus coronatus hedera, cetera nudus, hastam dextra, sinistra *fulmen* habens, inscriptus TINIA, medius inter alium Juvenem etiam torquatum et coronatum, pallio inferiora tectum, et sedentem; et qui inscribitur APULU; et alium pariter juvenem Symbolis omnibus Mercurii Hellenici exornatum, et qui inscribitur TURMS, qui etiam dextrum brachium suum proiectum habet super humero medii Juvenis fulguriferi TINIAE. Contuccius *loc. cit.* hunc TINIAM etsi incertus et haerens malebat tamen Jovem Olympicum, quam *Bacchum*: errore manifesto: Nam hic TINIA est imberbis, et Mercurius, ut aequalis et gemelli brachium confidentissime humero eius imponit, et *Apollo* sedet: quae convenientia *Baccho* fratri, absurda Jovi. Quamobrem tenendum est hic exhiberi TINIAM iuniorem, sive *Bacchum*, paterno Nomine in Filio etiam ut saepe adoptato: et notum quod apud Graecos et Latinos sit Jupiter Olympicus, et Jupiter Stygius, Juno Coelestis et Juno inferna. Lanzius contra ipsam *Bacchi* Apotheosin Olympicam in Dramate vellet agnoscere: Quod etiam falsum. In ea enim necessario adesset Jupiter pater, nec Apollo sederet, et Mercurius fuisset alio habitu et statu corporis. Ergo iste TINIA est *Bacchus Elysius*, de quo agimus Sect. VIII. ipse *Summanus* Romanorum.

2. In alio Etrusco Speculo funebri, quod unus adhuc, quem sciam, edidit Inghiramius *Serie* II. Tab. 17. pag. 299. 300. exhibetur vir barbatus, hederâ coronatus, calceatus, cetera nudus sinistra dimissa fulmen gerens, dextra complectens Puellam nudam atque alatam, quae ipsum aeque complectitur, pone Virum fulminiferum Faunus adolescens aversus et subridens. Inghiramius *loc. cit.* in viro barbato Jovem Olympicum Hellenicum, in Muliere Semelem futuram *Bacchi* Matrem vidit: Sed falso. Nam Semele apparitione Jovis Hellenici fulguratoris combusta periit, et *Semele* Bacchi ut vera Mulier numquam potuit *alata* fingi: nec

Faunus et hedera sunt Symbola Jovis Olympici. Sed si facimus *Bacchum* Elysium Barbatum Hominem, et Proserpinam Elysiam Mulierem alatam omnia constant egregie. Nam Liber sive *Bacchus Indicus* et *Proserpina alata* sunt Reges Mundi futuri, sunt instauratores Generis Humani in nova Tellure, sunt spes unica Cabiristarum morientium: quamobrem aeque tenebimus Etruscos *Baccho* suo *Elysio* et Regi futuro fulmen adtribuisse. Et prorsus iure. Nam iste *Bacchus Elysius* est ipse *Bacchus Protogonus Cabiricus*, et maxima ex parte *Zagraeus*, cui Fulmen adtribuerunt ipsi Graecorum Mythologi, ut Nonnus Dionys. VI. p. 187.

3. Qui *Bacchus* Juvenis agnoscendus in sigillo Etrusco, quod editum est in *Mus. Corton.* Tab. IV. in *Mus. Etrus. Gorii* I. Tab. XXII. a Micalio *Monum. Ital.* Tav. XXXII. 4. aliisque. Adeoque hunc ipsum *Bacchum*, quem Esmunum Phoeniciorum habendum esse ostendemus Sect. V. cap. 1. habebimus Temurice ipsum *Summanum* Romanorum, cui alteram fulminum speciem adtribuerant Romanorum Sacerdotes: unde Plinius Libr. II. cap. 52. pag. 44. scribebat. *Thuscorum literae novem Deos emittere fulmina existimant, eaque esse undecim generum. Jovem* (Coelestem) *trina iaculari. Romani duo tantum* (fulminum genera) *ex iis servavere. Diurna attribuentes Jovi, nocturna Summano* (Baccho Infero).

V. *Alii septem Dii fulminatores Etruscorum Hierographice ignoti.*

Nam quamvis ex hoc Plinii testimonio constet fuisse Etruscis novem Deos, quibus potestas data monendi per Fulmina, in Monumentis tamen Hierographiae Etruscae, ut in Romana proprià non possunt indicari fulminatores nisi *Jupiter* et *Bacchus*: Et si habitus et status signorum *Martis* Etrusci depellentis, et ferientis, dicendus est satius *fulminantis*, non erit is tertius, sed primus Deus fulminator, ut iam monuimus. Ignoti autem isti Fulminatores sunt ex 12. *Complicibus*, quos non ex Cabirica Ogdoade factos, sed

ex Daemonibus administris adsumtos tenendum est. Vide p. 22. 23.

VI. *Tertius Deus Etruscorum Moerologus Apollo Aretimius.*

Cuius pulcherrimum signum in *Tentam. Hermen. Etrusc.* pag. 145. 146. et hic pag. 82. indicavimus, et adpositam Inscriptionem explicavimus; atqui, ut ibi animadvertimus, *Apollo Aretimius* est *Apollo* ערה-תם ORE-TM, *revelans finem*, manifestans consummationem, Praefectus magnis Mundi conversionibus et Cyclicis Periodis Rerum, ipse *Apollo* Ludorum Saecularium Romanorum. Qui *Apollo* expressus fuit in Speculo Etrusco, quod editum est in *Museo Clusino* Tom. I. Tab. 108. v. hic p. 83. et quo exhibetur Juvenis pulcherrimus plane nudus arcum habens paratum, medius inter tres Mulieres, quarum quae contra est, et eum videtur complecti dicitur LETUN *Latona*, ut ipse APULU, altera pone hanc THALNA, tertia pone *Apollinem* MUIRA, quae maximae *Parcae* sunt; earumque Fatorum *Apollo* indicator et promus; Neque alius ab hoc *Apolline Aretimio* potest esse Juvenis ille Nimboferus et Arcitenens dictus USIL in Speculo funebri edito in *Monum. Ined. Inst. Archeol.* Tom. II. Tav. 60., ut a nobis supra pag. 81. 82. est demonstratum: Imo ipse et PELES TURIAE pag. 84. 85. Qui adeo habendus *Veiovis* et *Vedius* Romanorum, ut acute indicavit Gellius Noct. Act. Libro V. c. 12. p. 325.

VII. *Bygoe Dea Etruscorum fatidica.*

Fuisse Etruscis sive Deam sive Nympham, cui aliquot Libros suos fatidicos et augurales Etrusci tribuerint ex Servii testimonio constat ad VI. Aeneid. v. 72. Hancque *Bygoem* esse illam *Vegoiam*, cuius meminit Fragmentum *Rei Agrariae* editum a Goesio p. 259. rectissime iam animadvertit Salmasius *ad Solin.* pag. 54. Quin ego arbitror eamdem esse habendam Bachetim vel Bacidem, cuius Fulgentius, Pausanias, aliique meminerunt. Quae *Bygoe* quum unâ sit *Fatidica* et *Terminalis*, Fatalis et fructifera eadem ne-

cessario est quam *Themis* Graecorum, et magna *Fortuna* Italorum: Et hinc arbitramur omnino probandam emendationem a Dempstero propositam in *Etrur. Reg.* I. c. 18. p. 79. ad locum Plutarchi in *Romulo* I. p. 18. ut pro Τηθυος legendum sit Θεμιδος, et adeo tenendum sit sub nomine huius *Bygoae* fuisse Oraculum in Tyrrhenia sive Etruria. Quae dicta BYGOE, quia בקא BQA *considerat definit*, בקעה BQOE *valles campos*, גבים GBIM *agricolis*, et providet, ut hi *campi* ferant בג BG *cibos* alimenta: ad quam rem et *fulgure* בג BG homines monet. Hinc teneo huius BYGOE simulacrum et Iconem esse agnoscendam in Sigillo Etrusco operis vetusti edito a Dorowio in *Voyag. Arch.* Tab. XV. et in *Memor. Rom. Archeol.* T. IV. quo exhibetur Mulier tunicata modiofera et tessaroptera magnam rimam habens in medio pectore, quam sive ostendere sive dilatare adnititur utroque pugno. Atqui omnium primum in Figura *Tessaroptera* et *Modiofera* non potest exhiberi nisi *Fortuna* magna *Fructifera*, nisi *Ceres* Cabirica, nisi *Themis* Pelasgica. Quid porro magna *Rima* in Pectore aperta nisi quod Dea *fatidica* sit, nisi quod secreta cordis aperiat et manifestet? nisi quod BYGOE est: cuius nomen est in ipsa *Rima* בקא BQA BIGOA? et in *Modio*, quo *cibus* בג BG BIGO servatur et custoditur?

Cap. VI.

Deus Etruscorum Moerodidascalus TAGES *Tarquiniensis sive* TARCHONIUS.

I. *Quis* TAGES *Tarquiniensis Etruscorum.*

Omnem variam et multiplicem Auguralem Disciplinam Etruscorum, omnes Libros Rituales, Fulgurales, Haruspicinos, Acheronticos uni eidemque TAGETI adtributos et adscriptos fuisse ex Cicerone de *Divin.* II. c. 23. p. 330. c. 35. p. 345. ex Ovidio *Metam.* XV. v. 538. 539. Lucano Pharsal. I. v. 636. 637. Censorino de *Die Nat.* c. IV. p. 28. 29. aliisque

pluribus certum est. Quin tradiderunt, quod TAGES is e sulco exarato eruperit, et omnes has sacras disciplinas *infans dentatus* et *canus* dictasset. Et quoniam TARCHON dicitur fundator et κτιστης omnium et singularum Urbium Etruscarum et etiam *canus* et *dentatus* a nativitate a Strabone Libr. V. pag. 219. ab Eustathio ad *Iliad.* II. v. 26. et ad *Dionys. Perieges.* v. 347. et qui vivit adhuc sub Aenea, ut ex Virgilii Aeneide patet, scilicet quamdiu vivunt ipsae Civitates Etruscae, ut semper est TAGES auctor Disciplinarum Sacerdotalium, quum Tarchontius et Tarquiniensis sint idem; ideo mihi certum est *Tagetem Tarchontium*, et *Tarchonem Tagetium* esse Personam unam Mythoplasticam, et factam ex Dogmate Cabirico gemellam, dataque *Tageti* sapientia Sacerdotalis, potestas Pontificalis et literata: Tarchonti vero civilis Politica et imperatoria. Adeo ut *Tages* is *Tarchontius* sive *Tarquiniensis* sit agnoscendus et praedicandus in Figura Bicipiti sive in VEL-ATRI *Volaterrano* בעל-תרי BOL-TRI, sive Principe et *Domino duplici*: et clarius in *Taauto* sive *Thotho* Phoenicio, atque Aegyptio, et in *Hermete* Hellenico, in *Mercurio* Romano, et in *Cadmilo* Samothracio, quoad plures si minus omnes characteres, et proprietates, quae satis certae insuper sunt auctoritate Joh. Laur. Lydi *de Ostent.* c. 3. Lycophronis v. 219. 220. Varronis Libr. VI. p. 71. Scholiast. *Apoll. Rhod.* I. v. 918. Servii *ad Aen.* XI. v. 543. Macrobii Saturn. I. cap. 18. Libr. III. c. 8. Etymol. Gudiani in Καδμος.

II. *Mythus* TAGETIS *Etrusci est conditus in vocibus* TARCHONIUS TAGET.

Nam in SUIN vel IUSN est ישן ISN *senex*, *antiquus*, *longaevus:* In NOCH ניק NIQ NAQ *infans puer* vagiens; in RAT רוץ RUTZ *proruens erumpens*: in TAGET TEGAT תחת TCT ex *loco inferiore*, ex tellure, TAR תאר TAR *ostendens*, *declarans*, פיר THIR *anguria*, *auspicia* divinationes, CHON קנא QNA CHEN *volentibus cupientibus studiosis*, IVS איש AIS *hominibus*.

III. *Tages Tarquinius Etruscorum Symbolis Hermetis Graeci vel Mercurii Romani expressus, et dictus* TURMS.

In Etrusca Hierographia universa nulla sunt Hieroagalmata nulla Hierodramata, quae directe et manifesto exprimant *Tagetem* hunc *Tarquinium* : Et contra nulla fuisse simulacra condita Praeceptoris summi, Conditoris, Propatoris, Pontificis incredibile : eo magis quod in *Puntheo Cabirico* fuit Typus Theologicus dictus *Cadmus*, *Cadmilus*, *Camillus*, qui egregie potest et debet respondere Typo Etrusco *Tagetis Tarchontis*. Frequenter contra in Hierographia Etrusca Speculorum conspicitur *Hermes* Graecus, et *Mercurius* Latinus dictus voce Idioethnica TURMS. Et ex alia parte plane certum *Mercurium* hunc nec fuisse Etruscis legatum et Angelum Jovi et cuicumque Deo Olympico adtributum : nec minus Angelum Psychopompum, et Daemonem Psychagogum, ut plenius quisque ex Sect. VII. colligere poterit. Quamobrem si omnium consensu certum Taautum Phoenicium, Hermetem Graecum, Mercurium Latinum, Tagetem Etruscum plures characteres habere communes : Et si certum ut modo dicebamus *Mercurium* Etruscum nec Psychopompum esse nec legatum, utique est ipse *Tages* Chthonius, ipse Propator Generis Etrusci, et maximus Augur: Dictusque TURMS non foeda corruptione το Ερμης, ut calumniabatur Lanzius, sed quia est תור TUR *lustrator*, *viator*, quia est תרי TRI *Praeceptor Magister Doctor*, *Monitor*, et MS משיא MSIA *ambulans*, *viator*, in via, quia scilicet vivit et degit in hoc Mundo: Nam *Mercurius* apud omnes antiquas Gentes nulla excepta est Typus Mythicus Generis humani, est Typus hominis viatoris, etiam in Tartaro et Elysio, quia est rediturus.

IV. *Nuptiae admili abirici sive Tagetis Etrusci cum Harmonia Samothracia.*

In Speculo funebri, quod unus, quem sciam, edidit hactenus Contuccius in *us. Kircher.* I. Tab. 18. p. 73. 74. conspicitur Senex sedens pallio inferiora tan-

tum tectus; pone eum est Mulier stans duplici tunica induta, caputque calyptra obtecta, ramis Plantae, quae omnino videtur Mali-Granati hinc inde prominentibus: quae sinistra manu humero senis imposita dexteram suam porrigit Mercurio petasato et caduceato, cetera nudo, qui dexteram suam dexterae Mulieris coniungit: pone quam sedet alius Juvenis sive Gemellus nudus Contuccius *loc. cit.* exhiberi in Dramate putavit Minervam inermem et calyptra obtectam e Jovis cerebro prodeuntem, quum revera prodibat e suo. Atqui Senex ille sedens vel est Propator *Vulcanus* Cabiricus, vel Mars Pater: Juvenis nudus Dioscurus Apollo Cabiricus: et Mulier *Harmonia* Martis et Veneris filia *Cadmo* sive *Cadmilo*, sive *Mercurio* Samothracio atque Etrusco obnupta: Quorum nuptias prolixe canit Nonnus *Dionys.* Libr. III. Quumque, ut dicebamus Plantae illae inter quas media est *Mulier* videntur esse *Malorum Punicorum*, quae dicuntur רמון RMUN, ARMUN, per hoc Lexeoschema *Harmoniam Cabiricam* Typum arcanum matris magnae Generis humani atque adeo Etruscorum obnuptam *Mercurio* Cabirico Ityphallico et Pelasgico, nempe Propatori et fundatori Gentis Etruscae iure tenebimus.

SECTIO IV.

DII ETRUSCORUM CHREIOMELETORES, SIVE PRAECIPUIS HUMANIS NECESSITATIBUS PRAEFECTI.

CAP. I.

Deae Etruscorum Nuptiales et Genitales.

I. *Venus Nuptialis et Genitalis Etruscorum* EUTURPA *et* ERIS.

In Speculo funebri edito in *Monum. Ined. Inst. Arch. Roman.* 1836. Tom. II. Tab. 28. conspicitur Juvenis Pallio tantum semitectus vultu tristi et habitu profundè cogitantis. Ad eius dexteram manum Mulier est

capillo brevi, duplici veste induta, sinistra elevata Torquem sive *Monile* bullatum monstrans, dextra brachium Juvenis tangens: alia Muliere proxima fere per omnia nudâ, digito sinistrae manus mento imposito, habitu eius, quae dubitans et haerens exspectat et praestolatur aliquid: Haec inscribitur EUTURPA, ut proxima ERIS. A laeva Juvenis manu est alia Mulier etiam semitecta et seminuda, quae intentissime videtur instare, ut grave aliquid et magnum Juveni suadeat. Pone hanc, quae inscribitur ALPNU, est Vir gravis, tunica et pallio totus obvolutus, sinistrae manus indice eam ut videtur monstrans; adiecto nomine ARCHAXE: Quae scena quum ante Porticum columnatum exhibeatur super eius tecto quasi pronus, imo quasi volans et superiectus, effictus est Faunus barbatus, auritus, semicalvus, caudatus, cothurnatus, nudus, utrem ut videtur, gerens, et dextra Virum illum pallio involutum indicans vocabulo ambiguo adiecto: Nam ex dato Ectypo potest omnino legi FAUNU. At Bunsenius, qui in *Annal. Inst. Archeol.* 1836. Tom. VII. pag. 282. ad 290. Drama hoc illustrandum adsumsit affirmavit legendum THAMU: Scilicet ipsi *Thamyras*: Nam ex Germani huius Archaeologi sententia *Thamyras* a Musis victus in certamine Musico hîc exhibetur: Quod penitus absurdum et ineptum. Nam numquam Musae spurcissime nudae potuerunt exhiberi, nec certamen Musicum absque symbolis et indicibus characteristicis. Nec Faunus cum utre supervolat apterus ad Chorum Musicum. At Drama est Cabiricum, quia *Aedes Cabirica* porticata exculpta est characteristica, et *Pentas* adest *Cabirica*, et Drama conditum ex profundis Cabiricis Dogmatibus. Scilicet Juvenis medius est *Bacchus Cabiricus* Anthropophysius, *Fauno* suo comite vinifero; qui est adeo תמע THMO THAMO *appetens cupidus*, amans תמא THMA THAMU Entium *pollutorum* contaminatorum, nempe *Philanthropus*: Cui *Baccho* Dea *Adrastia*, Etruscis THESAN, ut vidimus, hîc ALPNU dicta a re et officio, quia אלפ ALP *docet*, edo-

cet, נה NE ני NI *lamenta*, *tristia*: AL-PNU , על-פנה OL-PNE *super circa* פנה PNE *conversiones* , *mortes* , quae ex Nuptiis cum Proserpina sint oriturae, quae *Proserpina* ex alio latere, modeste vestita, ut semper, Symbolum, et pignus, et quasi criterium certum *Nuptiarum* infelicissimarum scilicet *Monile* ostentat, ipsum fere Ορμος *Eriphyles* ; *monile* fatale ipsum Cadmi et Harmoniae, de quo nonnulla adnotavimus pag. 86. Et dicitur ERIS ערס ORS *Sponsa* desponsata, ארס ARS ERS *Nympha*: Quae manifestatio propria *Adrastiae* magnae est, cui omnia *Fatalia* et potissimum *Monilia* sunt sacra. Et coram *Venere* Genitali et Gamelia dicta EUTURPA, quia sit אוה-תרפ AVE-TRP, nempe AVE, אבה ABE *amans cupiens* תרפא TRPA turpitudinem verenda : Graecorum φιλομηδης : *Venus* Genitalis et Gemelia. Tandem Vir pallio obvolutus est Gemellus *Bacchi* coniunctissimus *Apollo*, qui amicissime eius curam habet, qui etsi obvolutus et involutus tenebris Fati et futuri, sperat tamen ארך ARK ARCHE *expectat* ferre remedium medicinam ארך ARK ARCHE, fatali praecepto צוה TZVE XE *Adrastiae* inexorabilis, et si non in hoc aevo, in futuro tamen *Liberum et Liberam* Κουρον et Κορην Sponsos fore felices: quae ipsa Dogmata Mysteriorum Eleusiniorum.

II. *Venus Gamelia Etruscorum* TURAN.

Plura sunt Specula funebria Etrusca in quibus Tetras vel Pentas Cabirica expressa est, facta scilicet ex Gemellis foeminis et Gemellis maribus, vel ex tribus Parcis magnis, et Gemellis duobus Dioscuris, inter quos *Venus* sive Dea nuda charactere suo dicta est TURAN: ut apud Bonarotam ad *Dempsterum* I. Tab. 4. Lanzium *Saggio* II. Tab. X. 4. pag. 199. 200. Contuccium *Mus. Kircher.* Tab. XX. p. 81. In alio autem Speculo funebri, quod modo servatur in hoc Regio Museo Borbonico, olimque editum fuit a Visconti in *Mus-Pio-Clem.* Tom. V. Tav. B. 1. p. 48. 50. Vermigliolio in *Iscriz. Perugin.* T. 1. ed. 1. pag. 49. Tav. 5. edit. 2. Tab. 3. pag. 61. 62. Millinio in

Galler. Mytholog. Tom. II. Tav. CLII. n. 611. pag. 99. 100. Inghiramio *Monum. Etr. Serie* II. Tab. 47. pag. 465. 466. conspicitur media Mulier recta, tunicata, stolata, diademata, quae admotam oculis pretiosam aliquam rem attente considerat, et inscribitur TURAN: alia Mulier ad eius dexteram adsurgit ad eamdem supellectilem considerandam, eoque est habitu, quo esse solet Mulier, quae charissimam sibi Gemmam tractandam alteri et considerandam tradiderit: Haec dicitur ELINAI. Ad sinistram tandem TURANAE sedet Vir galeatus, loricatus, ocreatus, qui scutum iuxta, et pugionem districtum habet, scuto voce MENLE adsculptâ, vagina gladii brachio sinistro ad pectus compressa: Is dextra *Monile* baccatum ELINAI porrigit et tradit. Viscontius *loc. cit.* pag. 270. 271. hoc Dramate exhiberi putavit Menelaum, qui recepta Helena post Troiae casum repetiit ab ea *Monile*, quod olim Venus ei donaverat, et Apollini Delphieo dedicavit. Quod falsum. Nam hic Menelaus tradit, non repetit *Monile*, et qui extorquere vi a Muliere charissimam rem vult, non sedet Muliere stante. Vermigliolius pag. 61. 62. putabat exhiberi Dramate reconciliationem Menelai et Helenae capta Troia; Quod aeque falsum. Nam Helenam iterum habuit Menelaus victam bello, et vi captam non *monilium* illecebris ductam. At si facimus hic Menelaum Procum, si parari Nuptias Helenes putamus omnia in Dramate egregie procedunt. Nam Menelaus veniens in Aulam Tyndari oppletam Procis fortissimis, et a quibus etiam vis et praelia erant expectanda recte armatus et gladio etiam districto exhibetur. In illa autem TURANA omnes Interpretes recte *Venerem* agnoverunt, in etymo tantum discrepantes. Lanzius deducebat a *τα* et *ουρανια* *coelestis*, quod absurdum, quia Venus Graecorum hylica gamelia genitalis, non est Coelestis, et vera et genuina venus Coelestis Assyriorum Graecis ignota. Minus infeliciter Viscontius et Vermigliolius deducebant a *τυραννος*, quasi *Regina* et *hera*: quod si verum TU-

RAN erit ipsum Chaldaicum תרן TRN *domina hera*; quin nobis TURAN est *Venus* vere at proprie *Gamelia*, est תארן TARN Mulier *Puella* mediatrix, quae Nuptias parat conciliat, quae תור TUR *lustrat explorat*, תאר TAR תארין TARIN *formas* figuras sponsorum, et insuper תורין TURIN *monilia*, *dona* parafernalia, munera sponsalia. Quamobrem etiamsi Hierographus Etruscus Helenam et Menelaum primario voluisset exprimere Parodiace Fabulae elementum expressisset. At porro MENLE est *Bacchus* Liber, Helena Proserpina Κορη, et TURAN ipsa magna *Venus* Cabirica huic Mundo genitali praefecta. Vide pag. 50. 51.

III. *Venus Genitalis et Matronalis, sive Juno Manturna* ATHUR *vel* UTHUR *Etruscis.*

Bonarota *Addit. ad Dempst.* edidit Tab. 93. Sigillum Etruscum, quo exibetur Mulier tunicata, palliata, crepidata magno sphendone caput ornata, sinistra manu limbum Pallii continens, dextera pateram tenens, utroque pede crepidato firmiter basi imposito. Adiecta Inscriptione: LARCE LECNE TURCE PHLERES ÜTHUR LANUEITHI: quam in *Tentam. Hermen. Etrusc.* pag. 146. 147. explicavimus: *Largius Licinius dedicavit Hieroagalma Athori placidissime manenti.* Hoc autem Sigillo exprimi Deam aliquam Etruscorum Matronalem evidens est: et quoniam Etruscis nec Juno zelotypa fuit, nec Venus meretrix: sed una *Venus* matronalis, una *Juno* domestica et maritalis, ideo hanc sive *Venerem* Matronalem, sive *Junonem Manturnam* hic et in aliis pluribus sigillis Etruscis muliebribus similibus aeque agnoscemus. Et quoniam in postremis vocibus Inscriptionis propositae nil nisi Nomen et Cognomen Deae potest contineri, ideo Deam hanc fidenter appellabimus UTHUR LANUEITHI. Et prorsus iure: Nam UTHUR fit a דור DUR Etrusce THUR ה-דור E-DUR, E-THUR *sedes, mansio, domus*, iterum דור DUR, UTHUR *perennis fixa* stabilis, דור DUR tertio *generationis sobolis familiae*. Tum *Patera* dicta צלח TZLC est Lexeoschema *quietis* tranquillitatis, quia est LANU-EITHI;

quod fit a לון LUN, לאן LAN *habitare hospitari* manere, אט ATH אטי ATHI EITHI *quiete, tranquille, placide.* Quod si proposuimus etiam lectionem ATHUR factum quod UTHUR, unica adhuc lectio sit, et Deae toto Oriente, ubi diutissime Proto-Etrusci manserunt, celeberrimae ATHOR Aegyptia, ATHARA et *Athergatis* Syra: Et etyma adhuc opportuna. Nam אתר ATR *sedes locus*; ה-טיר E-THIR *domus, aedes*, palatium; אטר ATHR *clausum* occlusum custoditum; quo quis יתר ITR ATIR *convenienter congruenter*, ה-דור E-DUR *manet, moratur, degit.*

Cap. II.

Deae Etruscorum Natales, et obstetrices.

I. *Thalna Dea natalis Etruscorum.*

In Speculo Etrusco late celebri, quodque e Museo olim Cospiano ediderunt Fabrettus, Chaussaens, Bonarota, Gorius, Fogginius, Lanzius, Millinus, Inghiramius, Schiassius, et in quo nativitas Minervae ex capite Jovis exhibetur, quodque et nos superius indicavimus pag. 76. Mulier seminuda, quae Jovi, quasi parienti officium obstetricis praestat inscribitur THALNA. Incerti Interpretes et fluctuantes naturam Venerisne an Junonis ei esset, quum Symbola ei adjecta frutex mali Punici, et Columba. Rectius faciemus utramque, quia una fuit Etruscis *Juno-Venus* et *Venus-Juno*, Venus gamelia et pudica. Et adeo servare utilius hic erit Junonis nomen, quia *Juno Lucina* Latinis et Italis late celebris, nota, et Eilethyiae filiae Junonis sive Herae Hellenicae. Eadem THALNA inscripta in alio Speculo Etrusco aeque celebri, edito a Visconti, Lanzio etc. et a nobis supra indicato pag. 95. decentissime vestita e Jovis femore Infantem Bacchum sumit. Tum in Speculo *Telephi* alati editi inter *Monum. Ined. Inst. Archeol.* Tom. II. Tab. 9. 1834. de quo agimus ex parte p. 50. 51. et agemus in *Hercule*, una ex tribus magnis *Purcis*, et quae esse nequit nisi *Venus* genitalis

et natalis dicitur THALNA. Quod nomen non esse potuit a θηλέω *nutrio*, quod volebat Passerius, quia *obstetrix* non *nutrit* infantem: non a θαλλω *germino*, quod malebant Viscontius, Schiassius, aliique, quia *obstetrix* non *germinat* nec parit: non ab αλς, quasi τα αλινα, quod autumabat Lanzius, quia nec mare, nec maritima, nec salina obstetrix; sed omnino THALNA est, quae 1. נטל NTHL temurice THLN *tollit adtollit*, et 2. Parentibus נתל NTL temurice TLN *tradit porrigit*: imo quae est דלין DLIN THLIN THLAN *extrahens educens*, טל-נאי, THL-NAI *infantem pulcrum*, et Genitoribus tradens.

II. *Laucina Dea natalis et obstetrix Etruscorum.*

In Signo Etrusco lapideo, quod edidit Bonarota ad *Dempsterum* Tab. 43. etsi carens capite, exhibetur Mulier tunicata, palliata, armillata, Pullum Columbae manu sinistra tenens, dextera pectori admota. Hac inscriptione sinistro lateri adsculpta: MI CANA LARTHIAL NUMTHRAL LAUCIN NUIL scilicet: *Hoc dedicavit Larthialis Numithralis Laucinae obstetrici*: ut vertimus in *Tent. Herm.* p. 148. 149. Nam Etrusca LAUCIN non potest esse plane alia a Latina LUCINA, ab Hellenica Λοχια, sive Diana *Eilethyia*. Et profecto Etrusca LAUCIN est, quae 1. לוה LUE *accedit* venit, חן CN *benevola*, *bona*, misericors. 2. ad לאה LAE *laborantes dolentes*, חין CIN *utero gremio*, quasi haec Horatius Flaccus verteret canendo: *quae laborantes utero puellas ter vocata audis*. Libr. III. Od. 22. v. 3. Ut LAUCIN temurice NIC-AUL, NIC ניק NIQ *infantem foetum*, AUL על OL *tollas adtollas* et reddas Parentibus. Cognomen vero NUIL additum est ad maiorem claritatem; ut ibi diximus. Quod si verior lectio NUIU נוה NUE, tum erit *Lucina domestica Domus* habitaculi laris. Cuius Deae *obstetricis* Etruscae Symbolum plane opportunum est *Pullus Columbae* sive פרח PHRC, יונה IUNE, et פרח PHRC דורר DURR. Nam homiophonon פרק PHRQ est *liberare salvare*, et פרג PHRG est *uterus vas* muliebre, et יונה IUNE *Columba* est symbolum angustiae et do-

loris יבח INE, quae ubi dicitur דורר DURR est symbolum *liberationis* et *salutis*.

III. *Mialithia Dea obstetrix Etruscorum.*

Bonarota *ad Dempster.* I. Tab. 41. pag. 75. Gorius in *Mus. Etrusc.* Tab. 3. ediderunt Signum Mulieris tunicatae, palliatae, torquatae, crepidatae, et corona baccifera caput praecinctae, quae sinistra manu Globulum tenet, dextera lateri adposita: Inscriptione adiecta: MI PHLERES MIALITHIA: quae Passerius in *Paralip.* pag. 75. 76. protulit quasi esset: *Mi flerem.. Ivalitiia*: Lanzius *Saggio* II. pag. 524. 525. legere detrectavit, quia revera luxatae primae literae, sed hastae τοῦ M clarae: quamobrem, si in lectione Passerii deest litera, et fragmenta indicant M, lectio nostra fit omnino probabilis. Quumque toto Oriente celebris *Mylitta* Assyria, de qua agit Seldenus *Synt.* II. de *Diis Syr.* c. 2. pag. 175. 176. probabilior inde fit lectio proposita. Cui *Mylittae* Assyriae fuisse etiam munus *Eilithyiae* Graecae certum est. Nam nomen fit a מלט MLTH MILITHA *liberatione* salvatione, a מ-ילד M-ILD, M-ILTH a *generatione*, a *partu*, a foetura.

Cap. III.

Dii Etruscorum Paedomeletores et Curophili.

I. *Belchinea Etruscorum Dea Paedophylax.*

Bonarota *ad Dempster.* I. Tab. 42. Gorius in *Mus. Etr.* I. Tab. 4. et Tom. III: 1. Tab. 9. ediderunt ectypum Statuae Etruscae lapideae, sed carentis capite, qua exhibetur Mulier triplici veste obvoluta, sed pedibus nudis, Infantem fasciatum ulnis gerens. Inscriptione adiecta: MI CANA LARTHIAS BANL BELCHINEI SA ... CE. Quae imperfecte protulit Passerius in *Paralip.* p. 77. satius Lanzius *Saggio* II. pag. 545. 546. nosque in *Tentam. Herm.* p. 147. 148. supplevimus, et vertimus: *Hoc dedicavit Larthes Banlius Belchineae bonae.* Acriter et diu contenderunt Bonarota, Gorius, Passerius, Maffeius, Lanzius, quaenam esset huiusmo-

di Etruscorum Dea an *Fortuna*, an *Pax*, an *Vesta*, an *Juno*. Et omnes frustra, quia quaerebant Deam non Etruscam. At si Etruscis fuit Deus *Puer* ALPANUS, de quo mox agemus, et ipse Paedomeletor, utique sive mater sive nutrix eius potest in hac BELCHINEA agnosci. Nam ipsa est BEL BAL באל BAL *utilis bona*, CHIN חן CHIN *benevola misericors*, et inverse NICH-LEB vel LEP ניק NIQ *infanti puero* לף LP *fasciato* fasciis involuto. Fractam porro vocem si legimus SALUCE, nempe שלח SLC erit *bona*, *misericors*, *propitia*, benevola, quae Deae *Paedomeletori* plane congrua.

II. *ALPANUS Deus Etruscus Paedomeletor.*

Nam Deus hic, de quo peculiari Capite agemus Sect. V., duplici in Inscriptione, quas protulimus in *Tent. Hermen.* pag. 140. 142. et explicavimus, appellatur TUPHLETHAS, nempe טפ THPH, טפל THPHL, *Puerorum*, *Puerorum Catervae*, לטש LTHS *curator*, *purgator*, *expolitor*. Factum autem iure a Theologis Etruscis, ut Deus *Puer* Puerorum curam habere et gerere putaretur.

III. *LARES Etruscorum Paedophylaces.*

Quum ingens fuisset Etruscis *Larum* numerus, et cultus assiduus, ut ex tota *Sect.* VI. potest quisque arguere, et omnes *Lares* ex intima sua natura habiti fuissent a Veteribus *Paedophylaces*, iure Diis, qui dicendi et habendi sint Paedomeletores *Lares* adnumerabimus. Certe Romani pueri circa *Lares* quotidie erant: unde Tibullus Libr. I. Eleg. X. v. 17. pag. 117. canebat: « *Sed patrii servate Lares, aluistis* (me) *et idem* » *Cursarem vestros quum tener ante pedes* ». Et *Bullas* puberum ad *Lares* suspensas omnes norunt. Quin probabile mihi est *Lares* peculiari nomine dictos SELBANOS peculiari etiam ratione ad *Pueros* et Infantes familiae spectasse.

Cap. IV.

Dii Etruscorum Carpophori.

I. *Fortuna Etruscorum Pancarpa* :

Cuius Icones, quasi ex Floris, vel Plantae foliis erumpentis ediderunt Gorius in *Mus. Etr.* I. Tab. 69. Academ. Hercul. Tom. II. *Bronzi.* Tab. X. p. 47. etc. etc. nosque iam indicavimus pag. 55-56. Diximusque FOR-TU NAM, quia FOR-TUNA פרי-תנה FRI-TNE *fructus dat*, fructus tribuit : Haec Etruscorum Ceres, haec Demeter, non Hellenica, sed Cabirica, ipsa *Venus* Chaotica et Genitalis.

II. *Vertumnus Etruscorum Pancarpus.*

Vertumnum Deum Chaoticum Etruscorum, quem supra indicavimus pag. 56. 57. fuisse *Pancarpum* ex Ovidio, Columella, Propertio, et ex Romano cultu certo arguimus. Tum etiam quia VERTUMNU-S est qui פריות FRIUT *fructus proventus*, מני MNI *dat tribuit*. Vel est VER-TUM-NUS, qui בר BR VER ברה BRE *frumentum cibum* escas, תמ TM *perficit sufficit*, נאס NAS *hominibus*. Quaenam vero essent genuina simulacra *Vertumni* Etrusci hactenus ignoratum, et falsa indicata a Fabretto *de Column. Trajan.* pag. 170. a Begero in *Thesaur. Brand.* III. p. 289. 290. Guattano in *Monum. ined.* 1787. p. 8. At nos ea agnoscimus in Sigillo Etrusco edito a Gorio in *Mus. Etrusco* I. Tab. 58. 3. et in omnibus similibus Sigillis editis in *Mus. Odescalco* Tom. II. Tab. 36. 37. in *Recueil* de *Caylus* II. Tab. 45. p. 130. in *Mus. Pio. Clem. Viscontii* I. Tab. 50. pag. 333. quibus scilicet exhibetur Vir barbatus, tunica ex posteriore parte longa et talari, ex parte vero anteriore *trunca* et *decurtata*, habens tamen Sinum collectum et plenum fructibus. Nam *tunica* et vestis מעון MOUN, פרת PRT *aperta disrupta* fracta est egregium Lexeoschema פריות-מני FRIUT-MNI *Pancarpi* Vertumni, qui sinu *Fructuum pleno* est iterum etiam Ideographice פריות-מני FRIUT-MNI, sive *Vertumnus*.

III. *Cur pauci et obscuri Carpophori Dii Etruscis.*

Quia in Regiminibus Aristocraticis severis, ut fuit Etruscum, Agricultura Mancipiorum et Servorum est. Et miseris his, quorum ingens numerus fuit Etruscis, ut in *Tent. Herm.* animadvertimus pag. 23. 24. nec Dii proprii nec Panthea propria: et plane satis crassis et obesis Optimatibus parare *compedes* et *ergastula* his infelicibus, non Agalmata Deorum et Dramata et Nomina divina condere his et componere.

Cap. V.

Dii Etruscorum Thesmophori et Dicaearchici.

I. *Voltumna Boulaea Etruscorum.*

Fuisse Etruscis Deam Dicaearchicam et Thesmophoram *voltumnae* nomine inde certo arguimus, quod universae Gentis Senatus, et arcana Optimatum Comitia habita semper fuerint in Aede sive Templo *voltumnae*, ut ex Livio constat, iamque a nobis animadversum in *Tent. Herm. Etrusc.* pag. 21. 22. nec adeo dubitamus factum Deae nomen a בלט-מני, BLTH-MNI, VOLT-MNE scilicet a *praestantia* et eminentia *mentis* et *rationis*. Nam בלט BLTH est *praestare eminere*, et מני MNI *calculus*, *ratio*, *supputatio* : Et esset adeo cognomen magnae MINERVAE, sive מני-רבה MNI-RBE, *Rationis magnae* et *multae*, quod etiam vehementer probabile.

II. *Agnoscuntur Simulacra voltumnae Etruscorum Boulaeae.*

1. Gorius in *Mon. Etr.* I. Tab. 9. protulit Sigillum, quo exhibetur Mulier veste adstricta et bullata induta, pileolo bullato caput tecta, erecto et severo vultu, oculis demissis et semiclausis, sinistra manu elevata, dexterâ protensâ, et eo habitu, quo exsequi imperata volumus, calceis repandis, pede dextro cuneo alto imposito, sinistro pendula. Nam Dea actu imperans una *Voltumna Boulaea* Etruscorum esse potest: et *Bullae numeratae* sive בלט-מני BLTH-MNI, quae sunt

in eius veste et tunica *Nomen* quoque eius aperte produnt. Tum *Pileus* Symbolum Potestatis ac Libertatis, Vestis *adstricta* מד MD Symbolum *mensurae* et Legis מד MD egregie conveniunt Deae Legiferae et *Dicae-archicae*.

2. Quae VOLTUMNA est etiam agnoscenda in Sigillo dubio procul Etrusco, quod edidit Montfaucon in *Suppl. Ant. Expl.* Tom. III. Tab. 21. p. 54. quo exprimitur Mulier tunica adstricta מד MD induta, et *bullis* בלט BLTH VOLTHU, distincta et ornata מנה MNE, sinistra lateri ad auctoritatem imposita, dextra vero *Globulum* tenens, Symbolum dubio procul Globulorum Comitialium, quibus suffragia colligebantur. Et si eiusdem manus digitus index סבאב SBAB erectus, et separatus פלא PHLA exhibetur, profundo Symbolo significatur, tum calculum et globulum Urnae demittendum, quum Rerum *caussae* et rationes סבב SBB accuratissime fuerint discretae פלא PHLA distinctae et iudicatae פלל PHLL.

3. Eamdem VOLTUMNAM Etruscam *Boulaeam* et imperantem agnosco in Sigillo Musei Pourtalesii, quod edidit Panofka *Tab.* 14. et quo exhibetur Mulier, quae ex Cubo, quo sedebat, adsurgere videtur, ut gravia quaedam et severa imperet, sinistro brachio imperative protenso, dextro disrupto, et ut puto Symbolice, Coronâ caput exornata *Bullis* magnis vel *Rosis* distinctâ. Panofka pag. 49. 50. nescio quam Clythiam ex Ovidii *Metam.* IV. v. 208. et nescio quos Heliotropii flores in signo quaerebat, ratione nulla. Si *Rosae*, sunt Rosae Blasonicae *Larthum*, ut iam animadvertimus in *Tent. Etrusc.* p. 11. Si *Bullae* בלט BLTH *Volthu* sunt Symbolum Nominis *Voltumnae*.

III. *Voltumna Dicaea Etruscorum.*

Sunt non pauca Sigilla Etrusca apud Gorium, Caylusium, Micalium, Inghiramium, etc. vetusti operis, quibus exhibetur Mulier alto Tutulo caput tecta, et altis auribus, torquata, tunica adstricta induta, et quam trahit sinistra manu, ut Spes, natibus etiam

expressis, incumbens dextro tantum pede, sinistro symbolice fracto, dextroque brachio vel etiam fracto vel exsiccato vel debili et infirmo. His autem signis *Dicen*, *Themidem*, et *Astraeam* Etruscorum in hac Oeconomia Mundi exprimi mihi certum est. Nam si Etrusci *Dicen* et *Astraeam* suam, oppleta sceleribus Terra, in Coelum totam, si dicere fas est, avolasse et aufugisse, ut Graeci fabulabantur, minime crediderunt, eam tamen claudam, fractam, mancam mansisse cum Indis sunt opinati, qui *Bovem Justitiae* suae symbolum primis temporibus quatuor pedibus firmissime stetisse tenuerunt, hinc disrupto uno tribus stetisse, hinc duobus, hinc uno stare et consistere. Quamobrem his Etruscis Sigillis uno adhuc pede manentem *Dicen* suam expressisse puto: Nam *Vestis* adstricta מד MD *metrum*, *lex*, et *Bullae* בלט BLTH, et *numeri* מני MNI *Voltumnam Thesmophoram* significant, claudam illam quidem et mancam ob ingentem hominum malitiam, sed tamen *sperantem*, sed expectantem אחרי-טהר ACRI-THER futuram et venturam אחרי ACRI *revelationem* manifestationem verae et perfectae Justitiae: cuius revelationis futurae symbolum *nates expressae* sive posteriora dorsum טהר THER אחרי ACRI expressum טהר THER; quae eadem symbola *Proserpinae* expectanti et liberandae sunt etiam et iure adtributa, ut dicetur loco suo.

IV. *Thinrusi Deus Judex Optimatum Etruscorum.* Micalius in *Monum. Ital.* 1832. Tab. 37. edidit Sigillum Etruscum rudissimi prorsus operis, quo exhibetur Persona auribus carens, straba oculis, tunica et pallio obtecta, carens pedibus, vel pedibus tunica tectis, dextra manu pateram habens, sinistra abnormi magnitudine: addito in dorso Lemmate: MI THINRUS. Micalius de more siluit. Nos putamus significari Deum praefectum arcanis et Aristocraticis Etruscorum iudicis. Nam THIN-RUS est תין THIN *meditans cogitans* רוז RUZ RUS *arcana secreta*, et דין DIN רוז RUZ RUS *iudicans decernens arcana*: Caret auribus ne gemitus et

preces cognatorum adfinium amicorum audiat, est strabus oculis, quia unam Reipublicae salutem et utilitatem intueri debet, non amicos et adfines: arcano aristocratico quasi pallio obtectus; *sinistra* manus, qua in malos et noxios Cives animadvertere debet magna, gravis, ingens: *Dexterâ* habet pateram צלח TZLC nempe *pacem*, pacificationem, *bonitatem*, felicitatem, quae semper aequo et iusto Regimine obtinetur.

V. *Telesphorus Etruscorum Dicaeophilus.*

Gorius in *Mus. Etr.* I. Tab. 18. edidit Sigillum Etruscum, quo exhibetur vir Pileolo Phrygio caput tectus, et quem non pallio tantum sed veste aliâ circa membra adstrictiore tectum diceres, sinistro tantum insistens pede, dextero ita elevato, ut manus suae vola possit percutere suum calcaneum. Gorius II. pag. 60. 61. dixit et fecit Vitumnum, nulla de more ratione. Nos putamus esse unum ex plane innumeris illis PHLERES, quae inveniebant et condebant Hierograghi Etrusci, scilicet profunda Hieroemblemata, ut nos vocabulum explicabamus in *Tent. Herm. Etr.* pag. 129. 130. quibus Dogmata sua Theologica et Politica involvebant: adeoque tenemus exhiberi *Judicem* et vindicem legum, ultorem facinorum civilium. Nam qui volâ manus percutit calcaneum pedis; est qui כאף KAPH איד AID יגע IGO עקב OQB רגל RGL. Scilicet est qui ידע IDO *videt* sentit, et יד ID potentia potestate sua כפה KPHE *comprimit* cohibet, יגע IGO *plectit punit*, עקב OQB *pravitates fallacias* dolos, רגל RGL *hominum*. Diximus autem *Telesphorum* quia est quodammodo similis *Telesphoro* Aesculapii, quia *attollit* σφυραν, et quia *bonus Judex* et vindex legum semper et iure est *Telesphorus*.

Cap. VI.

Dii Etruscorum Depulsores Tutelares Bellici.

I. *Mars Etruscorum depulsor.*

Ingens Sigillorum Etruscorum numerus editus est

a Gorio, Caylusio, Micalio, aliisque Literatis Viris, quibus exhibetur Miles, seu Vir armatus, et dextra saepius elevata, eo fere habitu, quo nos adversarium et hostem depellere vel percutere adtentamus. Interpretes passim habent Sigilla haec quasi Icones et Simulacra Heroum Etruscorum; haud animadvertentes Etruscos ob severitatem Regiminis sui Aristocratici fuisse Anhistoricos et Politice anonymos, ut nos iam animadvertimus in *Tentam. Hermen. Etr.* p. 19. 20. tum nomina adposuisse pertinacissime Heroum Graecorum, argumento manifesto se facturos idem, si ageretur de *Heroibus* in his sigillis: Adeo ut dubitari non possit, quin haec Sigilla ad suum *Martem Cabiricum* spectent, quem adeo sub *Depulsoris* et *Alexicaci* specie saepius effinxisse tenendum est.

II. *Hercules Etruscorum depulsor.*

Magnus etiam numerus Sigillorum Etruscorum ad nos pervenit, quibus etiam *Hercules* exhibetur *depulsoris* et alexicaci habitu, ipsa Clava, immo ipsis in Potestates adversarias intentatis pugnis.

III. *Minerva Tutelaris.*

Nam *Minerva* Etrusca etiam comes assidua *Herculi* et *Perseo*, etiam Aegidifera et armata: Ideoque tutelaris et philanthropa.

IV. *Dioscuri Tutelares et Servatores.*

Quantam fiduciam habuerint Etrusci in tutela *Dioscurorum* sive magnorum Gemellorum Cabiricorum argumento sunt vel una Specula funebria, in quorum plerisque vel bini et Gemelli, vel alteruter saltem exsculptus est. Sigilla porro *Dioscurorum* plura apud Gorium, et Dramata etiam plura Urnarum funebrium, quibus Dioscuri Cabirici expressi. Vid. p. 14. 15.

SECTIO V.

DII ETRUSCORUM PATIBILES ATQUE AERUMNOSI.

CAP. I.

Bacchus Protogonus Etruscorum aerumnosus.

I. *Bacchus Protogonus Etruscorum est Bacchus Cabiricus eviratus.*

1. Id enim Clemens Alexandrinus aperte testatur in *Protrept.* pag. 12. et *Bacchi Cabirici* fata ab Arnobio, Julio Firmico, Nonno, aliisque vel indicata vel descripta aeque certo sunt argumento. Ut insuper Columellae funebres *Phallomorphae* ingenti numero per omnem Etruriam inventae, ut testes sunt Gorius in *Mus. Etr.* II. pag. 141. 148. Passerius Tom. III. 2. pag. 27. 62. etc. aliique. Haec autem Dei *Protogoni eviratio* non celebrata tantum in *Pantheo Cabirico Samothracio* atque *Etrusco*, sed in Pantheo Tyrio *Esmunus*, in Byblio *Adonis*, in Aegyptio *Osiris*, in Indico *Siva*, in Phrygio *Athys*, in Hellenico *Uranus*, et secundum plures etiam *Kronus evirati.*

II. *Indicantur Dramata Etrusca Bacchi Cabirici evirandi.*

In Speculo funebri edito a Micalio Tab. 47. tres Juvenes plane similes et prorsus nudi mutuo colluctantur: Medius dicitur CHALUCHASU, dexter PULUTUKE, sinister KASUTRU: a laeva parte est Mulier, quae Arcam semicurvata aperit, inscripta TURAN: a dextra parte Mulier adest tunicata, galeata, lanceata, quae ipsa Minerva est, etsi lemma non adsit, quod fuit forte, parte Speculi effracta. Micalius III. pag. 81. pauca, confusa, et non apte de more protulit. Nos autem putamus de ipsa *Bacchi Protogoni eviratione* a duobus fratribus exsequenda hoc in Dramate agi: et adeo exhiberi *Arcam* illam revera arcanam *Cabiricam*, qua *Vires Bacchi* essent recipiendae: Tum quae recipit et servat TURANA est, *Venus* est *genitalis* et φιλομηδης, et

KUTURPA, ut vidimus p. 107. 108., ipsa Phrygia *Cybele* avidissima *Virium*, ipsa *Athergatis* Syra aeque avida: ipsa Comana Dea, et *Anaitis* Mater, ut ex operibus Vandalii, Georgii, Heynii poterit quivis facile nosse. Adest autem Minerva quia eviratio *Bacchi Protogoni* et seminiferi ad Telluris et Coeli generationem et explicationem spectat: unde vulgatum in Mythis Hellenicis Minervam etiam interfuisse lacerationi et σπαραγμῷ *Dionysi Protogoni*. Dionysus autem evirandus dicitur a Hierographo Etrusco CHALU-CHASU, כלי-קצ KLI-QTZ CLI-KS nempe כלי KLI *vas*, allegorice *phallus*, et קצ QTZ *fractum effractum*, vel חיל CIL *vires robur fractae*, et notum in *Tauroboliis* Lydis *Vires Tauri* collectas et servatas fuisse. Et non dubito quin sollers *Parodiista* Etruscus vocabula Laconica ad Drama suum non aptaverit, ita ut PULU-TUKE sit hic פלא-תוך PLA-TUK qui *medium* תוך TUK aliquem פלא PLA *dividit lacerat*. Et quin KASU-TRU ille sit, qui קצ QTZ KAS, תרע TRO, *lacerat secat*, צור TZUR *cultro*, vel *stringens strangulans*. Illud insuper velim adnotari Dioscuros Lacones habitos interdum et factos Trigeminos, et eis Minervam adpositam, ut in Etrusco Dramate, quemadmodum ex Pausaniae Libr. III. in *Lacon*. pag. 107. constat, et eos qui in hoc Dramate aliquod factum filiorum Apharei vellent invenire et deprehendere frustra esse. Sed hic *Bacchum Kasium* sive ipsum *Jovem Kasium* Syrorum indicari esse plane probabile, cuius *Bacchi* Fatum indicari etiam tenemus alio Speculo Etrusco, quod edidit Schiassius *de Pater*. Tab. 20. et quo exhibentur tres Adolescentes fere aequales nudi, Pileolis Phrygiis ornati, quorum duo hinc inde sedentes, medius iunior, dextra demissa, quasi chartas et syngraphas gerens, tristis, confusus, Gemellis hinc inde blandientibus: Genii capite alato supra exculpto strabi oculis, et alis, ut omnino videtur, vespertilionis. Quo Symbolo quum triste Fatum significetur, et dogma Cabiricum sit in his Dramatibus inveniendum, nil praeter Pueri *Dionysi* Fatum potuit hoc Dramate

significari. Nam quis obsecro cum Biancano et Schiassio p. 44. in Puero hoc Etrusco Paridem Phrygem in Aula Priami Regis agnitum et receptum agnoverit et probaverit?

III. *Dramata Etrusca Bacchi Protogoni evirati.*

1. Edidit Contuccius ex *Mus. Kircher.* Tab. XX. pag. 81. Speculum Etruscum, quo conspiciuntur tres Juvenes plane nudi, quorum medius stat hastatus, qui ad eius sinistram est in insigni sella sedet, pedibus ferinis instructa, pone truncus arboris, ad quem suspensum vasculum ansatum, sinistra manu Ensem vagina tectum tenet, dextra elevata hastam, qua ipsa dextera indice erecto Coelum manifeste demonstrat. Tertius Juvenis tristis confusus fixis et deiectis oculis aeque sedet, sed loco humiliore, lanceam sinistra habet, et dextera obtegere attentat locum sexualem, qui vacuus est, Gemellis reliquis bene vasatis, Stellae tres supra in circuitu adsculptae: nulla in capite medii, duabus ad postremum hunc pertinentibus. Contuccius in his nudis fratribus Agamemnonem, Ulyssem, et Diomedem vidit, et novas Iliacas scenas confinxit: quas potest quisque sibi habere. At arcanum et profundum Cabiricum Dogma a Clemente Alex., Julio Firmico, aliisque indicatum ita manifeste hoc in Dramate exprimitur, ut res nullo egeat commentario. Nec dubito quin vasculum illud כלי KLI sit Symbolum *Vasis humani, et virium* חיל CHIL *Dionysi evirati.* 2. Quin hoc *Cabiricum* mysterium alio etiam Speculo funebri Etrusco significatum tenemus, quod ediderunt Gorius Tom. I. *Inscript. Etruriae*, pag. 102. et in *Mus. Etr.* I. Tab. 126. 11. pag. 250. Inghiramius *Monum. Etr. Serie* II. Tav. 61. pag. 526. et quo exhibetur Senex toga picta, ut Rex, indutus, et laureatus sedens, ad eius sinistram stat Mulier nuda, menisci speciem capite gerens, adstat coram Juvenis laureatus, cothurnatus, sinistro humero ingentis Apri caput gestans, dextro hastam, ipse sexu fracto et quasi lamella aerea obsignato, ut singillatim adnotat Gorius;

qui monumentum tractaverat: ad eius sinistram est alius Juvenis sedens inferiora pallio tectus, sinistro brachio gladium vagina clausum servans, dextra temporibus admota, habituque vel dolentis, vel cogitantis tristissima. Gorius et Inghiramius novam et falsam Scenam confingunt Tragoediae Meleagri Aetoli: Quum in hoc Dramate sit Scena *Bacchi Cabirici* sub specie *Adonidis Phoenicii*. Nam si *Adonidem* laceratum ab *Apro* in femore ירך IRK Fabulae Graecorum referebant, Fabulae genuinae Phoeniciae narrabant dubio procul fuisse laceratum in ירך IRK *Inguine* et genitali parte, et adeo fuisse exsectum, ut *Osiris*, cui omnes Mythi et traditiones assimilabant, ut constat ex Luciano de *Dea Syra*, Stephano Byzant. in Αμαθους, Suida in Ερασικη: Damascio apud *Photium* in *Bibliothec.* pag. 1050. in *vita Isidori*: Ausonio in *Epigr.* XXX. et aliis pluribus. Adeo ut *Adonis eviratus* sistat sese in Tartaro coram *Cabirico Vulcano* Rege et Patre, adstante ipsa *Venere*, quae avidissime cupit *Vires Adonidis*, et Gemello fero *Marte* exsectore, vel qui immisit *Aprum* exsectorem.

3. Quin Dionysi Cabirici eviratio in alio praestantissimo Monumento expressa est: nempe in Cista aerea et funebri, quam edidit Raoul Rochette *in Mon. Inedit.* Tab. LVIII. pag. 334. 335. et qua exhibetur media Ara quadrata, super qua duo quasi disci vel rotulae, et duae breves lanceae, vel instrumenta quaedam phallomorpha: Hinc inde Mulieres duae gemellae profundissimum quemdam dolorem significantes: dubio procul quia ante Aram proiectus humi prorsus nudus iacet Juvenis mortuo similis, sexu carens, et manu inguen obtegens: Ad sinistram spectatoris et ad pedes Juvenis oppressi stant tres Juvenes gemelli recti, chlamydati, scutati, uno tantum et propiore gladium districtum et acutum in dextra habente. R. Rochette in hoc Dramate Astyanactis necem agnoscere volebat p. 334. haud sentiens refelli absurditatem a singulis elementis tum huius Dramatis, tum duorum, quae se-

quuntur, et quae loco suo exponentur, et quorum tertium egregie ab eodem Rochette explicatum plenam suppeditat reliquorum refutationem. Atqui non infans est qui iacet, sed plane Juvenis, est *Dionysus*, est *Bacchus* iam *sexu* privatus, iam *eviratus*. Tres reliqui Gemelli stantes Tetradem Cabiricam implent duorum *Penatum*, et duorum *Larum*, ut iam adnotavimus alibi. Duae Gemellae Cabirides ad Aram stantes sunt *Adrastia Moeronoma* et *Minerva Uranophila*, quae mala inde eventura praesentiunt, ut ipse Uranus exsectus futuras aerumnas Filiis praedicit in Mythis Graecis. Non Astyanactis nex; sed σπαραγμος *Dionysi* poterat in urna funebri Cabiristae exhiberi; ex hoc enim σπαραγμω data semina Animae et Corporis, et fructuum omnium, ex quibus fuit genitus et nutritus hic Cabirista, et hinc per restitutionem *Dionysi* facta spes eidem ingens Palingenesiae magnae, quae tertio Dramate indicatur. Et si Sacerdotes Aegyptii singuli in statis ceremoniis inclamabant apud se servari Osiridem, et eius *Partem* a se custodiri hoc Dramate idipsum professum esse Italum moriturum tenendum est.

IV. *Cista Bacchi Cabirici et Etrusci evirati.*

In Speculo funebri, quod modo servatur in hoc Regio Museo Borbonico, olim descriptum a Lanzio *Saggio* II. pag. 226. 227. indicatum a Finatio R. *Mus. Borb.* III. 1. pag. 65. et editum ab Inghiramio *Serie* II. Tav. 15. pag. 263. exhibetur gravis et modesta Matrona, recta, tunicata, palliata, diademata, sinistro brachio vestibus obvoluto, dextra vero tenens Myrthi, ut videtur, ramum, quo attingit manum Mulieris sedentis, et quae mediam corporis partem pallio obtecta, utraque manu clavam sive baculum nodosum tenet, eaque caput et corpus meditatione profunda quasi occupata innititur. Inter utramque autem Mulierem pendet suspensa Arcula, vel Cista plexilis: Pone vero Mulierem stantem et rectam est Genius alatus, quasi sub ea abditus, longam hastam tenens: supra caput Genii alati, et Mulieris mediae stantis adscriptum: LA-

SA SITMIKA: supra Cistam et caput alterius Mulieris TURAN ATUNIS ARM: vel ut posse legi puto ATUNI SARS. Circa femora Mulieris sedentis sparsis et incertis literis THAAS, ut visum mihi; vel ACTHE, ut Lanzius legit: circa crura Genii alati literis etiam sparsis et incertis APRNU, vel PARNU, non LARNU, ut Lanzius dedit: Qui rectissime tamen hic agi putavit de *Cista Bacchi Cabirici evirati*, plura monens opportune: At in vocabulorum analysi non aeque felix. Nos autem Mulierem mediam esse *Adrastiam* magnam tenemus: Mulierem sedentem vel Venerem Genitalem, vel potius *Proserpinam*, quam arcani Mythi peccatricem, et adeo *contaminatam* et maculatam THAAS ipsum טעש THOS THAAS *maculata foedata*: et eius causa laceratus *Bacchus*, et *Cista* suspensa; nempe TURAN sive טירינא THIRINA Chaldaeis *Arca Capsa* טורנא THURNA ATUNIS *Attinis*, vel *Adonidis*, qui ipsi sunt *Bacchus* Cabiricus, ARM vel רום RUM *elevata suspensa*, vel ut egomet lego ATUNI SARS, sive אדני-סרס ADNI-SRS *Domini evirati*, sive *Osiridis*, qui ita dicebatur, quod esset ה-סרס E-SRS, vel DU-SARES, ut Arabibus, MI-SARES ut Lydis semper *castratus* סרס SRS et *eviratus*. Magna autem *Adrastia* comitata a Genio bono PARNU sive BARNU בר BR באר BAR ברן BRN *purificante*, purgante, qui ipsa *Minerva* est: virgula *Myrthea* percutit Sororem *Venerem*, vel *Proserpinam*, ut eam expurget *expiet purificet*: iure assumens nomen LASAE, nempe *vindicis* et *punitricis*, quae שוט SUTH *flagello flagellando*, מחה MCE MICA *expiet purificet* a peccatis et maculis. In Mysteriis autem Romanis *Bonae Deae* sive *Proserpinae* aliquid simile peractum quod hoc Etruseo Dramate indicatur fuisse certo tenendum.

V. *Cor Bacchi Protogoni lacerati a Minerva vindicatum et receptum.*

In Speculo funebri Etrusco, quod editum primum fuit ab Inghiramio *Monum. Etr. Serie* II. Tav. LXXXI. pag. 700. et deinceps a Vermigliolio in *Iscriz. Perug.* Tav. IV. pag. 63. exhibetur Minerva MNRVA tu-

nicata, torquata, galeata, sinistra manu praelongam lanceam, dextra elevata *Brachium* humanum iam recisum intorquens in Virum ocreatum, loricatum, galeatum, brachio dextro mancum, et sanguinem adhuc fundentem, iamque in poplites ruentem, et humi prolabentem, sinistra manu comprehensam tenens rem globosam, et quam tu *Cor* recte dixeris; sed quae in Ectypo Vermigliolii, exsculptoris dubio procul oscitantia, non exsculpta. Adscripta VOX ACRATHE. Huius autem horribilis mutilationis causas nec Mythicas nec Allegoricas adducere potuerunt Vermigliolius et Inghiramius, levi tantum oculo Bellum Titanicum considerantes: At si animadvertissent *Stellam* Dramati insculptam capiti Viri mutilati adpositam esse symbolum *Titanis* characteristicum, quia *astra Titania*: in arcanis Mythis Sabaziis, quae retulerunt Hyginus *Fab.* 167. pag. 282. Schol. Homeri *ad Iliad.* A. v. 200. Nonnus Dionys. XXIII. pag. 622. Jul. Firmic. Maternus *de Err. Prof. Rel.* p. 14. 15. Tzetzes ad *Lycophr* v. 355. *Cor* Bacchi Zagraei fuisse a Minerva receptum, servatum, et Jovi Patri traditum, ut generationi et Palingenesiae *Neo-Bacchi* Semelei inserviret: Utique et necessario debuit esse Mythus, quo tradebatur, et raptum *Cor* Zagraei a Titane coniurato, et ex eo debellato prostrato et transfosso receptum a Minerva victrice: quod omnino habetur expressum praesenti Dramate. Et profecto si in manu Titanis *Cor* est, si adscriptum ACRATHE, sive ACRADE, quod ipsum Καρδια Hellenicum, et CORDE Latinum, utique in manu ACRATE sive truncati כרת KRT ACRATE Titanis est COR ACRATHE *Lacerati* כרת KRT ACRATI *Bacchi*, quod Minerva recipit. Drama simile etsi non ita distinctum et evidens alio in Speculo expressum fuit, quod primum edidit Caylus *Recueil* Tom. IV. Tab. 36. pag. 107. et inde Inghiramius *loc. cit.* Tav. 80. Nam Minerva efficta est subligari tantum tecta, et seminuda, *Titan* vero truncus quidem et mancus dextro brachio, sed inermis. Minerva autem ea ratione absque sua Pano-

plia a Hierographo est expressa, ut Mundi quasi incunabula et tempora quasi Chaotica et initialia quodam symbolo indicaret.

VI. *Capita Tauri Androprosopi*, *quae in Etrusca Hierographia quandoque occurrunt haberi non possunt ut elementa Hierographiae Cabiricae.*

Nam in nullo Dramate Cabirico genuino, in nullo Mytho Cabirico *Bacchus Protogonus* exhibetur ut *Taurus Androprosopus*. Adeoque quum ingens pars Etruscorum facta fuisset ex *Pelasgis Dodonaeis*, ut demonstratum est in *Tent. Herm. Etr.* pag. 2-4. 30. 31. quibus fuit *Achelous Taurus Androprosopus*, et Protogonus, ut ostendimus in *Tentam. Osco* pag. 33-40. ideo tenebimus haec elementa Hierographiae Etruscae spectare ad *Pantheum Dodonaeum* non ad *Cabiricum* et *Samothracium*. Quod inde etiam patet, quod aliqua Monumenta Etrusca prolata sunt in *Museo Clusino* I. Tab. XXIII. pag. 19. quibus *Hercules depulsor* conspicitur impositus capite *Tauri Androprosopi*, quod in *Pantheo Cabirico* prorsus absurdum, tum quia eo extraneus et ignotus *Hercules*, et receptus sero ab Etruscis Lydis, tum quia Demiurgi Cabirici, ut vidimus pag. 75-80. Vulcanus et Bacchus: At contra in Pantheo *Dodonaeo Hercules* Kiun et *Chaonius* est omnino *Demiurgus*, et quod Mars Cabiricus agit in *Bacchum* Protogonum *Cabiricum* evirando vel lacerando, facit *Hercules* cum *Acheloo* Protogono *Tauro Androprosopo*: Adeoque quum Demiurgia Mundi ex laceratione *Tauri* Protogoni esset efficienda per *Taurum Androprosopum* Hercules fit *Demiurgus*, ut Mithra Persicus laceratione *Tauri* sui, ut Typhon Aegyptius laceratione Osiridis; et hinc Hercules stat et manet capite *Tauri Androprosopi* impositus et elevatus. Vide plura si lubet in *Tentam. Osco* loc. cit.

Cap. II.

Bacchus secundus Etruscorum Semeleius etiam aerumnosus.

I. *Bacchus secundus Cabiricus atque Etruscus ex corde et semine Bacchi Protogoni in Luna servato genitus et prognatus.*

Nam Nonnus Libr. XXIV. *Dionys.* p. 623. profitetur quod Bacchus secundus et recentior esset genitus « αρχεγονου γαρ » Εκ κραδιης ανετελλες αειδομενου Διονυσου ». Tum Hyginus Fab. 167. p. 282. scribit : « *Liber Jovis et Proserpinae filius a Titanis est distractus : Cuius cor contritum Jovis Semelae dedit in Potionem ; ex ea praegnans quum esset facta Semele* etc. *Cor* autem et Semen et Phallus *Bacchi* Cabirici Protogoni in *Luna* potissimum servata recepta et custodita fuisse Veteres pertinacissima persuasione tenuisse argumento sunt testimonia Avestica aperta, clara, plurima ; *Taurus Lunaris* Aegyptius *Apis*; Tum ab ipsis Graecis Theologis filium *Lunae* Σεληνης gnatum appellatum et praedicatum *Bacchum* Semeleium apud Clementem Alexandrinum in *Protr.* p. 48. Ulpianum ad Oration. *Demosth.* in *Midian.* pag. 174. Ciceronem de *Nat. Deor.* Libr. III. cap. 23, pag. 208. Euripidem in *Bacchis* v. 1062. 1063. etc. etc. certum est.

II. *Nativitas Bacchi secundi potuit a Hierographis Etruscis secundum Mythum Graecum exhiberi servatis Traditionibus Gabiricis.*

Nam *femur Jovis* est ירך-יה IRK-IE, quod est etiam *Semen Dei* metaphorice: Tum *Luna* est ירח IRC: eiusque lexeoschema crypticum est *femur* ירך IRK: Ita ut *Bacchus* filius *Lunae* ירח IRC, Mythice sit filius *Femoris* ירך IRK.

III. *Bacchus secundus Cabiricus atque Etruscus etiam aerumnosus.*

Etsi facta et fata Bacchi secundi Cabirici fuissent

prorsus arcana, ut iam innuimus, adeo ut tenendum sit ea in mysteriis tantum, puta Lernaeis, fuisse expressa per *Bacchum Aesymnetum* et Prosymnum, certum tamen est Theologos veteres etiam hunc *Bacchum* habuisse *aerumnosum* et phereponum. Nam in Dramate Nativitatis eius, quod supra indicavimus pag. 94. *Parca Moerographa* MURANA amarissima certe Fata describit sub Larva Tragica horrida symbolo certissimo aerumnarum. Tum ipse *Bacchus* infans egreditur e femore Patris calvus rasus חלק CLQ, nempe חלך CLK *miser pauper aerumnosus*, et ornatus *torque* bullato transverso aeque symbolo aerumnoso, ut videbimus paulo post agentes de *Alpano*, ipso *Baccho* secundo Puero.

IV. *Bacchus secundus Etruscorum mortuus.*

In Adpendice Monum. ad *Inscript. Etruriae* Tom. IV. Tab. 16. edidit Gorius Speculum Etruscum, quo exhibentur duae Mulieres tunicatae et stolatae efferentes per caput et per pedes transversum Hominem mortuum capillatum barbatum tunicatum palliatum. Gorius in Tom. I. *Inscript.* pag. 78. in Mulieribus Medeam et Sororem, in mortuo Aesonem Thessalum agnovit, quam opinionem probarunt Biancanus et Schiassius de *Pater.* pag. 76. Sed prorsus iniuriâ. Nam Aeson ille Thessalus ferventibus aquis elixus brevi fuit dissolutus: nec Medeae alae ad pedes et Nimbus capiti, quae sunt uni ex Mulieribus. Quae symbola quum uni *Adrastiae* magnae possint convenire hanc ipsam in Speculo dicimus, Sororemque dicemus *Venerem*, et mortuum *Bacchum* Semeleium, cuius Mysteria Lernae celebrata. Nam ipsa figura *Bacchi Indici*, ut a Graecis effecta, et saepissime in Vasis pictis, eadem coma, eadem barba, eadem tunica, eadem aetas. Venus autem adhibetur, quia eadem *Libitina* est et *Epitymbia*: De *Bacchi* autem Semelei morte etsi certos et solemnes Mythos Graeci, quantum scio, non texissent, rumores tamen plures tenuerunt, eumque vel a Lycurgo Thrace, vel potius a Perseo Argivo fuisse

necatum dixerunt, quos rumores S. Augustinus, Syncellus, aliique plures retulerunt.

Cap. III.

Alpanus Deus Etruscorum puer et acrumnosus, ipse Bacchus secundus Cabiricus.

I. *Alpanus Etruscorum anserifer et rectus.*

In egregio Signo Etrusco, quod primus edidit Passerius in *Act. Societ. Columbar.* Tom. I. et paulo post et non semel Coltellinius, tum Lanzius *Saggio* II. Tab. XV. 6. p. 534. Micalius *Mon. Ital.* Tab. XLIII. aliique, exhibetur Puer rectus, bullatus, armillatus, cetera plane nudus, capillorum cirrum et plexum habens in capite collectum et strictum, sinistra manu Anserem gestans, dextraque ipsum hunc Anserem indicans, gravi tristique vultu: Hac inscriptione adiecta: BELIAS PHANACNAL TUPHLTHAS ALPAN HENACHE CLEN CECHA TUTHINES TLENACHEIS: Passerius in hoc Signo nescio quem Larem de more videbat, Coltellinius Statuam votivam Cyrioschematicam, Lanzius Bacchum faciebat: Et falso quoad Hierographiam Hellenicam, quam unice quaerebat. Quum contra si quis Typus Theologicus Veterum potest conferri cum hoc Etrusco unus est Harpocrates Alexandrinus. Nam et eadem aetas, et idem Krobylus, sive capillorum cirrus et plexus, bulla similis, torques non dissimilis, Anser similis: ut ex Monumentis iam collectis a Kirchero, Cupero, Sponio, Begero, aliisque constat. Quibus Symbolis Deum humana carne vestitum, humana generatione natum exprimi certo tenendum est. Nam *Anserem* Isiacum, Junonium, Priapeium esse solemne et receptissimum Symbolum *generationis*, et *nativitatis*, et adeo mortis etiam et finis nemo ignorat, qui Romanorum saltem Sepulcra, et Vasa Graecorum picta aliqua attentione consideravit. Tum cirrus et plexus capillorum dicitur דום DUM, et ipsum דום DUM דם DM אדם ADM est *sanguis* est *homo*; et *simulacrum imago* דמה DME: nempe AL-

PAN sive אלפ A-LP *Puer*, Infans, qui fasciis cingitur לפ LP ALP, et qui טפ TEPH *aequatur*, *aptatur*, לטש LTHS *politur detergitur*: Adeoque si meminerimus Pantheum Alexandrinum Isiacum non fuisse Aethiopicum et Thebaicum, sed Syrum et Phoenicium, adeoque ex parte Cabiricum: Si iterum meminerimus *silentium* esse Semitoglossis דום DUM, et Krobylum דום DUM, sentiemus Alexandrinos-Syros voluisse in suo *Sigalione* etiam alterum lexeoschema דום DUM servare, quod Etrusci neglexissent: et habebimus *Harpocratem* Alexandrinum, et *Alpanum* Etruscum ex eodem *Baccho Cabirico* secundo deductum et derivatum. Et quoniam Dii ut ut patibiles et aerumnosi Dii sunt et potentes, ideo dubitari non potest, quin huic ALPANO Theologica sua munera Sacerdotalia Collegia non adsignaverint atque adtribuerint: et si eum dixerunt ALPANUM sive *Puerum* לפ LP; נהי NEI נ NI *lamentantem*, potuerunt iure praeponere vagitibus et fletibus Infantium, et illum proclamare TUPH-LTHAS ALPAN: scilicet ALP, לפ LP *Puer*, הון EUN EIUN *bonus utilis*, ad לטש LTHS, *curandos*, *expoliendos*, *detergendos* לפ LP *Pueros Infantes*: Nempe habere ut Deum *Poedomeletorem*, ut iam innuimus pag. 114. Inscriptio enim quam vertimus in *Tentam. Herm. Etrusc.* p. 149. 150. huiusmodi est. *Belius Fanaenalius Alpanum Puerorum Curatorem dedicavit, peragentibus Festum Praetoribus Tlenachiis.*

II. *ALPANUS Etruscus calvus et repens.*

Passerius primus peculiari libello *de Puero Etr.* 1773, hinc Amaduzius in *Alphab. Etrusc.* pag. 112. ad III. Tom. *Pictur. ex Vascul. Passer.* Lanzius *Saggio* II. Tav. XV. 5. pag. 530. Fea *ad Winckelman.* Istor. Art. Tom. I. p. 312. Micalius in *Mon. Ital.* Tav. 44. ediderunt Signum Etruscum sciti operis, quo exhibetur Puer bullatus, armillatus, raso capite, sedens humi, qui dextera manu Telluri imposita, molesto conatu erigit caput, et Coelum intuetur, brachio sinistro fracto et amisso, in quo prolixa inscriptio apposita: cuius haec tantum supersunt: . . . EAS FELUS

A . . . IS CELF ANSL . . . ES CFER THAF THLI CLAN.
quo Signo exhiberi putarunt Interpretes cyrioschematice aliquem Puerum Etruscum e morbo restitutum, signumque habendum votivum. Quod falsum. Nam nulla Signa votiva Cyrioschematica demonstrata ad nos pervenerunt; Numquam capita puerorum ingenuorum rasa, habitusque et status Signi omnino Symbolicus non naturalis: Scilicet est *Deus* ALPANUS ob *generationem* et *nativitatem*, quae in Inscriptione dicitur ANSL נסל NSL humi proiectus, et repens, quasi quadrupes, divinae tamen originis suae memor, humilisque conditionis indignatus se se erigere, et ad Coelum suum attollere vultus conatur, patienter ferens hunc statum expiationis et purificationis. Nam fragmenta illa Inscriptionis truncae in *Tentam. Herm. Etr.* ita vertimus p. 143. 144.: *Imminutus, involutus vicibus nativitatis purgat sese morte humilitate ... ut fiat beatus et Lar.* Quod revera peractum a Theologis Etruscis quoad *Herculem* certum est. Etsi igitur Deus *rasus* abrasus, quasi amissa divinitate חלק CLQ, et adeo factus חלך CLK *aeger, miser, pauper*, FAS פס PHAS *deminutus* e gloria sua et maiestate, FELUS פלש FLS *obvolutus* pulvere et sordibus Terrae, qua iacet, impeditus *vicibus nativitatis*, nempe CELF ANSL חלפ-נסל CLF-NSL, et hinc necessario morte minuendus THAF-THLI, טפ-רלי THPH-DLI, qua tamen *humilitate*, vilitate, abiectione *purgatus*, purificatus resurget pulchrior, et erit Hominibus Divus et Lar. Quamobrem minime dubito, quin Pantheum Etruscum hoc Typo praebeat luculentam facem Harpocrati Alexandrino adhuc profunde obscuro, et quin uterque amicissime coniungantur cum remotissimo et adhuc ignoto Budda Transgangetico Deo tamen maximo tertiae ferme partis Generis humani.

III. *ALPANUS Etruscus iacens.*

Est praeterea aliud Etruscum Signum antea et latius celebre, quo exhibetur *Puer* bullatus, armillatus, cetera plane nudus, humi iacens, Columbam pedibus

carentem dextra stringens, sinistra vero Globulum occultare adfectans, adsculpta femori hac inscriptione: PHLERES XEC SANSL CFER. Hoc autem Etruscum Signum primus, ut puto, indicavit Saec. XVI. Vinandus Pighius in suo *Hercule Prodici*, tum Saec. XVII. edidit Felix Ciattius in sua *Perusia Etrusca* I. pag. 131. 132. hinc ineunte Saec. XVIII. Fontaninus in *Antiq. Hortae* pag. 146. tum Montfauconius in *Ant. Expl.* III. Tab. 41. pag. 40. Bonarota *ad Dempster.* I. Tab. 45. Gorius in *Mus. Etr.* I. Tab. 141. 11. pag. 45. Lanzius *Saggio* II. Tab. XV. 6. pag. 532. Vermigliolius *Iscriz. Perug.* I. Tab. I. p. 42. Ciattius autem Puerum hunc habuit *Bacchum* Graecorum, ad quam opinionem inclinare visus est Lanzius: Gorius l.c. et Maffeius in *Osserv. Letter.* III. p.48. faciebant *Tagetem*, Passerius incertus fluctuabat inter Jovem puerum, Genium, Larem, et ipsum Tagetem. Vermigliolius Passerii sententiam de Jove puero tenere et tueri est visus. At omnes falso: quia nulla adsunt aequa Symbola, nulla opportuna testimonia, quibus eorum opinio demonstrari vel suaderi possit. At primo Symbola Dei aerumnosi sunt Armillae et Bulla, quibus cingitur, quia natura sua amuletica et averrunca necessario mala et aerumnas indicant. 2. Vultus tristissimus. 3. Status iacentis et proiecti. 4. Lemma adiectum, quod in *Tent. Herm. Etr.* p. 142. vertimus: *Hieroagalma tribulationum desideratae nativitatis expiatio.* Nam PHLERES in eodem *Tentam.* pag. 129. 130. explicatum est *Agalma Symbolicum Hieroglyphicum arcanum*, XEC TZEC צוק TZUQ *pressionum, angustiarum, tribulationum*, quae obveniunt et oriuntur ob SA-NSL, ob סוה-נסל SUE-NSL *desideratam concupitam generationem et nativitatem.* Unde est necessarius status *purificationis* et *expiationis* CFER כפר KPHR: Quam *expiationem* ipsa hac voce CFER כפר KPHR expressam indicat sinistra *Pueri manus*, qua *obtegit.* כפר KPHR, *globulum* דור DUR Symbolum *durationis*, דור DUR *rotationis* דור DUR *generationis* et *nativitatis* דור DUR,

usque dum *Columbae* natali et Symbolicae non sint amplius *Pedes*, nempe רגל RGL, usque dum non sit *corpus humanum* et membra peritura, scilicet usque dum *Columba* חמאמ CMAM *libidinosa*, natalis, genitalis, et propterea יונה IUNE, יגה INE *oppressa*, *vexata*, *tribulata*, reiectis pedibus רגל RGL deposito humano corpore fiat omnino דורר DURR libera, sive *Columba liberrima* et *pura*.

IV. *Alpanus rectus calvus et torquatus.*

Ennius Viscontius in Tom. III. *Mus. Pio-Clem.* Tab. XXII. et Tab. A. VI. edidit Iconem Pueri nudi in syncipite calvi, gravi et tristi vultu ad Coelum converso, torque obliquo exornati, in quo expressi sunt Menisci, bipennes, securiculae, manus sinistra, delphin, malleus, ensiculi etc. Viscontius habuit hoc signum Cyrioschematicum Pueri votivum, qui ex morbo convaluisset. Et falso. Nam nulla Inscriptio adiecta, quae necessario adponenda, si signum certum et Cyrioschematicum: Habitus pueri tristis, moestissimus, ut ipsemet Viscontius agnoscit, quod sano iam et incolumi absurdum; Torques symbolum malorum et aerumnarum, quod prorsus adversus votum. Tum Pueri numquam calvi, si calvities morbosa, absurdum exprimi in statua votiva Pueri iam restituti atque sani. Pueri Coelum non intuentur. Quamobrem non dubitamus, quin statuam hanc Etruscus Artifex effecerit, suumque ALPANUM ea expresserit, qui calvus, ut saepe Harpocrates, torquatus, ut etiam Harpocrates, Amuletis onustus, quia aerumnosus, ut Harpocrates; Coelum intuetur, ut Alpanus repens, et alia certa *Alpani* simulacra. Tum in Speculo Etrusco Nativitatis *Bacchi* superius indicato p. 94. 95. Bacchi torques est etiam obliquus, et si in eo non possunt discerni Menisci, Securiculae, et alia Amuleta factum ob angustiam operis; at plane certum Torquem Bacchi nascentis esse bullatum et Amulcticum.

V. *Alpanus Anserem comprimens vel strangulans.*

In *Museo Capitol.* Tab. 64. Tom. III. editum si-

mulacrum *Pueri*, qui ingentem Anserem strangulat; simile edidit Ennius Viscontius Tom. I. *Opusc. var.* pag. 179. 180. et Tom. IV. *Oper. varior.* pag. 167. 169. Simile in *Mus. Borbon.* Tom. VIII. Tab. 15. Tum idem Viscontius in *Museo Pio-Clem.* Tom. III. Tab. 36. pag. 171. protulit Iconem Pueruli humi sedentis anteriore capitis parte calvi, qui sinistra manu vehementer comprimat *Anserem* humi stratum, vultu tristi contracto, et ad Coelum converso: Cui in *Galler. Florent.* II. Tab. 70. 71. p. 76. 77. alia similia simulacra indicavit Zannonius. Omnes Interpretes lusum Artificis in his Signis agnovere et potissimum celebris Boëthi, qui Signum confecerat, quo exhibebatur infans, qui *eximie Anserem strangulat*, ut loquitur Plinius Libr. XXXIV: cap. 80. At omnium primum quantum egomet scio Anseres adulti, ut sunt Anseres Iconum praedictarum, ita feri sunt, ita asperi et petulantes, ut nisi in Piscinis et vivariis pueros et infantes lusitare cum illis impossibile nedum comprimere et angere. Tum Anser non strangulatur per lusum ab Infante, quum ne adultus quidem nisi plane robustus et audax impune strangulaverit. Quamobrem longe satius faciemus, si strangulationem hanc habemus Symbolicam et Allegoricam, ut illa *Proserpinae Alatae*, quae utraque manu duos Anseres strangulat, ut dicemus loco suo: eoque magis, quod Boethus iste fuit ex profundis Symbolopocis, et *Anser*, ut adnotavimus Symbolum celeberrimum *generationis* et *nativitatis*. *Alpanus* ergo infelix, quia *genitus* et *natus*, redire ad Coelum suum volens viam *generationis* et *nativitatis* reiicit, et horret, et adeo *Anserem* strangulat.

VI. *Alpanus Etruscus habendus est Bacchus secundus Cabiricus.*

Nam nullus est Typus divinus in *Pantheo Cabirico*, qui possit cum Typo ALPANI Etrusci conferri, nisi unus *Bacchus* secundus *Semeleius*, nempe *Anthropophysius*, factus ex סמל SML forma hominis, nempe *homo*, natus ut homo. Secundo, quia in Dramate Etrusco

nativitatis *Bacchi* secundi, quod supra indicavimus p. 94. *Bacchus* nascens est *Calvus* ut *Alpanus*, et Torque bullato transverso et obliquo exornatur, ut Alpanus. 3. Tertio quia Bacchus secundus Etruscorum ita aerumnosus est habendus, ut idem *Alpanus*, et adeo *Alpanus* iste Etruscus habendus *Bacchus* secundus Cabiricus et *Semeleius*.

Cap. IV.

Hercules Etruscorum Phereponus.

1. *Hercules Etruscorum Candaules.*

Simulacra *Herculis*, quae *pellem* Leoninam dorso aptatam gerant pelle crurum anteriorum nodo ad collum adstricta pauca prae reliquis apud Graecos et Romanos, plurima apud Etruscos, ut quisque potest facile deprehendere ex Monumentis collectis atque editis a Gorio, Caylusio, Inghiramio, Micalio, etc. Adeo ut tenendum sit id dubio procul factum ex more et nomine patrio ac vetere. Atqui testatur Tzetzes *Chiliad.* VI. *Hist.* 54. v. 2. apud Lydos appellatum fuisse *Kandaulem*, qui hoc modo fuisset *pelle* vestitus. Nam scribit: Το δε Κανδαυλης Λυδικως τον Σκυλοπνικτον λεγει: Scilicet *Lydorum Lingua dicitur Kandaules, qui pelle leonina est quasi praefocatus:* nodo nempe crurum ad collum adstricto: Nam σκυλον est *pellis*, et πνικτος est *praefocatus*. Verum quidem est in vulgatis libris legi: σκυλοπνικτην: sed nulla sententiâ. Et si Jablonskius *in Opusc.* III. pag. 88. volebat legere σκυλοπικτην *pelle pugnans*: haud iure faciebat. Quamobrem lectionem propositam tenebimus; eoque magis quod VOX KANDAULES ipsum hoc σκυλοπνικτος significat. Nam KAN temurice ANK אנק ANQ est *praefocari suffocari*: DAU temurice UAD עוד OUD *pelle corio*, LES ליש LIS *Leonis*, vel temurice SEL שחל SHL *Leonis* iterum. Et quia vocabula Hierographica tum data opera polydynamica sunt, tum aorista, et adeo KAN אנק ANQ potest active esse *praefocare*

et *suffocare*: DAU respondere יאד IAD *manu*, *brachio*, quisque videt *Kandaulem* etiam *praefocatorem* esse et suffocatorem *Leonis*, nempe ipsum *Herculem*: quem revera appellatum *Kandaulem* testatur Hesychius : Qui quum addat *Mercurium* etiam sive *Hermetem* dictum fuisse *Kandaulem* interpretationem a nobis propositam mire firmat. Nam *Mercurius* Chthonius Necrophylax, si minus apud Graecos, apud Romanos tamen et Etruscos saepe est *Cyno-Candaules* , sive *Canina pelle tectus*, ut Leonina Hercules : Nomine tamen minime immutato. Nam idem שחל SHL SEL LES est *Leo*, et *Canis*, sive *Sciakalis* Symbolum mortuorum et morientium apud omnes Orientales celeberrimum.

II. *Hercules lac Junonis sugens.*

In Speculo funebri elegantis operis , quod edidit Schiassius *de Pater*. Tab. X. p. 37. conspicitur Matrona sedens, quae praebet Mammam Adolescenti stanti, et pellem Leoninam *Candaulice* gerenti : quum ex alia parte alius sit Adolescens, aliquantum aetate maior , brevi chlamyde ad tergus pendente, sinistra manu baculum gerens , dextraque humero Matronae imposito, Adolescentem sugentem lac attentissime inspectat. Biancanus apud Schiassium in Matrona *Junonem*, in Adolescente sugente *Herculem*, in reliquo *Mercurium* esse agnoscendum rectissime putavit. Nam pellis Leonina et corona populea scite circa oram Speculi adsculpta *Herculem* demonstrant: Traditumque porro est a Diodoro Siculo Libr. IV. cap. 9. p. 255. 256. Eratosthene in *Catasterism*. cap. 44. pag. 136. Pausania Libr. IX. cap. 25. p. 758. Auctore Epigram. *Antholog*. Libr. IV. cap. 12. p. 333. aliisque lactatum a Junone *Herculem* fuisse : Quumque Eratosthenes *loc. cit.* addat Herculem *Mercurii* ductu atque ope Lac Junonis suxisse, et chlamys illa, et virga illa characteristica *Mercurium* indicent, hunc *Herculis* socium *Mercurium* dicemus : eoque fidentius, quod plura alia sunt Specula funebria in quibus *Hercules* et *Mercurius* manifestis signis instructi, ut *Lares Cabirici* exhibentur.

Cur autem *Hercules* Lac Junonis appetiverit clarius ex Mart. Capella Libr. I. *de Nupt.* p. 9. et 11. arguimus, scilicet ut natus matre mortali plenae immortalitatis fieret capax: Et propterea palam est Junonem hanc non esse Hellenicam filiam mali Kroni, sterilem et invidam; sed est *Juno Cabirica*, Fortuna maxima, et Vesta Italorum, quae ipsum Jovem lactant., est Isis, quae Horum lacte suo immortalem reddit; cuiusque *Mamilla* lactis immortalitatis Symbolum in Isiacis Pompis ducebatur.

III. *Hercules et Adrastia Moeronoma.*

In Speculo funebri, quod ediderunt Bonarota *ad Dempster.* Tab. 2. Gorius saepe in *Parergis Musei Etr.* Lanzius *Saggio* II. Tab. XI. aliique: conspicitur medius Hercules HERCLA adolescens *Candaules* sinistra manu clavae innixus, exspectantis habitu, brachio dextro collo proximae Minervae MENRVA circumiecto, quae galeata, loricata, hastata, sinistra manu limbum vestis suae adtollit, stante ad eius dexteram Muliere pulcra, crepidata, torquata, armillata, corona radiata caput cincta, ceterum prorsus nuda, sinistra ampullam, dextra graphium vel stilum scriptorium habens, inscripta nomine ERIS, plantisque magnis dubio procul aquaticis iuxta exsculptis. Tandem ad sinistram *Herculis* est Mulier diademata, tunicata, stolata, crepidata, torquata, et magnis alis instructa, vultu gravi, demissis oculis, dextro cubito elevato, et brachio sinistro imposito, magna gravia tristia *Herculi* exponere et narrare videtur: Adscripta voce ETHIS. Bonarota *Addit. ad Dempst.* p. 10. 11. Gorius in *Mus. Etrusc.* II. p. 30. 5. Passerius in *Symbol. Gorian.* Tom. II. p. 45. 46. in *Paralip.* p. 23. 24. Amaduzius in *Lexic. Etrusc.* T. III. *Pictur. Passer. ex Vasc.* p. 130. Viscontius in *Mus. Pio-Clement.* T. IV. p. 89. 90., Raoul Rochette in *Cours d' Archeolog.* 1828. pag. 133. Apotheosin *Herculis* sive solemnem *Herculis* receptionem inter Deos Olympicos exhiberi putarunt, omnibus fere in ERIS Ηρην, sive *Junonem*

Hellenicam, in ETHIS nescio quod aevum atque aevitatem agnoscentibus. At prorsus falso. 1. Primo quia iste Hercules est plane iuvenis et Candaules, ut non potuit fingi in Apotheosi. 2. Secundo, quia Minerva est habitu tum pugnantis, tum sperantis, quae penitus absurda in Apotheosi. 3. Tertio, quia aeque absurdum fingi Junonem nudam, et reiici longe, et facere scripturientem. 4. Et ita porro per singula Dramatis Elementa. Nec potiora protulit Boettigherus in suo *Hercule Prodici edit.* 1829: in alata ETHIS *Victoriam*, in ERIS nuda Heben agnoscens. Nam absurde eo habitu Victoria effingitur, absurde adstante Minerva, absurdissime Minerva sperante. Nec illa ERIS poterit haberi Hebe in quacumque Hierographia. Lanzius tandem *loc. cit.* p.209. ipsum habuit *Herculem* Prodici, de quo Xenophon *in Memorab.* II. p. 461. Dio Chrysost. *de Regno* p. 14. aliique loquuti sunt, et putavit Mulicre alata ETHIS exprimi Voluptatem, Muliere nuda ERIS Contentionem. Sed aeque absurde. Nam in qua, obsecro, Hierographiâ *Voluptatem* quis exprimet castissime vestitam et modestissimo vultu alloquentem et alatam? Quae hîc Contentio et Discordia nuda coronata torquata scripturiens coram Minerva victrice? At si meminerimus Dogma fuisse omnis veteris Philosophiae atque adeo Cabiricum: nulla mala, nullae aerumnae, ubi nulla Generatio nulla Nativitas, et contra omnia mala et omnes aerumnae ubi data Nativitas est: Si meminerimus Etruscos fecisse *Lasum* sive Parcam Scribam etiam *Venerem* genitalem dato nomine *Lasae Racunetae* p. 51. 96. Si adnotamus ERIS vel ARIS ארס ARS ערס ORS esse *Sponsam*, *Thalamum* statim perspiciemus quanta sapientia Hierographus illam nudam mulierem et scribam adposuerit; nempe *Venerem Genitalem*. Tum alae, vestium modestia, cubitus, vultus gravis, profunda cogitatio *Adrastiam* magnam produnt, quae *aerumnas* Herculi constitutas ob Generationem humanam susceptam exponit et numerat. Securus quidem stat *Hercules*, tum divinitate sua con-

fisus, tum Minervae innixus, quae armata fidentissime sperat labores omnes a *Parca Moeronoma* propositos esse felicissime superandos.

IV. *Lasa* IORAN *frustra obstans coeptis Herculeis.*

In Speculo funebri cuius Ectypum ostendit mihi Eques Mansius, et quod nescio an alicubi editum sit, conspicitur *Hercules Candaules* dextra Clavam sinistra arcum et sagittas habens quasi pergens et gradiens ad pugnam: adversus eum stat Mulier calceata, ingenti pallio obvoluta, inscripta IURAN: Ex altera vero parte est Minerva inscripta AMENRIA Galeam, lanceam., Aegidem habens, praecincta insuper Caprina Pelle, et Columbam sinistro humero impositam gerens, severo atque irato vultu, dextroque brachio lateri imposito, habitu Dominae imperantis et prohibentis. *Herculem* hoc Dramate exhiberi iam ad labores exantlandos proficiscentem palam est, et magna gravia adgredi, difficilesque hostes esse superandos ipsa Minerva Panthea aperte demonstrat, hîc enim adest cum potestate totius Triadis Cabiricae: Nam praeter propria Symbola, habet Symbolum Columbae Veneris genitricis, et Pellem caprinam Junonis Lanuvinae. Quae contra Herculem est LASA Tartarica Cacodaemon ingenti pallio בגד BGD obvoluta, nempe ingenti בגד BGD *malitia deceptione* instructa. Ea dicitur IURAN a יער IOR *pravus malus*, pungens, unde *urticae* dictae יערין IORIN, ita ut haec LASA posset dici *Lasa Urticaria.* Tum הר ER ער OR est *vexare nocere* malefacere: ubi contra magna Minerva dicitur AMEN-RIA nempe אמן-רעה AMN-ROE *fidelis firma* constans sincera, socia *comes sodalis* amica, et quâ sociâ מנע-רעע MNO-ROO *cohibentur arcentur* מנע MNO, *pravi* et *mali* רעע ROO.

V. *Hercules Etruscus Lasas insidiatrices non timens.*

In Speculo funebri, quod edidit Bonarota ad *Dempster.* Tab. 5. Gorius saepe in *Parergis Mus. Etr.* Lanzius *Saggio* II. Tab. XI. 1. pag. 205. Vermigliolius *Inscriz. Perug.* Tab. 2. p. 52. 62. aliique: conspicitur *Hercules* HERCULE, qui quum citato gradu aliquo

contenderet, quasi adventante post se hoste gravissimo sese convertit retro, clavam dextra stringens ad vindictam paratus, pharetra in terram delapsa. Minerva praecedens et eodem tendens retro etiam vultum convertit: retro etiam conversis tribus capitibus magni Draconis, qui cum Minerva graditur. Bonarota pag. 11. 12. Passerius *in Paralip.* p. 28. 29. Lanzius II. pag. 204. 205. Zoega in *Bassi Rilievi* II. pag. 61. 64. Vermigliolius *op. cit.* p. 53. 54. aliique putarunt hoc in Dramate agi de Herculis certamine cum Lernaea Hydra: Quod falsum. Nam Draco non ruit in Herculem, vel Minervam, sed placide pergit cum illis; et impossibile effingi hostem et una currentem et una se retro convertentem a quocumque stupidissimo Artifice. At quid, inquies, iste triceps Draco in Dramate? Mihi est ipse Draco Minervae sacer, ipse Palladius serpens, etsi fatear eum me non legisse tricipitem, ut nec tricipitem umquam legi Lernaeam Hydram. Id vero non est mirum in Etruscâ Hierographiâ. Quamobrem arbitror Artificem Etruscum finxisse hîc alias Lasas, alios Cacodaemones turbas et rumores post Herculem movisse, ut iter coeptum abrumperet: At non valuisse a coepto cursu et proposito abstrahere. Esse autem Herculem et Minervam initio coeptorum et laborum argumento certo est Virga, quam manu sua habet Minerva XI lineolis notatam et divisam, quibus Labores ipsos significari apertum est, sive quia una ex XII. lineolis abrasa, sive quia Hierographus primam Leonis Nemei quasi peractam non numeraverit.

VI. *Hercules Etruscus ad Atlantem.*

Micalius in *Monum. Ital.* Tab. 36. 3. edidit Speculum funebre quo cernitur *Hercules Candaules* vitta caput praecinctum, dextra clavam, sinistra Poma Hesperidum iam collecta tenens. Coram stat Vir ingens nudus barbatus magnum pondus quasi saxum cervici impositum ambabus manibus tenens inscriptus ARIL, *Hercules* vero KALAPICE, non ALAAKE, ut prave edidit

Micalius Tom. III. p. 53. Nam prima litera est manifesto K, et altera prave vel exscripta vel descripta. Atlas autem rectissime dicitur ARIL, AR-IL, הר-אל ER-AL *mons Dei*, quia eo sustineri *Domum Deorum* putabatur. Hercules vero plane ex vero dicitur קלע-פוכה QLO-PUKE, KLO-PUK, *raptor pomorum*, *Ruba-pomi*. Nam קלע QLO est *extorquere auferre*, *rubare* nobis et hoc ipso sensu *calare*, et פוכה PUKE *malum*, *pomum*. Haec autem *Poma* quae Hercules surripuit sunt *Poma ambrosia* Poma vitalia, quae immortalitatem conferunt. Et hinc factum ut Etrusci saepius in Speculis et Gemmis Cycnum Martis filium Herculi obstantem ne ad Atlantis Hortum accederet, ab Hercule confossum exhibuerint: quod in *Tent. Herm. Etr.* indicatum pag. 260. vid. *Annal. Instit. Archeol.* 1834. p. 337. 338.

VII. *Hercules Cerbero extracto.*

In Speculo funebri, quod edidit Inghiramius in *Lett. de Etr. Erudiz.* Tab. 2. et Vermigliolius in *Iscriz. Perug.* Tab. 4. conspicitur *Hercules Candaules* dextera clavam gerens, sinistra arcum habens, et trahens vinctum *Cerberum* tricipitem, adscripta voce HERCLE; coram adest Mulier diademata, torquata, pallio inferiora tantum tecta, ceterum nuda, quae dextra coronam capiti Herculis imponit, aliam coronam similem in carpo sinistrae manus servatam habens, adscripto nomine MIEAN. Juxta hanc est alia Mulier, sed tunicata, ingenti pallio involuta, et turpi facie, adscripta voce LEINTH. Zannonius, qui Drama hoc illustravit, in illa seminuda MIEAN Junonem, in ista LEINTH nescio quam Lethem et oblivionem vidit; Quasi plena reconciliatio inter Junonem et Herculem hoc Dramate peragatur; quod pluribus etiam suadere conatur Vermigliolius p. 66. 69. Sed frustra uterque. Nam reconciliatio ista nec facta est, nec potuit fieri, nisi post flammas Oetaeas, nisi post mortem Herculis, et solemnem receptionem in Olympum. Nec in tanta re Deorum Regina ita nuda et humilis sistere se potuit coram Hercule et Cerbero. At si meminerimus 1. fuisse

Etruscis plurimos bonos et malos Genios, plures Camillas beneficas, et plures Lasas maleficas. Tum pertinaciter Veteres putasse quod Victores potissimum et Triumphatores essent obnoxii fascinationi et praestigiis et posse a *malis oculis* vexari et affligi: Prodesse in *fascinationibus* et praestigiis *Coronas* factas ex quibusdam *herbis* et plantis, ut constat ex Virgilii Ecloga VII. v. 25. 26. ex Martiano Capella I. pag. 25.: Nos omnino in Muliere involuta et tristi LEINTH *Lasam fascinatricem* et praestigiatricem agnoscimus, ut in pulcra seminuda MIEAN Camillam averruncam et apotropaeam: Maxime quia LEINTH et nasali ablata LETH LATH לאט LATH est *fascinatio incantatio* praestigiae: et MIEAN vel est מ-הון, M-EUN *adiumentum*, *auxilium*: vel est ipsum מ-עין M-OIN *auxilium adiumentum in oculos* pravos et malignos.

Cap. V.

Proserpina Etruscorum aerumnosa.

I. *Proserpina rapienda.*

Ennius Viscontius in *Museo Pio-Clement.* Tom. IV. Tab. II. Inghiramius in *Galler. Omeric.* I. Tab. XL. Gerhard in *Monum. Ined. Arch. Rom.* I. Tab. 12. ediderunt Anaglyphum, quo exhibetur Vir pulchrae et ingentis staturae, pallio sinistrum latus tectus, dextro nudo, sinistra manu forcipem tenens, dextra elevata, quasi quid iubens vel prohibens: contra eum stat Mulier minoris staturae, sed non minoris conditionis, quae dextrum brachium lateri impositum tenet, sinistrum vero brachium pallio obvelatum ori impositum habet; eo plane habitu, quo Mulieres audire solent, ea, quae pudicitiam vel suam vel suorum spectant. Media est puella spicis et granati flore caput ornata, minoris etiam staturae. Viscontius *loc. cit.* p. 95. 96. putavit hoc Dramate scenam ab Homero descriptam *Iliad.* A. v. 571. 572. repraesentari, qua Vulcanus Hellenicus suadere vult Matri suae Junoni, ut Jovi

Patri potentissimo obediat. Quam interpretationem tum Inghiramius, tum alii iniuriâ probarunt. Nam Vulcanus Hellenicus parvus et distortus numquam potuit tam magna et praestanti forma effingi, ut est in Anaglypho, ut contra Juno Hellenica Regina superbissima tam parva et minuta. Praeterea nihil est in illa Scenâ Homerica, quod cum isto Dramate possis utcumque comparare. Ex quo factum ut Panofka in *Annal. Inst. Archeol.* 1829. I. p. 393. Granati florem in glandem convertens et Puellam nubilem in infantem, nativitatem Erichthonii Attici in Anaglypho vidit, quae quia dormiens non vigilans vidit nihili facimus. At si *Vulcanus* is est *magnus* et ingens, si est כביר אבא, utique exhibet *Vulcanum Cabiricum* et Samothracem, et adeo Etruscum., et si *Malum-Granatum* et Spicae Symbola *Proserpinae*, utique *Puella* adstans ipsa *Proserpina* est, et Mulier proxima *Ceres Cabirica*, Ceres Mater: Cui *Vulcanus* maximus Fatum quod Puellae incumbat vel indicat vel aperit: quam revelationem habitus *Cereris* aperte et necessario demonstrat: Nec possumus dubitare quin Mythus hic non fuerit inter Samothraces et Cabiristas, quum eis fuerit Vulcanus Typus maximus et centralis, et Proserpinae Raptus Dogma fundamentale: Adeoque si licuit Mythologo Nonno Libr. VI. p. 179. *Dionysiac.* Astraeum Fatidicum et Vatem Fata *Proserpinae* rapiendae Cereri Matri nuntiantem et praedicentem inducere, quidni licuit Hierogragho Cabiristae ipsum hoc officium *Vulcano* maximo et Cabirico tradere?

II. *Proserpina rapta.*

Proserpinae Raptus, quomodo a Graecis Mythologis expressus per innumera Monumenta notum est, notumque etiam Etruscos quandoque eodem Dramate et Mytho usos in suis Urnis funebribus. At certo tenendum est in vetustissimis Mythis Cabiricis haud potuisse exprimi et fingi eodem pacto. Nam in *Pantheo Cabirico* nullus Plutus filius Kroni, et frater Jovis: Regesque Tartari Cabirici *Venus* Libitina et *Bacchus*,

ut Aegyptiis *Isis* et *Osiris*: Adeoque alia ratione raptam ex Olympo, et societate Deorum Olympicorum Proserpinam a Hierographis Cabiristis et adeo Etruscis est certo tenendum. Atqui Gorius in *Mus. Etr.* Tab. 38. Zannonius in *Galler. Fiorent. Serie* IV. Tom. I. n. 24. p. 58. 59. R. Rochette in *Monum. Ined.* Tab. XLII. Panofka in *Annal. Inst. Archaol.* Tom. II. 1830. T. L. ediderunt Signum dubio procul Etruscum, quo exhibetur Juvenis alatus, plane nudus, capillis hirtis et horridis, vultu tristi et gravi, qui Puellam tunicatam, palliatam, corona radiata caput exornatam, passis brachiis, vultu et oculis ad Coelum conversis expressam, brachiis correptam ferat. Gorius Tom. II. pag. 106. in Juvene alato Mercurium, in Puella Proserpinam agnoscebat, autumans iterum a Mercurio referri ad Olympum ad matrem Cererem: quam opinionem probare visus est Winckelmannus in *Mon. Ined.* II. p. 47. Sed falso. Nam Puellae habitus non est laetantis et gaudentis, sed contra desperantis et dolentis. 2. Zannonius vero loc. cit. acriter Gorio reprehenso, in Juvene alato Mercurium, in Puella Bacchum infantem vidit: et longe absurdius. Nam Mercurii capilli breves et crispi non hirti et horridi, ut in Signo; nec Mercurius Hellenicus umquam ita alatus. Tum Bacchus infans ex plurimis Monumentis alia longe ratione expressus, et numquam potuit exhiberi ea aetate magnitudine veste, quibus expressa Puella Signi huius. 3. R. Rochette p. 228. in Juvene alato exhiberi putavit Daemonem Genethliacum, praefectum nativitati hominum, et in Puella Hominem ipsum fato nativitatis abnoxium. At falsum gestari infantem recens natum, quum sit Puella plusquam decennis: falsum infantem humanum in veteri Hierographia exhiberi corona radiata: Falsumque veteres Hierographos Agalmata huiusmodi prorsus et nude Symbolica condidisse. 4. Tandem Panofka pag. 323. 324. in Juvene alato Amorem et Cupidinem in Puella Venerem modo natam agnoscit. Et etiam falso. Nam Venus natura sua ma-

ter Chaotica est et initialis, emergit magna et adulta ex Floribus Etruscis, Cabiricis, Aegyptiis, nec vagit infans in cunis umquam: Et Venus illa quam indicat Pausanias in *Eliac.* Libr. V. c. 11. p. 158. est ipsa Venus magna Mater et nuda, non infans et vagiens. At si ingens ille Genius est כביר KBIR, si necesse fuit in Hierographia Cabirica Raptum Proserpinae exprimi alio modo ab Hellenico, si Puella, quam rapit Genius omnes characteres habet Proserpinae vestitae, coronatae, gementis, dolentis: si Genius ille est necessario Tartaricus, quia capilli sunt hirti et horridi, utique satius faciemus, si elementum Cabirici Raptus *Proserpinae* in hoc Signo Etrusco agnoscimus.

III. *Proserpina exsul eiecta.*

Hebe Junonis et *Proserpina* Cereris etsi *Mythice* et *Hierographice* sint Personae aliae et diversae, *Theologice* tamen sunt unum, ex Typo eodem deductae, nempe sunt symbola *Animae* humanae sive Hominis, et Sponsae Demiurgi et Conditoris Mundi huius. Adeoque si in Mysteriis Eleusiniis *Liber* et *Libera* erant Sponsi adhuc ad mammas Cereris, evirato et eiecto in Elysium Baccho, necesse fuit eiici et pelli etiam Proserpinam. Et si verum est, ut vidimus, plurimos eam raptam, probabile mihi est etiam alios putasse, quod eiecta fuisset, ut Hebe. Fateor non succurrere Mythum aliquem, quo id diserte tradatur, sed innumera sunt Sigilla Proserpinae, ut adnotabimus paulo post, quibus se esse eiectam atque exsulem aperte significat. Quin mihi certum est oppressionem et eiectionem Proserpinae Sponsae Bacchi Demiurgi peractam ab ipsis fratribus Cabiricis exhiberi in secundo Dramate Cistae aereae Praenestinae editae a R. Rochette Tab. LVIII. pag. 335. 336. Nam statim ad sinistram Spectatoris Columna est ad humanam staturam elevata super cuius Capitulo Jonico tres Coni impositi: Hinc Crater pedatus, in quem aquae fluunt ex rictu capitis Leonis horridi: Hinc stant duo Juvenes Gemelli illis simillimi, qui sunt in primo Dramate iam descri-

pto p. 124. 125. coram quibus Puellam penitus nudam prolapsam humi, et quasi super poplites suos sedentem, et mortuae similem, clausis oculis et demisso capite, arreptam brachio sinistro sustinet Homo chlamydatus et senior; Hinc Columna altera gemella, qua Drama hoc clauditur: In quo R. Rochette agnoscit Polyxenae Troianae Sacrificium, nulla, ut quisque videt, ratione. Ego contra persuasus omnia Dramata Vasorum funebrium esse Psychologica et Theologica, et omnia mutuo nexu Psychologico et Theologico cohaerere: quum tertio Cistae aereae Dramate exhibeantur Nuptiae solemnes *Liberi* et *Liberae*, Dionysi et *Proserpinae*, ipso Rochette interprete, ut dicetur loco suo, scilicet Instauratio in Paliagenesia magna Deorum exsulum et eiectorum; ipsum exsilium ipsam eiectionem *Sponsae Proserpinae* secundo hoc Dramate expressam teneo, etsi eiectionis Mythum indicare non valeam; et quia possum cum aliis plurimis ignorare, quum sit: Vel quia non superest scriptum, quum supersit insculptum. Nam possunt Mythi pingi et exsculpi, et non sermone et lingua tradi. Proserpinam autem Italorum originali traditione non proprie raptam, sed oppressam eiectam exsulem plurima mihi sunt argumento et indicio, quae hic referre inopportunum est.

IV. *Proserpina Etrusca tristis et moerens Coelum suspiciens.*

Inter Sigilla Etrusca, quae ediderunt Gorius, Caylusius, Academici Herculanenses, Inghiramius, Micalius, etc. plura sunt in quibus Mulier cernitur modeste et decenter vestita, tristi et moesto vultu, oculos ad Coelum attollens, in quibus omnibus unam Proserpinam Cabiricam agnoscendam esse aio. Nam ex Deabus reliquis Cabiricis, quae Olympicae naturâ sunt haud quaerere possunt quod habent: quae natura et fato Terrestres, ut Venus Genitalis, nec possunt nec volunt fieri Olympicae. Una Proserpina est natura sua Olympica, sed eiecta sed exsul, et quae vult regredi et revorti in domum suam, et adeo una, quae

tristis et moerens Coelum aspiciens potest et debet effingi. Quum autem haec evidentia sint et characteristica, et Sigilla huiusmodi plura singula minutim describere necessarium non arbitramur. Vide Gorii *Mus. Etr.* I. Tab. 24. etc. etc. *Bronzi Ercolanesi* II. Tab. 3. 67. etc. Caylus *Recueil.* V. 3. 34. etc.

V. *Proserpina Etruscorum sperans.*

Plures adhuc sunt Figurae Signa Sigilla Etrusca Graeca et Romana, quibus exhibetur Mulier, quae limbum vestis suae attrahat et adtollat: Eoque habitu primus, ut puto, Bonarota *ne' Medaglioni* p. 94. 95, SPEM indicari demonstravit: Quam interpretationem certatim Archaeologi deinceps probarunt. Ea tamen intemperanter usus est Inghiramius in suis *Monum. Etrusci Serie* III. qua collecto ingenti numero horum Sigillorum omnia SPEI adtribuit et adsignavit: Haud animadvertens simulacra SPEI allegoricae in una fere Hierographia Romana inveniri, eaque recenti, in qua una Virtutes, et Facultates quaedam Animi, ut *Fides*, *Concordia*, *Honor*, habitae Dii, symbolisque et figura sua donatae. At in Pantheis vetustioribus Typi Theologici sunt omnes Mythici et quasi Anthropophysii et Psychophysii, et quibus propterea non potest respondere nuda et allegorica SPES. Ex Deabus autem Cabiricis non una est, quae possit exhiberi *Sperans*. Nam ipsa *Adrastia* Fatalis si hypercosmica vel encosmica consideratur inexorabilis est, et non sperans, sed *Fortuna* terrestris, sed *Nortia sperare* facit omnes, et singuli in *Fortunam* venturam sperant, adeoque *Nortia* et *Fortuna* possunt rectissime habitu *Spei* exhiberi, ut iam adnotavimus pag. 88. Tum *Minerva* per se quidem non sperat, habet enim Dea Olympum: At potest sperare pro suo *Hercule*, et adeo *sperantis* habitu exprimi, ut supra p. 139. vidimus. Potest sperare *Voltumna dicaea*, ut vidimus p. 118. Tum sperare possunt et debent *Bacchus* et *Hercules* Cabirici, utpote Elysii et Praefecti futuro Mundo: At *Proserpina* exsul et eiecta, Bacchi Sponsa, una est vere

et proprie *sperans*, quia est restituenda, et in Olympum revocanda. Quamobrem Mulierem tristem, moestam, modestam sperantis habitu habebimus semper *Proserpinam*, maxime si vestes ita trahat, ut *Nates expressae* sint; et *ter-gum* טהר THER sit quasi *revelatum* טהר THER. Nam haec *Proserpina* illa Gentium Dea est, de qua Cap. LXVI. loquitur Isaias, illa אחד AHD unigenita, *unica*, quae אחר ACR tempore futuro *postero* restituenda est, cuius adeo symbolum est *Tergum* אחר AHR, *posteriora* טהר THER. Adeoque hanc Deam *Achrither*, quae vox Etrusca et *aevum futurum* significans, ut vidimus in *Tentam. Herm.* pag. 211. agnoscemus in Sigillis et Signis Etruscis, quae edidit Gorius Tom. I. *Mus. Etr.* Tab. 27. 35. 47. II. pag. 99. 100. Montfaucon *Ant. Expl.* Tom.III. Tab. 42. p. 74. Caylusius in *Recueil* I. Tab. 29. pag. 89. 90. Inghiramius *Serie* III. Tab. 5. 9. 10. 11.12. 13. 14. 15. Micalius *Mon. Ital.* Tab.29.32.34. Quin hac occasione animadvertemus Hierographos veteres dubio procul, ut puto, Graecos, inter SPEM allegoricam, et Deos sperantes manifestam distinctionem apposuisse: Deos nempe hos *Sperantes* et adeo Mythicos vivos et agentes repraesentantes, *Spem* vero ut statuam et hieroglyphicum et columnam, cui *Dii* Mythici inniterentur, et incumberent, vel utcumque eis adposita esset et adiuncta: cui Hieroglyphicae *Spei* tum vestis adtractionem tum *modium* veteres Hierographi constanter adtribuerunt: non tantum, quia *modius* est Symbolum Annonae et Ubertatis et *Spei*, sed quia *modius* mensura dicitur שבר SBR. *annona* frumentum שבר SBR, et *Spes* expectatio fiducia שבר SBR SPER priscorum Latinorum.

VI. *Proserpina Etruscorum capillis passis et caesis Phraunia vel Feronia.*

In his Sigillis Etruscis, quae modo indicavimus, in quibus scilicet exhibetur *Proserpina* ACHRITHERA sive *natibus expressis* ipsa haec *Proserpina* est *Capillis* sive sparsis sive discinctis, et qui retro cadunt etsi pro-

lixi *caesi* tamen semper et exaequati: Ita ut ista prolixorum *capillorum caesio* habenda sit systematica et characteristica. Atqui Coma, *capilli* prolixi, caesaries dicitur פרע PHRO, PHRAU, PHERO, et *caesi fracti recisi* נוא NUA ניא NIA: nempe FERO-NIA. Ergo haec *coma fracta* est Lexeoschema *Proserpinae Feroniae* vel *Phrauniae*: Quo nomine tota Italia celebrem *Proserpinam* pluribus Inscriptionibus notum, quas collegerunt et ediderunt Gorius, Reinesius, Gruterus, aliique, indicatumque in *Tentam.* nostro *Osco.*

VII. *Proserpina Murefora, atque iterum Feronia et Phraunia.*

In Sigillo stili veteris, et ut plane videtur Etrusci, invento circa fluvium Silarum Lucaniae meae, exhibetur Mulier duplici tunica induta, nempe longiore et breviore, diademata, capillis anterioribus ad frontis initium in coronam attonsis, posterioribus longioribus quidem, sed etiam super collo in gyrum caesis, sinistra manu gestans Murem agrestem; sinistra aliquid etiam olim gestante, quod tamen deinceps periit. Hoc Sigillum primus leviter descripsit Vargas in *Colonie Euboiche* pag. 364. 365. Sed paulo post edidit et illustravit P. Anton. Paoli peculiari *Dissert.* et iterum edidit in *Antich. Pestan.* et inde Carolus Fea ad *Winckelm. Istor. dell' arte* Tom. I. p. 429. Tav. V. Vargas autem loc. cit. putavit hoc Signo exprimi Sethonem Aegypti Regem, cui statuam manu Murem praeferentem ab Aegyptiis fuisse positam testatur Herodotus Libr. II. c. 141. pag. 143. At falso. Nam Aegyptius Rex a quocumque inepto atque imperito Hierographo non potuit ita absurde et frustra exhiberi. Anton. Paoli *Oper. cit.* in eo totus est ut demonstret hoc Sigillo exprimi Sacerdotem Chananaeum vel Palaestinum, qui memoriam Miraculi a D. O. M. factum pro Hebraeis, et quod exponitur Libr. Reg. I. cap. VI. v. 5. posteris servare voluisset: Quod etiam falsum. Nam figura muliebris est non virilis, et a figura Sacerdotali Chananaei remotissima. Tum nec Chananae-

us vel Philistaeus potuit servare apud externas Gentes memoriam propriae Cladis : nec si voluisset potius Hebraeus, hoc pacto et ratione praestitisset. Tandem Fea ad Winckelmann. III. pag. 429. putavit signo exhiberi mulierem, quae alicui Deo Porcellum offerret. Et aeque falso. Nam Mulier Murem agrestem non porcellum gestat : Nec ponitur aereus Sacerdos ignotus oblaturus Porcellum ignoto Deo , et consilio ignoto. At si meminerimus fuisse Syris et Palaestinis Etruscorum nostrorum fratribus Deam dictam אחד-אחר AHD-AHR, et de qua, ut innuimus, agit maximus Prophetarum Isaias c. LXVI. v. 17. 18. Si certum est, ut in egregia Dissertatione demonstravit David Millius VI. p. 280. 281. hanc fuisse Κορην et *Proserpinam*: Si huic Deae sacrificabant *Mures agrestes* עכרב OKRB: quia hi *Mures* עכר OKR *eradicant* et vastant רבע RBO *herbam* et *segetem* potissimum בר BR *frumenti* : Ideo hoc Signo *Proserpinam* hanc omnino agnoscemus , et ipsam *Feroniam* et *Phrauniam*. Nam *capilli caesi* sunt פרע-ניא PHRO-NIA; et *Mus* agrestis dicitur etiam פאר PHAR, quin si est etiam ניא NIA sive *effractor*, et potentissime rodens iure dicitur פאר-ניא PHAR-NIA , et est egregium Lexeoschema *Feroniae* et *Phrauniae* Etruscae et Italicae.

VIII. *Phraunisae Etruscae Sacerdotes Proserpinae.*

Apud Bonarotam *Addit. ad Dempster*. Tab. 82. Passerium in *Paralip*. pag. 11. et 131. Lanzium *Saggio* II. p. 352. legitur Titulus huiusmodi : LARTHI SEIANTI PHRAUNISA ATIU NUTEIR: a nobis iam prolatus in *Tent. Herm. Etr.* p. 234. 235. Qui Titulus identicus in aliâ Urnâ Etruscâ et diversâ ab eodem Bonarota pag. 235. Tom. I. *Dempster*. legitur : Ita ut certum sit fuisse duas *Larthias Seiantias Phraunisas*. Pronum esset statim fingere duos *Phraunios*, qui *Seiantias* duxissent uxores. Sed plura obstant: Ignotam scilicet hanc Familiam vel Gentem *Phrauniam* inter Etruscas; et voces ATIU NUTEIR , ut clare et distincte in uno exemplo, etsi prave in altero sit editum TIUTETR, ut

vocabula Familiarum esse inexplicabilia: At contra si animadvertimus 1. *Proserpinam* Etruscam esse *Phrauniam*. 2. *Phraunisam* esse אשה ASE *Mulierem Phrauniae*, addictam Sacris *Phrauniae*. 3. Sacerdotia Etrusca per familias divisa et adsignata ex legibus Reiminis Aristocratici, et Historicorum traditione Livii Libr. V. c. 22. p. 345. et Taciti Annal. XI. c. 15. p. 140. 4. Adeoque adsignato Sacerdotio Proserpinae Genti *Seiantiae* necessario fieri debuit, ut essent plures *Larthiae Seiantiae Phraunisae*. 4. Si forma Defunctarum Seiantiarum in Urnis est omnino Sacerdotalis, et diceres plane similem figurae Monialium nostrarum. 5. Si habent in manu Pomum Granatum *Proserpinae* Symbolum. 6. Si ATIU NUTEIR, est אות-נתר AUT-NTER, נתר NTER, אות AUT ATIU, scilicet *Signorum* Sacrorum, Symbolorum Mysticorum *custos* servatrix, quae *tuetur*, *servat*. 7. Si nefas est dubitare, quin insignia Mysteria fuerint Etruscis *Proserpinae* et *Baccho* futuro sive *Acrato* sacra: iure utique tenebimus *Phraunisas* Etruscas fuisse Sacerdotes *Proserpinae Phrauniae*, vel *Feroniae*.

SECTIO VI.

LARES ETRUSCORUM.

CAP. I.

Qui dicendi sunt LARES, *et quae eorum criteria.*

I. *Qui dicendi sunt* LARES.

Consideratis et excussis plerisque veterum Scriptorum testimoniis, qui de *Laribus* et Lemuribus egerunt, et quorum plura iam collegerunt Delrio ad *Tragoed. Senecae*: Vossius de *Idolol.* Pitiscus in *Lexic.* Baudelotus *de l'Util. des Voyag.* I. Passerius in Tom. III. *Mus. Etr. Gorii*: Zannonius in *Galler. Fiorent. Serie* IV. Num. 142 ad 151. p. 146-196. certo tenendum est *Lares* fuisse Veteribus *Animas*, quae humano corpore antea

informato, vitaque humana functae, ob sua egregia merita non clauderentur in Tartaro, non detinerentur otiosae et desides in Elysiis Campis, non cogerentur in generationem et nativitatem iterum relabi, sed purae et a corporibus separatae dignae essent, quae humanas res curarent et procurarent occulta praesentia veteribus suis aedibus occupatis. Et propterea omnes illos errare, qui Deos etiam sempiternos et Coelestes *Lares* et dictos et habitos tenuerunt vel tenent. Nam longe aliud est Deum aliquem esse *Larem*, aliud coli inter *Lares*. Nam Vesta, Vulcanus, Apollo colebantur quidem inter *Lares*, ad Focum domesticum, sed non erant ipsi Dii *Lares*, quia nec geniti, ut homo, nec nati ut homo, nec mortui ut homo: quae ad *Larem* constituendum sunt omnino necessaria. Et quoniam Veteres tenebant humana corpora adsumi non tantum ab Animabus vere et proprie humanis, sed etiam esse aliquos magnos Deos incarnabiles, et qui possent humano corpori uniri, et vita humana vivere; Hinc fit duo esse *Larum* genera, *divinorum* nempe, atque *humanorum*, ex quibus *Divini* longe facilius agnosci possunt quam *humani*, non modo ex evidenti *Gemellismo Cabirico*, sed etiam ob criteria et Symbola propria et characteristica, ut *Bacchi*, *Herculis*, *Mercurii*. Qui *Lares* divini dicebantur etiam *Semones*, Graecis Σεμνοι; *Indigetes* Latinis, et Sabina voce *Novensiles*, quia nempe essent ex נוע-נסל NUO-NSL ex *forma* et figura *nativitatis*, qui humana forma geniti et procreati fuissent: quiqui sit dissensus Veterum de horum Deorum natura apud Arnobium Libr. III. pag. 153.

II. *Quae criteria hierographica, et symbola* LARUM.

1. *Absoluta nuditas*; Nam Spiritui corpore crasso et solido carenti, nuditas congrua: quae adeo ubi alia symbola certorum Deorum adiecta non sint potest egregie *Larem* indicare.

2. *Galea Orcina*: Scilicet *Galericulus* factus ex corio, vel panno, capillorum cirris pone pendentibus: ut eam describit Aristophanes in *Acharnan.* σκυτο

δασυπυκνοτριχα την Αϊδος κυνην: *Galeam* nempe *Orci* ex *denso corio*, et *spissis capillis factam*: Qua uti omnes putabantur, qui invisibiles fieri vellent: Unde factum Graecis Proverbium late celebre, et frequenter usurpatum in eos, qui invisibili et occulto modo aliquid peragerent: Ut ex Scholiaste *Aristoph.* ad hunc locum; ex Suida in Αϊδος κυνη: ex Zenobii *Proverb.* I. *Cent.* n. 41. p. 15. et adnotationibus Schotti et aliorum constat. Quamobrem quum *Lares* natura sua essent invisibiles, et inadspectabiles, et tamen putarentur praesentes et adstantes; ideo dubitari non potest, quin Hierographi *Orcinam Galeam* eis saepe non tribuissent, ut symbolum congruum et conveniens. Et profecto hanc *Orcinam Galeam* in pluribus Sigillis Etruscis agnoscere est facile, ut paullo post adnotabimus; etsi, quantum memini, nemo hactenus animadverterit et explicaverit Symbolum.

3. *Coma adscititia*, *adposita*, *ficta*. Nam *Galea* huiusmodi *Orcina*, quam indicavimus haud multum discrepat ab adscititia et *ficta comâ*, quam nos dicimus *Parrucca*, et vocabulo quidem Semitico et vetustissimo, nempe a פרע PRO PARRO, et data pronuntiatione τῷ ע *Huain*, ut a pluribus *och*, *uch*, פרע PRO erit ipsum PARRUCH: et quia ipsum פרע PHRO est *liber liberatus* sui iuris, hinc *Capilli* omnibus veteribus Gentibus Symbolum ingenuitatis et *libertatis*, hinc nomen factum FRANCIS; hinc *Coma* et *capilli* et *parrucca* פרע PHRO Symbolum LARUM congruum: quod nempe iam vinculis corporis soluti *liberi* et agiles ad lubitum suum discurrerent et vagarent. Quin si certum est non unos Etruscos appellasse MANTUM *Ditem Patrem*, ut ex Servio ad X. *Aen.* v. 122. constat: sed et alias etiam Gentes, ut ex solemni voce Aegyptia *Amenthes*, et ex *Rad-Amantho* Graecorum arguimus: Si MANTHUS est MAN-THUS, nempe מין-טשא MIN-THSA *formam figuram*, vel מאן MAN *vestem* vehiculum corporeum οχημα Ειδωλου spectrum: de quo plura Windetus *de Functor. vita statu* pag. 108. 109.: *abdens*, *obtegens*, ipsum

nempe Graecorum Αἰδος, et si MNA-THSA מנא-תשא est *coma tegens*, *coma adscita*, qua quis tegitur, palam est probabile fieri *adscititiam comam* dictam etiam MANTHUS, vel simili voce, et fuisse symbolum Dei Pneumatici et invisibilis, et adeo symbolum LARUM.

4. *Capilli hirti horridi*. Nempe שעיר-שער SOIR-SOR. Nam שער SOR est etiam *timendus*, *horrendus*, pavorem faciens: Et non dicam *Lemures*, sed ipsi LARES, sive Defunctorum Animae etiam optimae cum pavore, et horripilatione membrorum exspectantur vel timentur. Adeoque si hominibus natura sua *Lares* sunt שער SOR iure poterunt exprimi per שעיר-שער SOIR-SOR, nempe per *capillos hirtos*, et horridos.

5. *Manus passae apertae*: Nempe יד-פתא ID-PTA. Nam omnes veteres Gentes firmissime tenebant LARES esse sapientiores, sollertiores, et potentiores Hominibus viventibus, et morte פתא PTA *dilatari* augeri יד ID *potestatem*, et ידע IDO *scientiam* intelligentiam: quarum *potestatum* auctarum symbola *manus* יד ID, *passa* פתא PTA.

6. *Vola manus perforata*: Nempe יד-כאפ-חור; ID-KAP-CUR: Sive Persona facta *potens* יד ID, יד ID, *videns* sciens ידע IDO; כפה KPE *tecta obtecta*, invisibilis; et חור CUR חרר CRR *libera domina* liberata a corporeis vinculis, *Spiritus* רוח RUC temura חור CUR.

7. *Pollex manus erectus*: Nempe סל-בהן SL-BEN, quia סלל SLL סל SL est *erigere*, *elevare*, et בהן BEN est *digitus Pollex*; et SELBEN sive SELBAN est SELB-AN sive סלב-און, SLB-AUN, qui סלב SLB *amisit*, *deposuit*, spoliatus est און AUN *doloribus aerumnis* miseriis, qui סלב SLB *deposuit*, *praeteriit*, praetergressus est, אואן AUAN *tempus*, *tempora*, in aevum immotum translatus. Hoc autem SELBANI nomen est solemne et characteristicum, et saepe, ut videbimus, occurrit; ipsumque possumus facere ac SILVANUM Pelasgorum Arcadum, et Latinorum.

8. *Pugni clausi vel semiclausi*: Scilicet שעל-כלא,

SOL-CLA, vel שעל-כלא-חור SOL-KLA-CUR. Nam שעל SOL *Pugnus* est homiophonon שיול SIUL *Tartari*, *Inferni*, sedis defunctorum, et adeo eius lexeoschema opportunum: כלא KLA *clausus strictus*, Symbolum Tartari occlusi, quo nempe LAR non sit detentus et clausus; sed *liber* inde ad placitum exeat. Quod si *Pugnus* est *semiclausus*, tum est *Pugnus* שעל SOL, *clausus* כלא KLA, sed cum *foramine* חור CUR; ut habeatur חורי CURR *liber*, *dominus*, *liberatus*, in sua plena libertate constitutus, רוח RUC *Spiritus*, *Anima*, *Lar*.

9. *Sinister Pes prolatus*. Nam si nos viventes dextrum potius et facilius pedem proferimus: Si Janitores Romanorum introeuntes inclamabant DEXTRO PEDE, ut scilicet dextro pede non sinistro Domum illam ingrederentur, ut ex Petronii Arbitri *Satyric*. c. 30. aliisque constat; si Defunctis morem adversum et oppositum tradere et adsignare aequum est: aequum est tenere LARUM statuas et simulacra *sinistro pede* prolato esse saepius saltem faciendas, et adeo *sinistrum Pedem prolatum* habendum saepius esse Symbolum LARUM.

10. *Basis alta*, *cuneus*, *furca*, *semicyclus*, *cui Pes vel Pedes* LARIS *impositi sint*: Ut significetur maiores, potentiores, *sublimiores* esse factos: Imo ut essent et dicerentur SELBANI, SELVANI, nempe סלב SLB *Gradus*, *Scala*, ascensio, elevatio, sublimitas, הון EUN, EN *commoda*, *utilis*, *bona*, *grata*, *benefica*.

11. *Pedes lapidi infixi*, *Figurae humanae apodes*, *pedibus carentes*. Nam Glossosemitis רגל RGL *Pes*, est etiam totus *Homo*, *Corpus* humanum, adeoque *Pes* רגל RGL est Symbolum *humani Corporis* רגל RGL, quo quum careat LAR carebit etiam רגל RGL *pede*, et adeo solers Hierographus eum faciet carentem *pedibus*, et *lapidi* סלע SLO *apodem* infiget, ut eum significet שלה SLE, *silentem*, *Larem*.

12. *Pallium obliquum*. Nam si viventes Homines *Pallio* plerumque *recto* utuntur, aequum est Defunctis *obliquum* attribui: Tum Scholiastes Persii vetus ad

Satyr. V. v. 31. adnotabat: *Quia Gabino habitu rituque Dii Penates* (humani) *formabantur*, *obvoluti super humerum sinistrum, dextro nudo.* Et Auctor *Queruli*, Querulum hunc inducit dicentem *Lari* Familiari; *Quod seminudus es recognosco, unde dealbatus nescio.* Atqui tantum *Pallio obliquo* et transverso potest quis esse *seminudus* et seminudatus, et tamen incedere atque ambulare. *Pallium* porro est egregium Symbolum LARUM Lexeoschematicum; si nuditas, ut supra vidimus p. 154. est ideographicum: Nam *Pallium* est שלם SLM, et שלם SLM est *quies requies* defunctis propria, *Pallium* est חלצ CLTZ, et חלצ CLTZ est *liber liberatus redemtus*, et *libertas* LARUM propria: Tum *obliquum*, transversum dicitur פתל PTL, et עקב OQB, et פתל PTL ac עקב OQB sunt etiam *acutus*, *versutus*, *vafer*, *sollers*, quas ipsas proprietates *Laribus* pertinacissime Veteres tribuebant.

13. *Corona Latifolia*, *Platanostephane*: Nam *Platanus* דלב DLB est symbolum lexeoschematicum די-לב DI-LB *abundantiae cordis ingenii sollertiae*: est symbolum Personae טלב THLB *studiosae*, *accuratae*, *attentae*, ut *Lares* suos Veteres volebant et putabant: Tum *Platanus* dicitur עורמון OURMUN, עורם OURM: et עורם OURM est tum *nudus*, *denudatus*, ut *Lar* ασωματος, tum *callidus versutus ingeniosus*, ut omnes *Lares*, ipso *Mercurio* principe et patre, habebantur a Veteribus.

14. *Liba et placentae*: Non quod putarent Veteres eas revera gustari et comedi a LARIBUS, sed quod *liba* dicerentur לביבה LBIBE, et לבב LBB esset *cor*, *mens animus*, *amor*, *affectus*: quibus LARES potissimum constare Veteres putabant. Tum *liba* dulcia suavia, ut sibi *Lares* fieri volebant, *odorata* fragrantia, quibus esset plurimum ריח RIC *odoris* et *spiramenti* suavis, quo *spiritus* et *lares* רוח RUC facile et allicerentur et suaviter detinerentur.

Cap. III.

Indicantur insigniora LARUM *Etruscorum simulacra.*

I. *Lares non inscripti.*

1. Lar *primus*: Gorius in *Museo Etr.* I. Tab. 14. edidit Sigillum Etruscum, quo exhibetur Vir bullatus, pallio obliquo indutus, sinistra manu passa, dextera serpentem fractum gerens. Gorius Tom. II. p. 44. 45. nescio quem Genium Tagetis in hoc Signo agnoscebat, et de more nullo argumento. Nobis est LAR, quia *bullatus*, quia *Lares* saepe *bullati*, ut constat ex Petronii Arbitri *Satyr.* cap. 60. 2. quia indutus *pallio obliquo*, ut diximus p. 158 3. *manu passa* p. 156 4. quia *Serpens* חוה CUE fuit omnibus Veteribus constantissime symbolum חיה CIE *existentiae vitae*, et adeo argumentum, quod hoc simulacro Persona aliqua existens realis exhibeatur: et satius si *Serpens fractus* non casu et fortuna, sed Artificis opera et consilio: Nam tum prorsus clarius *Larem* demonstraret, cuius humana *vita* esset *fracta*, dimidiata, carens *corpore*, et constans tantum anima et mente.

2. Lar *secundus*: Edidit idem Gorius Tab. 34. aliud Etruscum Sigillum, quo exhibetur Vir *Pallio obliquo* semitectus, *Galericulo* adstricto et radiato caput tectus, *sinistrum pedem* promovens, *manibus passis*, quarum dextera vola est *perforata*. Gorius Tom. II. p. 98. 99. Mithram Solem et Apollinem sibi fingebat, et ut quisque videt nulla ratione: Est enim LAR, ut ex adnotatis criteriis patet: Tum *Galericulus radiatus*, ut ex una parte symbolum *animae* lucidissimae et splendentis, ex alia symbolum חפה CPE occultationis, et invisibilitatis; Nam *Animae* et Lares inadspectabiles natura.

3. Lar *tertius*: Idem Gorius Tab. 2. Sigillum Etruscum edidit, quo exhibetur Vir ridenti vultu, capillis multis, sed pexis, brevibus, scite compositis, et taenia redimitis, cothurnatus, pretioso pallio obliquo semitectus, manu dexterâ passâ, sinistrâ lateri

adposità ; ipse altae basi impositus et sublimis. Gorius Tom. II. p. 10. 11. fecit Vertumnum, nulla ratione. Nobis est LAR, ob iam adlata criteria: Tum *Lari* bono benevolo vultus subridens apprime congruus, et *vestis* pretiosa, opere phrygionico exornata ; etiam quia hoc opus רקם RQM, nobis *Ricamo*, est symbolum רחם RCM *pietatis*, bonitatis, et misericordiae.

4. LAR *quartus*: Huic Etrusco Signo non absimile servatur aliud in hoc Regio Museo Borbonico, editumque olim fuit ab Academicis nostris *ne' Bronzi* II. *Pref.* p. IX. X. sed hoc vetustioris est operis et magis systematici. Academici inter Vulcanum, Neptunum, Vertumnum, Deum Patrium atque indigetem, et etiam *Larem* fluctuarunt incerti. Nobis est certo LAR *Ilvensis*, ex Patria, quia in Insula *Ilvae* signum inventum, et quoniam *Galerus*, quo caput tegitur est summo artificio factus, et manifeste in vertice *capilli* efficti sunt, etsi fere totus squamosus sit non crinitus, non dubito, quin haec una ex *Orcinis Galeis*, quas Hierographi Etrusci *Laribus* tribuebant, sit habenda.

5. LAR *quintus*: Haud multum ab his *Laribus* differt, qui insculptus est in celebri Cista funebri Musei Kircheriani, quam edidit Contuccius Tab. II. p. 10. 11. Et si in eo *Orcina Galea* non est, sunt tamen scitissima sollertia efficti illi, quos dicebamus pag. 156. שעיר-שעיר *SOIR-SOIR*, sive *capilli hirti* et *horridi*.

6. LAR *sextus*: In *Museo Etr.* Gorii Tab. 11. conspicitur Juvenis penitus nudus ; nisi quod caput tectus *Galericulo*, ex quo cirri et cincinni capillorum dependent, dexterâ *manu passâ*, sinistro *pugno semiclauso*, pede sinistro promoto. Gorius II. p. 39. fecit Deum Pilumnum vel Picumnum, nullo argumento: nobis per criteria superius prolata est LAR, et *Galericulum* huius signi habemus *Orcinem* veterum *Galeam*.

7. LAR *septimus*: In eodem *Etrusco* Gorii *Museo* Tab. 5. conspicitur magnus Vir et prorsus nudus *galericulo* radiato caput tectus, ex quo tamen capilli passi producuntur, dextera manu Hinnulum, ut videtur, gestans, si-

nistra ad angulum elevata, pugno semiclauso, et sinistro pede aliquantum prolato. Gorius II. p. 130. 131. ipsum Bacchum fecit; sed nullo certo argumento. Nam neque haec Persona Thyrsigera est, ut putabat Gorius, neque Hinnulus ad unum Bacchum potuit spectare. Nobis ob criteria indicata est LAR, cui egregie convenit symbolum *Hinnuli* sive צבי TZBI, et איל AIL; Nam איל est *Deus*, et Deus LAR, et צבי TZBI est *iuvenis*, florens aetate, imo qui in iuvenilem et novam aetatem redit et revertitur, quod *Laribus* necessario tribuendum.

8. LAR *octavus*: Inter *Monum. inedita Inst. Archaeol. Roman.* T. I. Tab. 58. 59. 1833. conspicitur Ectypus Signi aerei, quo exhibetur Juvenis 1. plane nudus. 2. Coma tamen scitissime comta et aequata. 3. Brachiis ad angulum elevatis. 4. Sinistro pugno semiclauso. 5. Dexterâ manu passâ. 6. Sinistro pede prolato; in quo habet inscripta haec: ΑΘΑΝΑΙΑ ΔΕΚΑΤΑΝ. Raoul Rochette qui prolixe de hoc Signo disseruit Tom. V. *Annal.* p. 193. 194. etc. habuit ut statuam Daduchi, sive Sacrorum administri, et quem Camillum potes etiam adpellare, vel Juvenis Lampadophori. Sed nullo aequo argumento. Letronne qui prolixius etiam de hoc Signo egit Tom. VI. *Annal.* 1834. pag. 198. ad 232. habuit statuam votivam Apollinis dicatam Minervae. Quod teneri non potest. Nam non modo nihil est in Signo, quod id vel levissime suadeat: quin omnia adversa. Nam universa Signi forma, quod recte animadverterat R. Rochette loc. cit. p. 201. 202. est Simulacri humani, Icon Cyrioschematica Juvenis humani: Cui maximo argumento si addimus absolutam nuditatem: Sinistrum pedem prolatum; Manum dexteram passam; Pugnum sinistrum semiclausum: Comam scitissime fictam: praestantissimam potius Laris Pelasgici statuam agnoscemus et fatebimur. Mihique illud adscriptum ΑΘΑΝΑΙΑ ΔΕΚΑΤΑΝ est ω Αθηναια δεχου ταν nempe o *Minerva suscipe hanc* Iconem: quae Patrem vel Ma-

trem defuncti Juvenis adscripsisse puto: Et omnino Deae superae, Olympiae, aethereae, non Deo καταχθονίῳ dicatum simulacrum, ut *Lar* et defuncti anima Coelo semper et vivis hominibus frueretur, vere clauso ei et occluso Tartaro, quod *Pugno* שעל SCOL *clauso* כלא KLA ipsa Icon significat.

9. LAR *nonus*. Paciaudius in *Monum. Pelopon.* T. II. p. 51. 52. edidit sigillum quo exhibetur Juvenis plane nudus, sinistro pede prolato, brachiis demissis et ad femora adpositis, pugnis clausis, comâ plenissimâ, comtissimâ, prolixâ, artificiosâ, cui galericulus impositus; oculi clausi vel semiclausi: Adscriptumque basi: Πολυκρατης ανεθηκε, veteribus literis. Panofka, qui protulit ex Museo Pourtales, deque eo prolixe in Claracum disseruit, habuit et fecit Apollinem Pythium p. 43. 44. Et falso, quia nulli characteres Apollinis, sed omnes *Laris*. Nec aliud potest esse hic *Galericulus* capillatus, quam *Orci Galea*, quam dicebamus p. 154. 155. et cui aliorum *Larum* similes Micalius in *Monum.* Ital. Tab. XXXIV. et XXXV. imo ipse Paciaudius *loc. cit.* p. 53. protulerunt, qui edito alio Sigillo simili cuneo imposito aliud *Laris* criterium opportune addidit.

II. *LARES Etrusci inscripti*.

1. LAR *primus*: Gorius in *Mus. Etr.* Tab. XX. edidit Sigillum, quo exhibetur Juvenis cothurnatus, pallio transverso semitectus, sinistra manu passâ, dextrâ quasi volumen vel asserem stringens adscripto lemmate: TA TURCE RAMTHAL PHTA TABI SELBAN. Bonarota ad *Dempster.* Tab. XXIV. Sigillum ediderat in eo tantum a Gorio discrepans, quod pedes basi firmae inniterentur, ubi in Ectypo Gorii sunt furcae impositi: nec Lanzius, qui Sigillum describit et explicat *Saggio* II. p. 527. 528. hanc discrepantiam adnotavit. Ego tamen errasse potius exsculptorem Bonarotae quam Gorii arbitror. Adeoque aio habendum *Larem* SELBANUM quasi *Gradarium*, quia per *Gradus* סלב SLB *graditur*, idque teneo etiam si verum esset,

quod contendit Lanzius loc. cit., asserem illum, quem dextro pugno stringit, non esse chartularum volumen, sed manubrium Falcis, propriae *Silvani* rustici: Nam ut notum est *Silvanus* iste erat etiam LAR, et maximus *Larum*, ut est adnotatum a pluribus ex plurimis nobilissimis Inscriptionibus. *In Tentam.* autem *Hermen. Etr.* p. 149. 150. vertimus Lemma: *Hoc dedicavit Ramthalius Puerorum amanti Silvano.* Nam ut supra adnotavimus p. 144. *Lares* esse puerorum et infantium curatores et meletores Veteres tenuerunt. Quin contra si alicui verum sit adfectate *Ramthalium* hunc *Selbanum* appellasse *Infantium* et simplicium puerorum *Amatorem*, quia *Silvanus* Pelasgicus *Inuus* putaretur ruere in Puerperas: unde ridiculae et molestae ceremoniae apud Romanos, quas indicat S. Augustinus Libr. V. de *Civ. Dei* c. 9. p. 92. ut *Silvanum* arcerent et repellerent, utatur iudicio suo, et videat an hae ceremoniae ex eadem origine ortae sint ac illae Judaeorum de *Lilitha* sua a foetis mulieribus expellenda, et de qua plurimae et notae fabulae.

2. LAR *secundus*: Bonarota ad Dempst. Tab. XXIV. Gorius in *Mus. Etr.* Tab. 100. ediderunt Sigillum, quo exhibetur adolescens Pallio transverso semitectus sinistrâ manu passâ, dextrâ pateram invertens: Lemmate adscripto: EICERA STHU PHITHI CFEIA. Bonarota quantum memini non attigit: Gorius habuit Deum ignotum: Passerius reiecit inter turbam Larium, nullo adlato argumento. Nos facimus per criteria proposita: Scilicet quia *pallium transversum*: quia est *manus passa*: et modo addimus quia *Patellam invertit*: Nam *Lares* fuisse dictos, quasi proprie *patellarios*, notum est: Quin *Patera* inversa, ut *vas inversum* in omnibus Monumentis funebribus Etruscorum כלי-שנה KLI-SNE *vas* vitae *eversum* inversum Defuncti conditionem egregie significat. In *Tentam.* autem *Herm.* pag. 150. 151. adnotavimus Inscriptione adiecta habitum ipsum Signi esse expressum, et vertimus: *Pateram invertit, dilatat manum*: sensus autem Theologicus est: Hic *in-*

tuetur, *adiuvat*, *liberat*, *protegit*. Nam 1. EICERA est EI-CERA; EI הא EA EI, *is iste*, CERA est חאר CAR CARE intuetur, cernit, videt. 2. STHU est סעד SOD extrita gutturali סד SUDU adiuvat recreat, firmat roborat fulcit. 3. PHITHI PHIDI פדה PHDE liberat, redimit, solvit. 4. CFEIA חפה CFE protegit, tuetur.

3. LAR *tertius* : Lanzius in *Saggio* II. Tav. XV. 4. edidit Sigillum dubio procul Etruscum etsi inventum in Piceno, quo exhibetur Juvenis coma horrida, corona vero vel radiata vel foliata exornatus, pallio etsi non prorsus obliquo, aliquo tamen modo transverso, et quod brachio sinistro dilatare videtur, dextro deperdito: addita tamen hoc in pallio Inscriptione: IUPETALS ESURE CAISPAIC BARIENS. Lanzius II. *Saggio* p. 527. 528. in IUPETAL, *Jove* in CAISPAIC BARIENS. *Caepia Vari* inventa ultra transiit. Hieronymus vero Amatus, qui Sigillum hoc iterum edidit in *Giorn. Arcad. Rom.* 1821. Tom. XII. pag. 332. 335. tum diversas lectiones protulit, tum in Sigillo Phoebum Apollinem agnoscere maluit: Quod falsum. Nam *Phoebus*, qui semper pulcra, saepius foeminea coma repraesentatur non potuit capillo ita horrido exhiberi, neque eo pallio involvi. At hoc Pallium hi capilli LARIS sunt, et Corona sive radiata sive foliata *Lares* insigniri adnotavimus: Examinatis porro Ectypis Inscriptionis vidi esse praeferendas Lectiones Lanzii; et sensi quod si interpungimus: IUPET. ALS. CAISP. AIC. BARI. IENS. et opportuna exsurgit sententia, et mire consentiens cum Symbolis Signi. Nam 1. IUPET est יפת IPT IUPET *dilatat* amplificat pandit. 2. ALS, חלצ HLTZ HLS, ALS *Pallium* pannum, vestem, quod facere videtur *Lar* : nempe 3. ESURE *Aesur* voce certa et proprie Etrusca, ut vidimus in *Tent. Hermen.* pag. 97. 4. CAISP ipsum כשפ KSP, *nudat* denudat. 5. AIC AIG גוה GUE *corpus*, ventrem, 6. BARI בר BR BURI filius natus. 7. ENS איש AIS AINS *hominis*: qui ipse est Simulacri habitus : Tum ex alia parte haec est sententia Theologica. 1. IUPET, יפת IPT, dilatatus est fa-

ctus maior, *auctus*. 2. ALS, חלץ HLS *liber*, exemptus malis, laetus. 3. ESURE Acsar Divus Lar. 4. CAISP כשפ KSP revelat manifestat indicat 5. AIC גהה GEE res salutares, signa bona, auguria felicia 6. BARI בר BR *filiis* 7. ENS איש AIS *hominum*; quae veteres exspectabant a *Laribus*.

4. LAR *quartus*: In Sigillo aereo edito in *Indiculo Musei Carafae* sub Titulo: *alcuni Monumenti del Museo Carafa* 1778. n. XV. et XVI. conspicitur Vir stans pallio tantum et inferiora tectus, eoque ad sinistrum brachium involuto, dextro brachio lateri adposito: his in Pallio adscriptis: EKN TURCE LARTHI LETHANEI ALPNU SELBANSL CANBATE. Franc. Danielius qui hoc indiculum edidit haec ita protulit: KANUAPE SELVANSL LETHANEI ALPNU EKN IURCE LARTHI. Nam Hierographus Sigillo horizontaliter constituto haec quatuor versiculis expresserat incipiens a linea femoris et pergens ad dorsum, quod adeo fiebat superius, et altius: At palam est ordinem Vocum esse illum quem proposuimus. Haec enim sententia, et versio. *Hoc dedicavit Larthia Lethancia Alpano Lari tacite venienti.* Nam: 1. EKN, vel est prave inscriptum pro EKA היך EIK, EK, et potest utcumque verti hoc istud, vel est כון KUN, EKN, et est ipsa ικων Graecorum, sive simulacrum statua. 2. TURCE, ut ex innumeris exemplis notum, tenui lineolà in Signo deleta, est *dedicavit*, *consecravit* nuncupavit, ut demonstratum in *Tentam. Herm.* p. 130. 134. 3. LARTHI LETHANEI est Matrona Etrusca, *Larthia Lethancia.* 4. ALPNU ipse est Deus Etruscus *Alpanus* de quo diximus p. 131-137. 5. SELBANSL nempe SELBA-NSL. סלב SLB *spoliatus*, *privatus*, exemtus, נסל NSL *generatione* nativitate, qui humana fata iam praetergressus, quasi Budda magnus non esset amplius obnoxius humanae generationi, neo amplius nasci posset mortalis et miser. Unde colligitur alia profunda similitudo cum *Harpocrate Alexandrino*. 6. KANBATE, KANB-ATE, qui את AT ATE *venit advenit* adpropinquat חפה CPE, *canpe*, *tectus*, *obtectus*, invisi-

bilis, absconditus, qui *Larum* mos: vel כנף-אתה KNP-ATE, *veniens* ad כנף KNP *congregationem familiam societatem* nostram.

5. LAR *quintus*: Ex *Museo Cardinalis* Gualterii edidit Montfauconius in *Ant. expl.* Tom. III. Tab. 157. pag. 268. Sigillum, quo exhibetur Vir Pallio obliquo semitectus, capillis hirtis, manibus passis, pollicibus erectis, hac inscriptione adiecta C. POMPONIO VIRIO POS. Montfauconius p. 268. de natura Signi nil adnotavit, et Scripturam Etruscam dicens non legit. Bonarota vero paulo post *Addit. ad Dempst.* pag. 92. recte legit primas voces, loco vero postremae dedit I. Contuccius porro, qui Sigillum iterum edidit in *Mus. Kircher.* Tom. II. Tab. 14. pag. 62. postremam vocem fecit COS. et Signo putavit exprimi nescio quem Consulem Municipalem. Sed qui Monumentum diligentius inspexerunt legerunt clare POS. quod inter ceteros fecit Vermigliolius in *Lezioni di Archeolog.* Tom. II. pag. 72. 73. etsi de natura Simulacri et ipse errasset. At palam est. 1. ex capillis horridis. 2. ex Pallio obliquo. 3. ex manibus passis. 4. ex Pollicibus erectis. 5. ex sinistro pede prolato etc. habendum esse *Larem*: et legendum *Posita* Icon, *Positum* Simulacrum C. *Pomponio Virio*, facto *Lari*: Nam nullo pacto probari potest lectio Vermigliolii, quasi simulacrum ignoto Deo C. *Pomponius Virius* posuisset.

6. LAR *sextus*: Tom. III. *Antiq. Expl.* Tab. 158. edidit Montfauconius Sigillum, quo exhibetur Juvenis plane nudus brachio sinistro ad femur, pugno clauso vel quasi clauso, adposito; dextro protenso, cui tamen manus abrupta: coma multa prolixa, in caudam quasi collecta, taeniaque praecincta, dextro pede cuneo, vel astragalo imposito: sinistro femori et cruri magnis literis adscriptum: ΚΑΦΙΣΟΔΟΡΟΣ: in dextro vero ΑΙΣΧΡΑΜΙΟΙ vel ΑΙΣΧΛΑΜΙΟΙ: etsi alii legere maluerint ΑΙΣΧΛΑΠΙΟΙ., et hinc Letronnius in *Annal. Archeol.* 1834. Tom. VI. p. 223. 224. con-

tenderit legendum ασκλαπιῳ: Quasi haec Icuncula fuisset Aesculapii simulacrum: Quod numquam fieri potuit: Nam et huic Signo est figura prorsus humana et Cyrioschematica: et est adeo absurdum facere et dicere Signum hoc Aesculapii Dei notissimi, quum contra omnia sunt, quae ignotum *Larem* faciunt.

SECTIO VII.

DII ET DAEMONES ETRUSCORUM TARTARICI.

CAP. I.

Indicantur Hieroemblemata Tartari, et Cacodaemonum Etruscorum.

In Monumentis funebribus Etruscorum, imo et Graecorum et Romanorum, conspici frequentissime *Medusae* Gorgoneae capita, quin apud Etruscos corpus integrum, *Scyllas*, *Gryphos*, *Chimaeras*, *Sphynges*, *Pegasos*, *Hippocampos*, et *Apros feros* nemo ignorat, qui haec studia attigit: Quibus monstris significari Entia mala, noxia, inferna, Tartarica, ipsumque Tartarum vel ex eorum forma et figura, et ex eorum usu certo arguimus. Et profecto MEDUSAE caput in duobus Monumentis in Etruria inventis dicitur PHNISUAL, et PANOSIL: ut vidimus in *Tentam. Herm. Etrusc.* p. 151. 152. et p. 166. 167. nempe פני-שיול, PHNI-SIUL *Facies Tartarina*, Symbolum Tartari. Et in Urna Etrusca apud Gorium in *Mus. Etr.* I. Tab. 85. pag. 189. Caput Puellae Glossecphorae, ut sunt Medusae frequenter apud Etruscos, adsculptum est huic Titulo: SAELIU KAPNAS TL: Nempe שאול SAUL, SAELI, כאפ KAP *Capiens*. נאס NAS *homines*, טל THL *infantes*: Tartarus nempe, vel ipsa *Lilitha* Judaeorum et Palaestinorum, de qua Seldenus, Beyerus, Otto, aliique. 2. SCYLLA Etrusca est tum nomine tum Symbolis ipse veterum *Tartarus*. Nam ut notum, saepiusque adnotatum, ab Orientalibus *Tartarus* dictus שאול SCAUL vel שיול SCIUL;

Italico ore *Scylla*: Tum partes et elementa, et Symbola plurima Monstri, alae oculatae, caput alatum, Dracones pro pedibus, Viri et Mulieres miserrimi, qui serpentinis spiris involvantur atque absorbantur uni *Tartaro* possunt convenire. Et si alibi in *Tentamin. Hermen. General.* p. 74. 75. 76. in *Scylla* Siculum Barathrum tantum agnovimus, modo addimus *Tartaricum*; cui quae ibi sunt adlata plene etiam congruunt. 3. GRYPHO, et CHIMAERAE operis Etrusci plane praestantis inscripta VOX TINSCVIL: scilicet ut interpretati sumus in *Tent. Hermen.* p. 151. 152. *Daemon gemens*, Cacodaemon vehementissime dolens. Nam Monstrum utrumque habitu sunt dolentissime gementium. Per quae Signa inscripta tum veram naturam horum Hieroemblematum noscimus, tum Salutaria et praestantia Theologorum Etruscorum Dogmata colligimus, qui si Tartarica monstra fera aspera crudelia in miseros homines faciebant, faciebant etiam tandem debellata atque oppressa. 3. Ita alibi in Urnis funebribus non infrequenter Hierographi Etrusci Gryphis utuntur, ut Angelis mortis, et quandoque Lexeoschematice: ut in illa quam protulimus in *Tent. Herm.* pag. 238. SEPHRI CAPNAS. Nam Gryphus, qui in Dramate Hominem prosternit est *Sephri-Cap-Nas*; *capiens* corripiens *hominem*. 4. Etiam SPHYNX Etruscis Symbolum *Tartari* et Cacodaemonum Thanatophororum, et Tartaricorum: et ideo quandoque in Dramatibus funebribus Etruscis addita ossa humana nudata carne quasi modo vorato corpore, apud Inghiramium *Monum. Etr. Serie* I. Tab. 67, p. 559. de qua Tartarica *Sphynge* plura adnotavimus in *Tentam. nostro Herm. General.* et *Disquisit. Abraxea*. Et hinc laudandi etiam Hierographi Graeci, qui omnia fere haec monstra Tartarica in Galea, Lorica, vel Scuto *Palladis Athenae* insculpserunt, dubio procul quia debellata et penitus victa a magna Dea.

Cap. II.

Dii Etruscorum Tartarocratores.

I. *Vulcanus Cabiricus.*

Vulcanum Cabiricum esse habendum *Demogorgonem* Boccatii, Claudiani, Statii, Lucani, atque adeo maximum Deum Etruscorum Tartaroarchicum iam superius animadversum p. 5. 6. 28. 29. et propterea hunc non Plutonem Hellenicum, vel *Bacchum* supremum Tartari Dominum et moderatorem habebimus: Quem indicatum aliquando in Monumentis funebribus Etruscorum sub figura Senis Regis supra etiam adnotavimus p. 81. 124.

II. *Venus Libitina Cabirica.*

Haec sive uxor sive filia maxima *Vulcani Cabirici* illa ipsa mania Chaotica et initialis, de qua diximus p. 54. 60. ipsa triplicis Mundi *Isis*, de qua loquitur Apuleius in suis *Metam.* XI. p. 309. ipsa *Venus Libitina* Romanorum, unâ Genitalis, et mortifera, una generationis et mortis domina, Praefecta maxima habenda est *Tartari Etrusci*: Et hanc ex lege Hierographica saepius et frequentius in Sacris Dramatibus expressam est aeque tenendum: ut ex. gr. in illis Dramatibus funebribus, quae ediderunt Gorius in *Mus. Etr.* T.III.3. Tab.19.etc. Inghiramius *Serie* I. Tab. 74. 75. 76. 77. et in quibus conspicitur insignis Matrona decentissime vestita, sed geniali lecto semistrata, ad cuius caput columella Pineocephala prostat, et adstat Vir tunicatus, palliatus, dextra sustinens *Monile* Etruscum factum ex *Bullis* et Glandibus, et aliquot aliae personae etiam ad pedes: Accedit autem semper ad Mulierem decumbentem Persona magna Pallio vel linteo tota et penitus obvoluta, quasi aliquid ab ea petitura, vel receptura, pedemque saepe ponit scabello proximo, ut ad Mulierem accedat: quae ex alia parte eo semper est habitu corporis, quo aliquid praecipiat et iubeat. Lanzius et Inghiramius, qui de his Dramatibus prolixe disseruerunt, putarunt

in Persona obvoluta et tecta linteo Amphiaraum Vatem Graecum, in Muliere decumbente Eriphylen esse agnoscendam : Et de more non recte, quia hoc pacto Drama nec Hellenicum est, nec Etruscum: At si meminerimus Genialem lectum ארס ARS ערס ORS esse proprium symbolum *Veneris Genitalis* et *Gameliae*, quam Etrusci ERIS ארס appellarunt p. 108. 140. Tum *Monile* aequum symbolum *Generationis*, et aerumnarum, ut ex *Monili* Harmoniae, et Eriphyles, et aliis constat p. 86. et hoc *Veneris* esse tum Genitalis, tum funebris : Si meminerimus columellam *Pineocephalam* symbolum esse defunctorum, et unis defunctis adponi; tum innumeris in Dramatibus funebribus *Venerem Epitymbiam* columellae innixam repraesentari. Si meminerimus *Umbras* et Animas defunctorum etiam in Graeca Hierographia ita obvolutas et involutas linteis exhiberi : aperte sentiemus non ineptum et absonum Graecorum Mythum, sed patrium et profundum Dogma in Etrusco Dramate contineri : Et eo exhiberi Parcam maximam *Venerem Libitinam*, quae Hominum *Umbris* et *Animabus* locum sedem et fatum suum declaret et imperet in *Tartaro*. Quod si Graeci *Adrastiam* fatalem a *Venere* discreverunt, longe rectius et secundum Italicam Theologiam Etrusci confuderunt, saltem saepe. Nam haec ipsa *Fortuna Italorum*, quam Petronius Arbiter in *Specim. Bell. Civil.* describit una Generationem et Fata tribuentem.

Cap. III.

Daemones Etruscorum Psychagogi, Psychopompi, Psychoplectici.

I. *Daemones Psychagogi.*

Qui Dramata Urnarum funebrium Etruscorum a Gorio, Inghiramio, aliisque edita, aliqua cura atque attentione lustravit et consideravit, qua forma figura et modo Etrusci Hierographi *Daemones* suos *Psychagogos* et *Psychopompos* finxissent et repraesentassent si-

bi adnotavit: adeoque otium mihi fecit, ne hic irritum tempus teram. Addam tamen hic nomina trium Daemonum *Psychagogorum* Etruscorum: Quae inscripta sunt in ingenti Sarcophago Clusino, qui tum in *Museo Clusino* Tom. I. Tab. 13. tum a *Micalio Monum. Ital.* Tab. 60. editus fuit: et quo Scena quasi Cyrioschematica expressa est: nempe princeps stat Mulier defuncta decentissime vestita, proficiscentis habitu, et complectentis carissimum fratrem suum dubio procul familiae caput: Ipsam autem a tergo corripit Angelus mortis, cuius nomen est CA . . . nempe ut ego non dubito CAPE, *captator*, qui *capit* corripit: nam hoc facit, et Radix CAP ipsa potestate Latina adhibita fuit ab Etruscis: Sequuntur Fratrem defunctae longo ordine alii Cognati et Adfines Cyrioschematice expressi: hos claudit secundus Angelus mortis nescio quem sive Baculum sive Vectem sive asserem sinistro latere habens, ipse inscriptus FANTH: hinc ex symbolica Tartari porta exit tertius Mortis Angelus *forfices* habens in manu, et is dicitur CULMU: Scilicet capta iam, et morbo aliave calamitate implicata Persona moritura, a primo Angelo Mortis CAPE, accedit secundus Angelus CULMU ipsum קלם QLM CLM *caesor*, qui caedit, qui habet *forfices* (*le cesoie*) קלם QLM, et capillum Proserpinae sacrum caedit, *forfice* abscindit stamen vitae, et anima Hominem privat: quem sive reluctantem sive morantem Baculo et vecte בדד BDD בד BD FAD FAND FANTH *urget*, premit tertius Angelus פוד PHUD FUNTH FANTH *exitium*, interitus, *mors*.

II. *Charuni Tartarici Etruscorum.*

Inter *Daemones* Etruscorum *Psychopompos* insigniores illi sunt, qui turpi facie, ingenti naso, magno malleo, brevi tunica, et alis quandoque a ceteris discernuntur: quos appellatos a Theologis Etruscis CHARUNOS ex voce adposita quandoque apparet, ut apud Inghiramium *Serie* VI. Tab. A. 2. p. 13. Micalium in *Monum. Ant.* 1840. Tab. 47. et rectissime ita adpellatos quisque sentiet, qui animadvertet, quod הרון

CRUN CHARUN est *iratus*, *iracundus*, gravi ira correptus: Cuius iracundiae lexeoschema in *magno naso* est; quia et *ira naso* ostenditur, et Semitoglossis אף APH dicitur *nasus* et *ira* ; Ita ut *habet iram magnam*, qui effingitur *magno naso*, et est plane CHARUNUS Etruscus, cuius temura est נחר NCR, nempe *nares* et *nasus*.

III. *CHARUN TURMUCAS*.

In Vase funebri picto operis Etrusci, quodque editum fuit in Monum. Inedit. Inst. Arch. Rom. Tom. II. Tab. 9. et illustratum in *Annal.* 1834. Tom. VI. pag. 270. 290. conspicitur prima in facie Miles barbatus, loricatus, ocreatus gladio transfodiens iuvenem nudum genuflexum vinctum. Hinc adstat *Charunus* Etruscus aprinis dentibus, acutis auribus, plane turpissimus , ingentem malleum erectum tenens. Inscriptus CHARU : Inter Militem et transfossum: Inscriptum AIBAS. In alia Vasis parte prima conspicitur Mulier decenter vestita, sed non velata, facie retro conversa , manibusque in signum pavoris et doloris iunctis: iuxta est sed dorso converso *Charunus* capillis horridis, ingenti naso, acutis auribus, innixus utraque manu super magno suo malleo inverso, et quasi colloquens cum Muliere ingenti Pallio obtecta et obvoluta, simillimâ Muliere pone hanc proximâ et adstante. Juxta caput huius adscriptum PENTASILA: inter aliam Mulierem et *Charunum* : HINTHIA TURMUCAS. Raoul-Rochette qui Dramata haec illustranda sumsit non potuit primum invenire Mythum Graecum , quo transfossionem illam Aiaci alicui attribueret. Et non poterat invenire; quia nec ille Miles Aiax, nec AIBAS Etruscum est *Aiax*, ut iam adnotavimus p. 48. et 51.: sed semper et constantissime AIBAS est *Cadaver* est corpus humanum corruptibile sive באש BAS, sive עבש OBS, עפש OPS. *Charunus* autem Psychagogus in transfossione Captivi , non Aiacis Hellenis, sed *Cadaveris* Etrusci significator est. Quae natura *Charuni Psychagogica* clarius altera Vasis facie exprimitur. Nam recte Rochettus Umbras et Animas exprimi per Mulieres putavit, in eo tantum

errans, quod omnes mulieres pictas umbras fecit, quum essent tantum duae, scilicet ille velatae, obtectae, et torque obliquo ornatae: Tertia Muliere quasi vivente a Hierographo adpicta. Nam acuto isti Etrusco fuit consilium exhibere *Charunum Psychagogum*: Et propterea necesse fuit Drama suum tribus elementis constare: Scilicet ex ipso *Charuno*, ex *Umbris* sive Animabus, quae colligeret, et ex Persona, quae hanc *visionem* et epiphaniam susciperet. Atqui *Charunus* evidens, *Umbrae* notae: restat Mulier cui visio fit, quae prae pavore applodit manus, et faciem avertit. Sed quid hîc *Penthesilea* Amazonum Regina clamat iure Rochettus *loc. cit.*? Longe aliud vox Etrusca est: פנת-שלה PHNT-SLE *mortui silentes* umbrae, et פני PNI פנת PNT *mortuus defunctus*, שלה SLE *silens mortuus*: HINTHIA porro non PHINTHIA, ut prave Rochettus scripsit, est ipsa Radix HINTHIAL Speculi celebris Etrusci a nobis explicati in *Tent. Herm. Etr.* p. 158. 159. scilicet *apparitio epiphania visio*: TURMUKAS fit a תור TUR *lustrare*, excurrere, quaerere, perquirere; MUKAS fit a מוך MUK *Res tenuis, subtilis, deminuta, inminuta umbra*, ut Anima; et a מוק MUQ Res mucida tabida tabescens: ut Cadaver. Adeoque HINTHIA TURMUKAS est *apparitio visio Charuni quaesitoris*, *lustratoris Umbrarum*, nempe *Psychagogi*.

IV. *Ancharíae Etruscorum Tartaricae.*

In Patera fictili Etrusca, quam edidit Gorius in *Museo Etr.* I. Tab. XII. et Inghiramius *Serie* V. Tab. 72. conspicitur Protome Mulieris turpissimae et iratae, capillis horridis, crispis, mammis magnis et nudis, tessaroptera: adscripto lemmate: ANK BUNES ANKARIA TEBEIAE. Ex quo tum Nomen *Daemonis*, tum officia deprehendimus, sententia enim est: *Pravos angit irata*, *Ankaria ultrix Dei*. Nam ANK est hîc אנק ANQ *angere vexare*, molestare non אנח ANC *gemere ingemere*: nisi vis active, quod idem est: BUNES est ipsum Chaldaicum בנס BNS BUNES *irata indignata*: ANKARIA nomen opportunum, nempe אנק-רעע ANQ-ROO *angens*, *praefo-*

cans pravos, malos, iniquos: TEBEIAE, TEBE-IAE est תבע TBO *vindex ultrix*, IAE יה IE *Dei* magni. In alia simili Patera ab iisdem literatis viris edita conspicitur Mulier Amazoni Graecae similis, sed facie turpi, alato capite, bipenni innixa, adscripto Lemmate: ANKAR FESIAE. Nempe *Ancharia rebellium*, quae *rebelles* et pravos homines *angit* et *torquet*. Nam ANKAR, ANK-AR fit ex אנק ANQ *angere*, et AR ער OR *vexare*, *molestare*, frangere; FESIAE ipsum פשע PHSO *rebelles transgressores* deficientes a IAE IE, יה a Deo magno. Per haec igitur Criteria *Ancharias* Etruscorum in monumentis Hierographicis discernemus et definiemus. Nec obstat quod aliqui docti viri ex Inscriptione Faesulana apud Reinesium p. 257. et ex loco Tertulliani *adv. Gentes* c. 24. aliquam magnam Deam *Anchariam* veteribus fuisse collegerint. Nam nec Tertullianus de Diis magnis et universitatis agit, imo de municipalibus et enchoriis, et in Inscriptione Phaesulana tantum indicatur, qui Signum *Anchariae* restituerit, quod vel de *Furia* et *Charuno* possit intelligi et sumi. Quin etiamsi aliunde certum esset ipsam *Adrastiam* maximam dictam fuisse *Anchariam*, nihil inde mali: Nam primus ultor et vindex scelerum et malorum est ipse Deus summus et exsuperantissimus.

V. *PIRE*, *sive Furiae Etruscorum Tartaricae.*

In Etrusca Hierographia Tartaricos Daemones illis plane similes, quas Latini *Furias*, Graeci Ερυνυιες appellarunt frequenter conspici omnes norunt, qui haec Monumenta tractare solent. Dictas autem ab Etruscis PIRE nos collegimus ex praestanti et prolixa Inscriptione, quam explicavimus in *Tent. Herm. Etr.* pag. 211. 212. Dictasque putamus PIRE a פרר PRR *frangere effringere* ruere irruere, quod *Furiae* facere dicebantur.

VI. *LASAR Etruscorum Tartaricae.*

Animadversum a nobis est et non semel LASAR Etruscis fuisse *Personam*, quae quacumque ex causa noceat et dolorem creet. Et ideo appellasse LASAS etiam

Deas magnas *Adrastiam* et *Venerem* Genitalem, per quas mala et dolores Homines patiuntur: At erant etiam Etruscis minores LASAE, et quas diceremus *Cacodaemones*, quae data opera nocere et malefacere aliis amabant: Et trium ex his nomina ex monumentis superstitibus colligere adhuc potuimus nempe LASA IURAN de qua p. 134. LASA LEINTH, de qua 144. et LASA FECU, de qua p. 15. diximus.

VII. *Daemon Etruscorum Tartaricus Psychocrites.*

In Dramate Urnae funebris, quam edidit Micalius in *Mon. Ital.* 1810. Tab. 41. et Inghiramius *Mon. Etr. Ser.* I. Tav. 78. conspicitur ingens arbor, super cuius ramo curvo sedet Vir tunicatus et alatus, vultu severissimo, volumen sinistra stringens: Ante Arborem Ara est, ante Aram Vir plane nudus prostratus et quasi mortuus: Ad Viri alati dexteram Mulier est duplici tunica induta, capillis passis vi trahens manu hominem tunicatum, qui sequitur aegre: ad sinistram Viri alati est Vir barbatus tunicatus sinistra gladium et pugillares, ut videtur gestans, quem sequuntur duo Viri Urnulas gestantes. Micalius pag. 8. in Dramate hoc nescio quem apparatum Oracularem inveniebat: Inghiramius pag. 555. in Muliere fatidicam Manto, in Viro qui trahitur Tiresiam Vatem agnoscebat. Sed nec nota Manto ob passos crines, neque hic trahitur coecus, nec minimum dramatis elementum ad Tiresiam spectat: Quum contra omnia spectent ad Tartaricum Judicium pravi et mali Hominis, quem Vis divina *Diae* capillis passis, quia a malo conculcata oppressa afflicta, vindictam et ultionem quaerit a Judice divino, qui spiritalis est, alatus, volumen habens Legum, et positus in Ramo quercus magnae, nempe in אמיר AMIR אל AIL כביר KBIR, in *verbo Dei magni*. Alii qui adsunt sunt inquisitores et inspectores sceleris, et qui constituturi etiam sunt poenam, et fortasse sumturi.

SECTIO VIII.

DII ETRUSCORUM ELYSII.

Cap. I.

Bacchus Etruscorum Elysius.

I. *Bacchus Elysius Gentium vetustiorum.*

Triplicem *Bacchum* veteres Gentes et singillatim Cabiristae agnoverunt, *Protogonum*, quem plurimi Zagreum dixerunt, *Opsigonum* et *Mesochronium*, quem *Semeleium* appellarunt, et Venturum post Mundi finem ad instaurandam primam suam et veterem aetatem auream. Omnes hi *Bacchi* necessario habendi sunt *Elysii*, quia omnes veteres Gentes *Tartaroarchicae*, ut iam adnotatum p. 26-33. Osiris sive *Bacchus* Aegyptius *Chthonius* est et *Elysius*: Adonis sive *Bacchus* Phoenicius Chthonius et Elysius; Ipse Hellenicus Zagreus Veterum auctoritate et testimoniis, quae collegit Rolle I. p. 77. 78. et Creuzerus et Guigniaut in *Religions* Libr. VII. p. 236. 237. *Chthonius* et *Elysius*: *Jacchus* Eleusinius est *Chthonius*, Infernus in ipso Theatro Attico, teste Aristophane in *Ranis*. Praeterea *Bacchus* Etruscus in *Mus. Clusin.* T. II. Tab. 115. p. 114. et apud Gorium I. *Mus. Etr.* Tab. 103. est nudus et Rimnoferus: et quanta ratione *Rimnon* sive *Malum Granatum* sacrum sit Baccho indicarunt Clemens Alex. *Protrept.* p. 12. Pausanias Libr. V. c. 19. Scholiast. Pindari ad Isthm. VII. 3. Artemidorus *Oneirocr.* I. cap. 75. pag. 62. et *Pomum Granatum* esse symbolum mortuorum ac Sacrum Diis Infernis aeque certum et receptum apud Veteres. Quin in Ectypo Goriano habet Bacchus Diadema sive taeniam Regiam, qua caput praecinctum, et quod characteristicum capilli in coronam attonsi rasis angulis, qui mos in *Levitico* XIX. v. 27. vetitus; ab Arabibus Bacchi cultoribus solemniter et pertinaciter usurpatus: quod iam adnotavit Bochartus in *Chanaan* Libr. I. cap. 6. p. 362.

II. *Bacchus secundus Semeleius Matrem in Elysio complectens.*

In Speculo Etrusco funebri edito in *Monum. ined. Inst. Arch. Rom.* 1833. I. Tab. 56. Tom. V. *Annal.* 1833. pag. 185. conspicitur pulcherrimus Juvenis bullatus, ceterum plane nudus, amantissime complectens Mulierem stantem, sed corpore ipse quasi inverso, et retro proiecto, et ad Coelum converso. Mulier decentissime est vestita, et inscribitur SEMLA: adstat alius Juvenis aeque pulcher coronatus, Chlamyde inferiora tectus, dextera, sive baculum sive sceptrum habens ex Ramo celso frondentis lauri, et dicitur APULU, iuxta quem sedens Faunus puer duplici ludit tibia; Mulier autem illa habet manu dextra Thyrsum, sed quasi e manu Juvenis adsumsisset: qui inscribitur PHUPHLUNS: et esse *Bacchum Semeleium*, qui ad Matrem iam defunctam et in Elysio detentam invisendam et solandam descenderit palam est. Nec potest obstare Apollinis praesentia. Nam is Cabiricus Apollo est, Gemellus perpetuus atque inseparabilis *Bacchi*, et qui ad Regni Bacchici instaurationem est plane necessarius. Modus vero *inversus* quo *Bacchus* Matrem complectitur est symbolum manifestum Temporis אחרי ACRI posterioris venturi: scilicet restaurationem *Semeles* ipsius non posse statim fieri, sed faciendam *postea* אחר ACR, quia ipsemet Bacchus est *Acratus*, ut dicemus paullo post; et ipse PHU-PHLUNS, sive פה-פלש PHE-PHLS פה PHE *partes*, *sortes*, פלש PHLS *aequans exaequans*: Quam exaequationem non faciendam statim, sed deinceps et postea אחרה ACRE, inversus אחרה ACRE modus osculandi Matrem ostendit.

III. *Demiurgus Sethlans complectens in Elysio Bacchum Semeleium.*

In Speculo Etrusco, quod descripsimus, et ex magna parte explicavimus supra p. 75. 76. *Juvenis* quem complectitur *Sethlans*, est *Bacchus Semeleius*, Bacchus *Phu-phluns*, qui iam Incarnatione primas *partes* פה PHE PHU *exaequaverat* פלש PLS PHLUS, PHLUNS: Et cui

adeo ostendit *Malleum*, quo *Clavus Moerotropus* est Mundo infigendus, et novus ordo, novum *Bacchi* Regnum sit instaurandum. Vide p. 91-94.

IV. *Bacchus tertius Cabiricus alatus Acratus.*

Bacchus tertius Cabiricus futurus instaurator Mundi nec Polymorphus, ut Protogonus, nec carneus et corpulentus, ut *Semeleius* et secundus, sed omnino erit alis instructus, alatus: Et si hoc pacto non semper Hierographice effingitur fit, ut scite triplex Bacchus unus haberi et videri possit. Et profecto *alatus* expressus est in Cista funebri Dindii Macolnii edita a Contuccio in *Mus. Kircher.* ubi *Bacchus* Juvenis pudus et *alatus* pulcherrimus et medius est inter Mercurium chlamydatum, et Herculem iuvenem etiam factum: ut ipse Macolnius expressus inter Faunos futuri saeculi iam Lar et divus. Qui *Bacchus* instaurator futurus, quum *venturus* sit *postea*, et adeo sit אחר-את ACR-AT, est vere et proprie Ἄκρατος profundorum Hierographorum Graecorum, qui hoc nomine non inanem Genium Dei, sed futuram et exspectatam et desideratam eius pulcherrimam Epiphaniam et adventum hoc nomine appellarunt. Et propterea iure faciemus si *Bacchum* ipsum dicemus pulcherrimum et divinum Juvenem alatum amanter complectentem *Silenum* suum in *Recueil* Com. Caylus Tom. V. Tab. 72. et Zoega *Bassi Rilievi.* II. Tab. 79. p. 163. 164: Qui iniuria *Acratum* hunc fecit ipsum Silenum, et quod gravius errorem hunc aliis pluribus suasit, ut Creuzero et Guigniauto: etc. Qui tamen *Acratus* sive *Bacchus* futurus et alatus modo in Elysio est otiosus, et manu dextera fasciata et impedita, ut in duobus monumentis plane praestantibus repraesentatur Herculanensi uno, quod ediderunt Academici *ne' Bronzi.* Tom. I. Tav. 5. pag. 25. 26. Florentino altero, sive in *Gemma Medicea*, quam edidit et descripsit Gorius Tom. I. Tab. 45. p. 95. 96.

V. *Bacchus Acratus Etruscorum auribus acutis.*

Gorius in *Mus. Etrusc.* I. Tab. LV. edidit Sigil-

lum, quo exhibetur Protome Juvenis alati, pulcri, sed auribus acutis, sinistro humero Hinnuli pellis suspensa, Pectus duplici torque et decussato exornatur, sinistra manus pectori admota, Dextra latens et demissa supponitur. Gorius Tom. II. p. 136. 137. habuit cum aliis pluribus, ut Genium Bacchi, dixitque *Acratum*. Nos dicimus ipsum *Bacchum* tertium eumdemque *Acratum*: Tum quia nulli Genio et daemoni esse possunt acutae aures, et nulli Fauno alae: sed utrumque futurum tertio *Baccho* putabant, alae quidem quia corpus illud crassum et carneum fit spiritale et luminosum; et *aures acutae*, nempe אזן AZN, אדן ADN, חדה CDE *acutae* sunt עדן ODN *Eden Paradisus voluptatis* חדה CDE *Gaudii, laetitiae*, hilaritatis *Dionysi*.

VI. *Bacchus Acratus ad Sponsam suam dormientem venit volans.*

Et hic *Bacchus Acratus* alatus imo Tessaropterus, ut *Amor Uranius* in Mundi fine ad Sponsam suam e somno suscitandam venit, sive Ariadnam dices sive Psychen, quam ei non marcidus et tenebrosus Hypnus, sed lucidissimus et pulcherrimus Athanasiae Genius servat et tuetur: et si vis ipse *Apollo* Gemellus: et frater *Bacchi* carissimus, intimus, indivisus, inseparabilis. Notissima iam pictura Pompeiana a nobis et aliis pluribus illustrata, ab ann. 1827. ad annum 1837. Vid. Tom. II. *Act. Acad. Herod.* 1833. et *Instit. Arch. Roman.* 1830-1834. in qua ii qui in vivacissimo Juvene dormientis Puellae custode allegoricum Somnum agnoscere volunt profundae et genuinae veteris Hierographiae et Theologiae haud multum gnari dicendi sunt.

Cap. II.

Hercules Etruscorum Elysius.

I. *Hercules a Tetrade Cabirica receptus in Deos.*

In Speculo funebri Etrusco, quod edidit Vescovalius in *Giorn. Arcad. Rom.* 1821. Tom. IX. p. 98. et Micalius *Mon. Ital.* Tab. 49. T. III. p. 82. Con-

spicitur primus a dextra spectatoris Juvenis pulcher insigni sella sedens pallio limbis pretiosis exornato inferiora tectus; truncum lauri bifurcatum et frondentem quasi sceptrum dextra tenens inscriptus APLU: Proxima mulier est decentissime vestita; quam excipit Mulier nuda, quam sequitur Mulier Aegidifera inscripta MENRUA, hinc adest Vir barbatus, pelle leonis dorso reiecta, dextrâ clavae impositâ dictus: HERCLE. Panofka in *Annal. Arch. Rom.* 1833. Tom. V. p. 343. absurde, ut saepe, hoc in Dramate iudicium Paridis quaerebat: Alii imperite de Tripodis oracularis contentione agi putant; recte qui arbitrantur agi de receptione *Herculis* in Deos, et quidem Cabiricos atque Etruscos: Nam hi Dii sunt Pantheí Cabirici, nempe *Adrastia* magna, quae Junoni Hellenum respondet, *Venus* genitalis, *Minerva* Soteira, et *Apollo* inferus, sive *Bacchus Elysius*: Non quod *Apollo* et *Bacchus* essent revera unum Numen et una Persona veteribus Theologis, quod plures falso praedicarunt, sed quod uterque Gemellus potuit quandoque eodem nomine APLU sive בעל BAAL appellari.

II. *Hercules Etruscorum Elysius* LAN.

Plura sunt funebria Etruscorum Specula, edita ab Inghiramio, Vermigliolio, et aliis Archaeologis, quibus conspicitur *Hercules Cundaules* gemellus *Mercurii*, vel *Apollinis* Inferi, vel potius *Bacchi* Elysii *Amphoram* futilem pede dextro premens: quo profundo symbolo et praeteritum fatum, et nova eius conditio significatur. Nam *Vase* argillaceo ac futili et vita et corpus humanum egregie significantur, et eius inversione fati ipsius conversio, et pressione pedis « *subiectum pedibus inexorabile fatum*, *strepitumque Acherontis avari* ». Et propterea factum *Divum* et *Larem*, et gemellum *Bacchi* et *Mercurii* Cabirici. Dolet Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* I. p. 68. 70. ubi unum ex his Speculis illustrat, quo alter Gemellorum Cabiricorum inscribitur PILE nempe פלא PLL פלל PL *Aiagur*, Propheta, *Apollo* et *Bacchus* Infernus, ipsemet

nescio quem *Philcum* Augiae filium operosa eruditione quaerit, haud animadvertens miserum Etruscum moriturum, et pium Hierographum haud potuisse in sordidis stabulis Augiae, sed in potentibus et Philanthropis *Gemellis Cabiricis* unice confidere ac bene sperare. Quam solemnem et Cabiricam *Herculis* Larificationem alii Etrusci Hierographi clarioribus etiam symbolis expresserunt. Nam in Cupra maritima inventum Signum editum in *Act. Academ. Corton.* Tom. I. p. 60. 61. et in *Mus. Etr.* Gorii I. Tab. 71. quo exhibetur *Hercules* Pileolo adstricto caput tectus, dextrâ cornu tenens, pedibus carens, vel quasi ingenti lapidi infixis et conditis. Gorius Tom. II. pag. 165. 166. putavit agi de *Hercule* compedito ne fugeret. Et falso. Nam est Hercules Apus, non compeditus, scilicet est Hercules carens רגל ROL, ut dicebamus p. 157. carens *homine* carneo, osseo, corruptibili: sed est purus *Hercules* spiritalis. Tum *Pileolus* ille כיפה KIPHE prorsus *Herculi* viventi inéptus *Herculi* Elysio abscondito invisibili חפה CPHE est plane opportunus; et illo CORNU, quod doctissimus Hierographus adiecit, eum *Dhulcarnain*, et adeo *Recaranum* Italorum veterum declaravit. Nam *Hercules* is est *Dominus-cornu* est דו-אל-קרן DU-AL-QRN, scilicet Princeps aevi, temporis, et potissimum futuri et venturi, quo sensu veteres Italos appellasse *Herculem Ducaranum*, vel ut corrupte modo legimus apud Auctorem Libelli *de Origine Gentis Roman.* p. 6. etc. *Recaranum*: quem *Herculem Recaranum*, nempe futuri Mundi et aevi Regem, si priores Interpretes et Archaeologi illustrare nescierunt, conentur alii et recentiores: quod egregie facient si habebunt Herculem hunc et Bacchum, ut Typos Theologicos eosdem etsi Hierographice diversos spectantes ad Panthea et systemata Hierographica diversa. Quin Herculem hunc *Larem* expresserunt etiam Hierographi corona latifolia, ut in *Galleria Florent. Serie* IV. Tab. 115. et in *Mus. Pio-Clement.* Tom. V. p. 93. 94. Quod tamen

non vidit Zannonius Tom. III. pag. 36. 37. ut ipsum hunc Herculem *Larem* non vidit Welckerus in praestanti Dramate Vasis Mythographi editi in *Annal. Arch. Rom.* Tom. IV. ann. 1832. Tab. F. pag. 379. 380. Cuius larificationis peractae argumenta sunt: quod Hercules non barbatus et Coronatus sedet in Leonis Pelle quietus: quod iuxta est Aedicula Cabirica prorsus characteristica, quod Minerva comes et servatrix sedet detracta Casside: et Victoria advolat cum lance ambrosiaca, Corona, et taenia victoris.

III. *Hercules* LAR *Prometheum liberatum per Atlantia Poma recreat.*

In Speculo funebri, quod edidit Micalius *Mon. It.* 1832. Tav. 50. III. pag. 86. 87. conspicitur medius Vir laureatus acuta barba fere nudus inscriptus PRUMATHE, brachiis in crucis formam protensis, quorum sinistrum sustinet Juvenis sedens inscriptus KASTUR, Cruce vel Stella Capiti praefixa: dextrum brachium sustinet *Hercules* clava, arcu, et pharetra iuxta positis, inscriptus CALAPICE, non ut editum CALANICE: Uterque iuvenis ostendit *Pomum*, quod dextra habet: Aquila ante Prometheum prolapsa adsculpta. An aliquis Drama explicaverit mihi ignotum. Egomet teneo exhiberi *Herculem* iam factum *Larem* et Dioscurum, iam receptum inter Gemellos Cabiricos per *Poma* ambrosia et vivificantia surrepta ex Horto Atlantis oppressum et semivivum Prometheum recreantem et confortantem: unde iterum hic glorioso nomine CALAPICE *rubapomi* insignitur, et laudatur. Vid. p. 142-143.

IV. *Hercules Etruscus Elysius sponsus et maritus Hebes.*

Contuccius in *Mus. Kircher.* I. Tab. 13. Lanzius *Saggio* II. Tab. X. 3. Millinus in *Galler. Mitol.* CXIX. n. 463. ediderunt Speculum funebre, quo conspicitur Vir barbatus sedens, inferiora tantum pallio tectus, inscriptus in suppedaneo IOVEI Latinis literis: Ad eius dexteram est Mulier duplici tunica absque manicis induta, quarum una brevior, vultu, et

oculis demissis, dextraque ramum, ut videtur, fructiferum tenens, sinistra humero IOVEI adposita, qui dextra latus Mulieris adtingit: quae dicitur IUNO: Inter quam et Jovem est Protome imberbis et modiofera. Ad sinistram vero *Jovis* est *Hercules* HERCELE imberbis, dextera manu protenta Mulierem illam indicans, Phallo humano proxime adsculpto. Contuccius pag. 53. 54. putabat hoc Dramate exhiberi reconciliationem et pacificationem Junonis et *Herculis* post flammas Oetaeas, istamque interpretationem probavit etiam Lanzius *Saggio* II. p. 198. 199. At falsus uterque. Nam nec aetas fere puerilis, nec simplicissima vestis, nec modestia illa, nec Protome modiofera, nec Phallus possunt omnino Dramati convenire, quod ipsi fingunt. At si *Junonem* suam etiam Famulae habebant, si Deorum Filii saepe paternis nominibus noti, si *Juno Inferna* notissima: Quidni hic a profundo Hierographo *Heben* Junonis filiam sive *Junonem* minorem dictam *Juno* tenebimus? Nam *Heben* non *Junonem* magnam et Olympicam demonstrant 1. Aetas. 2. Modestia. 3. Simplicitas vestis. 4. Ramus virens fructifer floridus אב AB, אבב ABB, אבא ABA, imo הב EB, הבא EBA Hebe. 5. Protome Modiofera symbolum proprium *Spei* שבר SBR, et adeo *Hebes*, quae tota est *spes fructifera*, spes ubertatis. 6. Symbolum genitale foecundans. Quin alio in Speculo edito a Com. Caylus *Recueil* T. IV. Tab. 37. p. 426. conspicitur *Hercules* lauro coronatus, super Leonis pelle tranquille sedens, ad eius sinistram sedet etiam Puella nuda, sed modesta et verecunda, cui proxima est avis, quae pluribus Pavo visa est. Media inter Herculem et Puellam est alia Puella pariter nuda, sed alata, et magnam lancem fructibus et floribus onustam *Herculi* offerens. Caylus pag. 108. 109. in Puella sedente Junonem, in alata Iridem agnoscebat: Zannonius in *Letter. Inghiram. Etr. Eruditz.* p. 18. 19. in Puella sedente Junonem, in alata Victoriam malebat; et perperam uterque. Nam data quacumque Herculis Apotheosi numquam Juno Hellenica

potuit sola et nuda coram eo effingi ; nec Iris umquam, vel Victoria cum lancibus fructuum expressae. Sed illa *Puella* nuda et verecunda habenda est *Hebe* iam uxor *Herculis*: cuius Nominis lexeoschema et symbola potestatis אבא ABA הבא EBA, Genius isto abundantiae et fertilitatis gerat. Pavo tandem symbolum aeternitatis et immortalitatis statum et notum iure additum symbolicis Nuptiis *Herculis* et *Hebes*.

IV. *Hercules Etruscus Telephum suum alatum et rasum gestans.*

Hercules in Pantheo suo proprio et originali Phoenicio, ut *Bacchus* in Cabirico triplex fuit : Nempe *Protoganus* et Demiurgus a pluribus dictus *Chon* et *Chiun*. *Mesochronius* incarnatus, homo, dictus *Hercules* ; venturus et futurus Mundi instaurator dictus *Telephus*, lacte Cervae אל AIL nempe *Dei* nutritus et altus. Etrusci etsi Cabiristae et Dionysiaci, ob summam et amplissimam Heraclidarum potentiam, et quia cum his intime mixti, Typum hunc divinum, ut alibi iam monuimus p. 20. 21. Pantheo suo Cabirico intulerunt: Mythosque fere omnes ad Herculem spectantes adoptarunt: inter quos et *Telephi* mythus fuit, quum ut modo vidimus *Heben* etiam agnovissent. Nam in maximo Speculo adhuc edito in *Monum. ined. Inst. Arch. Rom.* 1834. II. Tab. 6. in prima figurarum serie, nam alteram iam alibi p. 50. 51. examinavimus: medius conspicitur TINIA sedens insigni sella, pallio inferiora tectus, sinistra fulmen habens, dextrâ genu impositâ: adstat coram *Hercules* diadematus, non barbatus, sinistra habens Leoninam pellem, et gestans Puerum nudum, alatum, crassum, et rasum dictum EPEUR; Juxta est Mulier sedens pallio inferiora tecta, dextra sceptrum habens, cuius fastigium factum ex Malo-Granato, et dicitur TURAN: ex alia Jovis parte est Mulier Gemella pariter sedens dicta THALNA. Scilicet est *Hercules* iam *Divus* et *Lar*, coram Patre et Deabus Fatalibus futurum Mundi Regem Filium suum monstrans et ostendens, ex una parte *alatum*, quia tum

Homines non constabunt corpore hoc putrescibili, solido, carneo, sed spiritali et lucido. At tum Homines non modo non carebunt fructibus et bonis Telluris, imo maxime abundabunt, ut crassi et pingues possint effingi: Diciturque hic filius *Herculis* EPEUR nempe עפר OPR EPER Arabica potestate: indulgens, *propitius*, *bonus*, *beneficus*, culpas et peccata condonans. Factus est חלק CLQ *rasus abrasus*, quia Filius iste est verus חלק CLQ *Heres*, tum patris *Herculis*, tum Avi Jovis, qui omnia debet ex hereditate possidere et tenere. Quam autem futuram felicitatem Generis humani, non tantum sive Romanorum sive Italorum aetate Telephi putarunt, in prorsus mira pictura Herculanensi expressum est, quae edita est tum a prioribus Academicis in Tom. I. *Pitt.* Tav. 6. p. 29. 30. Tum a recentioribus in *Real Mus. Borb.* Tom. IX. Tav. 5.

CAP. III.

Proserpina Etruscorum Elysia.

I. *Proserpina Etruscorum Rimnofera atque Elysia.* Ex testimoniis Apollodori *Biblioth.* Libr. I. c. 5. §. 3. p. 15. Ovidii *Fastor.* IV. v. 607. 608. Artemidori *Oneirocrit.* I. c. 75. p. 62. Lutatii Placidi ad *Statii Theb.* III. v. 511. Lucani VI. *Pharsal.* Clem. Alex. *Protr.* p. 16. Porphyrii de *Abst.* IV. pag. 401. 402. S. Hieronymi *adv. Jovinian. Oper.* IV. p. 106. aliorumque constat *Malum-Granatum* sive *Rimnon* sacrum etiam fuisse Proserpinae. Et propterea Deam hanc agnoscemus in *Puella Rimnofera*: *Antiquitè Expl.* II. 1. Tab. CX. p. 280. In alio Signo pulcriore Herculanensi ne' *Bronzi* II. Tab. 3. p. 10. 11. Quo *Puella* sphendone radiata ornata amanter et dolenter oculos ad Coelum habet conversos. 3. In Protome Herculanensi edita *Bronzi* I. Tab. 6. p. 33. etsi veteres Academici de more visi sint incerti de horum Signorum natura. 4. In alio Signo Etrusco, quod edidit Micalius in *Mon. Ital.* Tab. 34. III. p. 48. eoque magis, quod speran-

tis est habitu, qui Proserpinae proprius p. 149. 150. Et tandem. 5. in Signo Perusino, quod nemo quem sciam edidit, descripsit vero Vermigliolius in *Iscriz. Perug.* I. pag. 44. 50. qui insuper testatus est fuisse hoc lemmate auctum : PHLERES TLENASIES SFER : Scilicet ut interpretati sumus in *Tent. Herm. Etr.* p. 144. 145. *Hiero-Agalma pendentis adhuc Hominibus salutis et redemtionis Spei*: quo vera et profunda *Proserpinae Cabiricae* natura continetur, et satis aperte manifestatur. *Malum* autem *Granatum* esse proprium Defunctorum, et ex testimoniis quae indicavimus colligitur, et ex plurimis funebribus Monumentis, in quibus *Poma-Granata* sunt exsculpta, ita ut Manibus etiam Mortuorum apponerentur. Vid. Bonarota ad *Dempster.* Tab. 82. p. 19. Micalium Tab. 105. Inghiramium *Serie* VI. Tab. H. 2.

II. *Proserpina Elysia alis solidis, et brachio involuto.*

In *Museo Clusino* I. Tab. 6. p. 8. et in *Monum. Italic.* Micalii Tab. XXXV. n. 11. Tom. III. pag. 50. editum Sigillum Etruscum, quo exhibetur Mulier corona radiata caput praecincta, oculis quasi clausis, veste adstricta, et quam sperantis habitu, sinistra manu adtrahit, dextro brachio erecto, sed fasciato involuto informi. Hoc autem Signo una *Proserpina Elysia* potuit significari. Ea enim lucida est et radians, *Pasiphäae* est, sed quiescit oculis clausis in Tartaro, premuntur adhuc naturales alae suae ingenti pondere, solidae adhuc sunt, non leves et agiles, eius potentia impedita, manus obvoluta, clauditur Tartaro, moeret in Elysio: Sed sperat redire ad Olympum, sperat serediturum in Patriam coelestem.

III. *Proserpina Elysia reditura.*

Millingenius in *Serie I. Ancient unedited Monum. etc.* Tab. XXIX: pag. 76. 77. Edidit Vas pictum egregii operis, quo exhibetur pulcra Puella duplici tunica decentissime vestita, magnis alis et elevatis instructa, capillis prolixis passis et sparsis, pedibus nudis, sinistra manu sceptrum Rimnocephalum gerens,

dextra protensa Navis Aplustrum; et corporis habitu mixto, et torto. Nam parte corporis sinistra incedere recta et procedere videtur, dextro vero latere retro convertitur, et ipsa facies tota retro est conversa: Ex qua parte adsurgit humi Basis super qua *Pomum*, et in fronte adscriptum KOΦVST claris et distinctis literis. In campo Vasis literis veteribus scriptum KAΛE HE ΠAIS. Millingenius nil de Puella hac definire ausus est. Panofka in *Mus. Bartholdiano* pag. 104. 105. habuit symbolum Victoriae Navalis: Welckerus in *Ann. Archeol. Rom.* 1831. III. pag. 421. 422. putavit esse figuram allegoricam faustae et felicis Navigationis, nempe *Euplueae*, absurde oculis et pedibus invicem adversis et contrariis. Nos autem tenemus *Puellam* esse *Proserpinam* Elysiam redituram. 1. Primo quia haec Dea Vase funebri Osci hominis et Artificis Cabiristae maxime congrua. 2. Quia *Proserpina* Elysia alata. 3. Quia Proserpina Cabirica et Eleusina et Italica reditura cum Baccho, et adeo per Oceanum cuius symbolum Aplustrum in Terram hanc reditura. 4. Quia capillis passis et sparsis, ut vidimus p. 148. 150. 5. Quia sceptrata. 6. Quia sceptro utitur Rimnocephalo p. 185. 7. Quia retro convertitur, quum sit אחרי-תור *Achri-tur*, et *Achri-ther* p. 150. 8. Quia est καλη η παις, est Κορη. 9. Quia in Basi est fatale *Pomum* fatale *malum* proprium *Proserpinae*. 10. Quia inscriptum KOΦVST, ipsum חפץ, CPHTZ, *desideravit*, *voluit*, concupivit, et inverse זה-פכה ZE-PHKE *hoc Pomum hoc malum*.

IV. *Proserpina alata Anseres suffocans.*

Anser est, ut saepe innuimus, in omnivetere Hierographia Aegyptia, Indica, Etrusca, Graeca, Romana symbolum *generationis* et *nativitatis*: Adeoque oppressio et suffocatio *Anseris* est symbolum manifestum reiectionis, et remotionis *Generationis* et *Nativitatis* corruptibilis et periturae: quumque una Proserpina ives Humana *Psyche* sit, quae possit Generationem concupiscere et adfectare, unde Mythi famosi *Pasiphaes* et

Tauri; vel abhorrere et odisse, ut Proserpina alata, ut Proserpina adsumtis alis, per quas e putidis faecibus Telluris ad lucidissima et purissima aetheris spatia elevatur. Hinc fit ut Puellam vel Mulierem illam alatam modioferam, utraque manu duos *Anseres* suffocans, ut expressa est in Vase Picto *Mus. Borbon.* vol. VI. Tab. 56. apud Micalium in Tab. XVII. et LXXIII. 1832. habebimus Proserpinam iam quasi coelestem, iam restitutioni suae, iam magnae Palingenesiae proximam.

VI. *Proserpina Elysia Bacchi sponsa.*

Nam, ut supra adnotavimus, p. 100. 101. *Puella alata*, quae Virum Hedera coronatum et fulminiferum complectitur *Proserpina* est, et Sponsus *Bacchus.* Tum in tertio Dramate Cistae aereae Praenestinae, quam edidit R. Rochette iam cit. p. 124. 148. Puella tunicata et palliata et sceptrata *Proserpina* est, adolescens palliatus habens dextra sceptrum ramiferum, vel foliatum, quod mea sententia non recte facit Thyrsum Rochette, et sinistra serpentem symbolum vitae et palingenesiae et renovationis est *Bacchus*, et Matrona decentissime tunicata et coronâ radiatâ et regiâ caput exornata dextrâ porrigens *Baccho* Porculum, sinistrâ tenens alium Serpentem *Ceres* est, Demeter est; Trias est classica et fundamentalis Mysteriorum Cabiricorum, Eleusiniorum, et Romanorum, quae indicat etiam Cicero de *Nat. Deor.* II. cap. 24. pag. 111. Sed ubinam, inquies, clara Nuptiarum symbola? In *Porco* inquam, in quo expiationem tantum plane inopportunam quaerebat Rochette p. 336. Nam haec opportunissime Varro de R. R. II. cap. 4. p. 73. *Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumtum videtur, cuius vestigia, quod Cereris initiis Porci immolantur, et quod initiis Pacis foedus cum feritur Porcus occiditur: Et quod Nuptiarum initio antiqui Reges ac sublimes Viri in Hetruria in coniunctione Nuptiali nova Nupta et novus Maritus primum Porcum immolant. Prisci quoque Latini et etiam*

Graeci in Italia idem factitasse videntur. Nam et nostrae Mulieres, maxime Nutrices Naturam, qua foeminae, sunt in Virginibus appellant Porcum, et Graece χοιρον significantes esse dignum insigni Nuptiarum. Ergo in Dramate Praenestino: *Porcus Cereris* est insigne *Nuptiarum* filiae, ut *Serpens, Palingenesiae* et instaurationis magnae: quae fundamentum primum et maximum Mysteriorum potissimum Eleusiniorum.

TENTAMINUM HIEROGRAPHICORUM
PARS TERTIA: SIVE
DISQUISITIO
DE NATURA, ORIGINE, ATQUE INTERPRETATIONE VASORUM PICTORUM.
SECTIO I.

REFELLUNTUR FALSAE ATQUE ABSURDAE OPINIONES DE NATURA ET DESTINATIONE VASORUM PICTORUM ET DRAMATOGRAPTORUM.

1. *Vasa fictilia et Picta, sive Dramatograpta haberi non possunt Vasa usus communis et socialis.*

1. Primo, quia ipsa *Vasorum Pictorum* forma et materia omnem communem et socialem usum ab eis saepius reiicit et repellit.

1. *Pes parvus*, basis angusta: et ita quidem, ut qui *Vasa* huiusmodi possident cogantur clavis, fibulis, uncinulis continere et adfigere, ne ad quemvis fere motum et nutum concidant, adfligantur, et disrumpantur: Quamobrem si Vasi fictili socialis usus basis aequa et pes latus est prorsus necessarius, tenendum est haud fuisse socialis usus *Vasa*, quibus pes et basis nimis angusta.

2. *Parietes Vasorum* huiusmodi tenues et subtiles: Ita ut si tu vino, oleo, lacte, melle impies, et huc illuc per sua manubria gestas et trahis pleraque statim et certo effringes.

3. *Manubria* saepe *non apta*, abnormia, parva, subtilia, loco improprio adposita: omnino quia in usum socialem frequentem tumultuosum *Vasa* non erant adhibenda.

4. *Operculorum defectus*, scilicet opercula saepe nulla illis potissimum Vasis, quibus os latissimum, et quae adeo dicuntur *Noloformia*, et ea plurima numero. Atqui nullius *Vasis* aperti et detecti diuturnus esse potest usus socialis, tum ob sordes et immunditias, quae facile et necessario decidunt: Tum ob animalcula impura, quae adrepunt, tum odoris et essentiae vanescentiâ, et exhalatione.

5. Defectus *interni Enkausti*, sive defectus *Patinae*, ut vocant, qua interna Vasis superficies obtegatur et solidetur. Atqui *Vasa* fictilia, quae carent huiusmodi Enkausto, si oleo, melle, mulso, lacte, vino implentur, foede statim conspurcantur et imbibuntur, et Picturas, si in externa superficie habeant, repellunt et infringunt.

6. *Perforatio Fundi*: Scilicet sunt plura *Vasa Picta*, quibus nullus fundus, perforatus fundus, et adeo nullus socialis usus.

7. *Nullae liquorum reliquiae*, nulla vestigia olei, lactis, vini, mulsi, et liquorum utcumque medicatorum et mixtorum, quae plurima Antiquis, et quae necessario servanda fuissent in *Vasis* fictilibus interno Enkausto carentibus.

2. *Secundo, quia nemo Scriptorum Veterum Vasa huiusmodi Picta et Dramatographa ut Vasa socialis usus descripsit, vel demonstravit.*

Quod impossibile, si *Vasa Picta* et *Dramatographa* fuissent usus socialis et communis: Nam Vasa socialis et communis usus ab Homero et Hesiodo ad Isidorum Hispalensem et Eustathium Thessalonicensem ab innumeris Scriptoribus indicata, et descripta fuerunt.

II. *Vasa fictilia Dramatographa haberi non possunt*

Munera amicorum, et Dona coniunctorum ob festa familiaria, et solemnitates domesticas.

1. Primo, quia Vasa huiusmodi, ut paulo superius demonstratum est, inepta plerumque sunt ad quemcumque domesticum et socialem usum. Ita ut donare amico, cognato, adfini *Vas* huiusmodi idem fuisset, ac ingenti cura miserum onerare, ut fragilem et inutilem cretam servaret. Maxime si animadvertimus plerasque Domos Veterum ita fuisse compositas et dispositas, ut hac fragili et otiosa creta exornari permanenter haud possent, quidquid visum fuisset Winckelmanno hîc aberranti.

2. *Secundo quia ex unis Sepulcris eruuntur.* Atqui si *Vasa* huiusmodi fuissent Munera cognatorum et amicorum, et quae conclavia domestica exornarent, utique eorum innumera fragmenta et reliquiae colligerentur ex Domorum et Aedium Urbanarum reliquiis, quae manent adhuc in Europa maxime meridionali: Quod numquam hactenus factum.

3. *Tertio, quia eorum meminissent, eaque descripsissent Poetae plurimi, et Scriptores innumeri*: Nam quid frequentius et facilius describunt Poetae omnis aetatis et regionis, quam Amicorum munera et dona? Cur autem *Vasa Dramatographa* huiusmodi a pemine Poetarum inter amicorum et cognatorum munera descripta sunt et adnotata? Omnino quia non fuerunt.

4. Quarto, quia Dramata Vasis adpicta non sunt Cyrioschematica, et Physiographica, non Festa ulla domestica, non Solemnitates certas familiarum, non mores Civitatum statos exhibent et repraesentant: Nec inventus adhuc Archaeologus, qui Solemnitates has et Festa haec per debitam analysim et certa testimonia demonstrasset. Quod ipsa ingentia Passerii volumina invicte probant.

5. Quinto, quia tenere Vulcientes, Latinos, Campanos, Lucanos, Appulos, in quorum Sepulcris pleraque *Vasa Dramatographa* inventa, ea muneri sibi mutuo misisse, ut Festa, Mores, et instituta Patria et

domestica celebrarent, prorsus desipere est. Nam vix quidquam magis diversum et remotum a Dramatibus Vasorum quibuscumque et qualibuscumque, quam mores sociales et Instituta domestica et familiaria Oscorum, Latinorum-Priscorum, atque Etruscorum. Ipsis Monumentis collatis, ipsis Dramatibus, quae supersunt, imo ipsis Sepulcris, Sarcophagis, et funebribus Urnis mutuo comparatis.

III. *Vasa Dramatographta cuiuscumque generis educta e sepulcris Italicis haberi non possunt praemia solemnia in Ludis Gymnicis et Palaestricis capta.*

1. *Primo, quia Dramata vasorum non sunt Dramata Ludorum Gymnicorum characteristica*: Ut quisque fateri debet, nisi ita puer est in his studiis, ut habeat *Drama* characteristicum et cyrioschematicum Ludi Gymnici solemnis, stati, Cyclici, aliquot homines sive currentes, sive luctantes; quum haec simplacra sint manifesto allegorica, et uteumque sumantur numquam plane numquam cyrioschematica sunt et characteristica, ut esse deberent.

2. Secundo, quia nullae Inscriptiones adiectae Gymnicae atque Historicae. Atqui plurimae Vasis Inscriptiones adiectae, sed numquam Gymnicae, numquam Historicae. Et interea victoria Gymnica species quaedam Apotheoseos habebatur, et Victores etiam Historice fiebant clarissimi et illustrissimi. Quamobrem si tenendum est in genuinis *Vasis* Gymnicis Nomina Loci Ludi et Victoris adscripta fuisse; tenendum aeque est non esse Gymnica illa *Vasa*, quibus hi characteres desunt, ut desunt *Dramatographtis*, quae ex Sepulcris Italicis sunt educta.

3. Tertio, quia *Vasa* Victoribus Ludorum in praemium proposita longe diversa a *Dramatographtis* huiusmodi extiterunt. Quod certo constat tum per descriptiones Poetarum et reliquorum Auctorum, tum per imagines et simulacra eorum servata sive in Nummis, sive in aliis Monumentis: Nec ex innumeris literatis Viris, qui hactenus de *Pictis Vasis* disseruerunt inven-

tus, est unus, qui unum *Vas* a Poëta aliquo indicatum, ut vas Victori Ludorum dandum plane simile *Vasi* fictili et *Picto* debita analysi demonstraverit.

4. Quarto quia in Italia Osca, in qua pleraque *Vasa Dramatograpta* inventa, ante Romanum Imperium nulli *Ludi Gymnici*, et adeo nulla *Vasa* victoribus proposita: Qua aetate aurea aetas *Vasorum Pictorum* iamdiu praeterierat.

5. Quinto quia fingere Centurias Etruscorum et *Oscorum* hominum perpetuo victorum per quatuor vel quinque saecula in Ludis Graeciae, non tantum mentiri est, sed prorsus desipere.

6. Sexto, quia nemo Scriptorum veterum *Vasa Dramatograpta*, ut Vasa Victoribus Ludorum Gymnicorum proposita indicavit; Quod impossibile, si *Vasa* huiusmodi fuissent Victoribus proposita. Aiunt clamantque maximum Pindarum Ode X. *Neme. Colon* 12. p. 308. *Vasa* haec aperte significasse illis verbis: Γαιαδε καυθεισα πυρι Καρπος ελαιας « Εμολεν Ηρας τον Ευανορα λαον εν αγγεων ερκεσιν παμποικιλοις. Fac ita esse. Quid tum? Plures decuriae testimoniorum clarissimorum, expressorum, distinctorum sunt tibi suscitandae, si morem socialem vis probare et suadere. Sed plane erras si tenes Pindarum illis verbis *Vasa picta* significasse: Nam omnes doctiores Scholiastae et Interpretes non de *Vasis* figulinis, sed *metallicis* atque aereis Poëtam intelligunt, et prorsus iure et necessario; Nam ut plane dure Γαια καυθεισα πυρι potest intelligi de *Creta* cocta, ut absurde haec Creta iam cocta et igne perusta transit in formam vasis, ut aeque absurde appellantur claustra vasorum parietes tenuissimi et fragilissimi: Ita contra Gleba metallica per ignem excocta et facta metallum egregie et vere dicitur transire in formam Vasis, et vere et proprie efficere claustra firma liquorum claudendorum. Nec levis et tenuis est ponderis, imo momenti invicti et insuperabilis consideratio, quod *Vasa* Victoribus Ludorum proposita semper metallica fuerint.

IV. *Dramata Vasorum pictorum quae e sepulcris Italicis eruuntur non possunt haberi Scenae Ectypicae et Dramata Cyrioschematica Mysteriorum illustrium Cereris, Bacchi, Mithrae.*

1. Primo, quia nulla in Italia Mysteria clara, magnifica, et quae per ingentia et mirabilia spectacula exhiberentur. Italorum mysteria pauca, obscura, tenebricosa, turpia quandoque. Poëtae magni recentes, Dramata autem Vasorum clara et praestantia ingenia et antiqua demonstrant.

2. Secundo, quia si Dramata Vasorum essent scenae Ectypicae Mysteriorum haud tanta mutuo diversitate discreparent: Et ita quidem ut vix possint duo Vasa proferri eadem Scena et Dramate ornatae. At contra plurima vasa fuissent identicis Dramatibus exornata: Quia Scenae Mysteriorum statae certissimis symbolis ornatibus personis moribus circumscriptae.

3. Tertio, quia si Dramata Vasorum essent Scenae Ectypicae Mysteriorum claro, certo, et facili nexu mutuo connectèrentur, quòd minime fit. Nam si scenae Mysteriorum sunt necessario mutuo et intime connexae, quia unum Doctrinae corpus efficiunt, et Scenae Vasorum ex Mysteriis, utique hae quoque scenae mutuo connecti et componi unâ deberent. At hoc hactenus in Vasis adeo nemo praestare potuit, ut vix Vas aliquod possit excitari, cuius utraque facies certo nexu mutuo constet, et clare sit explicata.

4. Quarto, quia nulla scena Ectypica veterum Mysteriorum potuit adhuc deprehendi certo in Dramatibus Vasorum. Non Dramata *Bacchi Sabazii* et Zagrei, non *Cereris Eleusinae*, non Athydis Cybelei, non *Bacchi Lernaei*, non *Mithrae* Persici. Et si plerique Vasorum Interpretes Mysteria crepant, hi non vetera et genuina describunt, sed fictiones et somnia sua securissime effundunt.

SECTIO II.

VASA FICTILIA DRAMATOGRAPTA E SEPULCRIS ITALIAE MAXIME ERUTA HABENDA SUNT ORIGINALI ET PROPRIA SUA DESTINATIONE FUNEBRIA, ET DIIS MANIBUS ET LARIBUS CABIRICIS SACRA, IN SPEM ET QUIETEM DEFUNCTORUM MIRA INGENII SOLLERTIA CONDITA.

I. *Primo quia in plurimis Vasis Dramatograptis expictae sunt Columellae funebres, et saepe ad eas adposita Vasa ipsa haec cyrioschematice expicta:*

Ut constat ex Thesauris horum *Vasorum*, quos hactenus ediderunt Hamiltonus, Tischbeinius, Passerius, Millinius, Millingenius, Labordius, Inghiramius, aliique plures; Notumque pueris veterum Pelasgorum morem et institutum fuisse latissime per Asiam, Graeciam, et Italiam receptum, ut locus, quo Hominis corpus conditum et compositum fuerat, *Columellâ* erectâ, Cippo posito, vel Stelâ distingueretur et notaretur. Quarum *Columellarum* magnus numerus ex parte indicatus a Gorio et Passerio in *Museo Etrusco*, et ex parte etiam a nobis in *Tentam. Herm. Etrusco* usque modo in Italia servatur. Adeo ut symbolum *Stelae* et *Columellae* erectae funeris et mortis aequum et necessarium Symbolum esse debuerit Graecis et Italis, Pelasgis maxime et Cabiristis. Quin in Dramatibus Vasorum in quibus *Columellae* et Stelae sunt expictae, alia plura sunt adposita et adiecta, quae usum earum funebrem magis semper magisque demonstrent. Quod tamen propius ad rem nostram facit illud est frequenter ad Gradus et Podios harum *Columnarum* funebrium *Vasa* funebria, eaque etiam *picta* et ipsissima forma et simillima Dramatograptis esse adposita et imposita, vel expictos etiam ministros et ancillas, quae *Vasa* huiusmodi offerenda et deponenda veniant ad Monumentum Defuncti, et ea in magno et plane insigni numero et varietate. Ex quo solemni instituto et stato more iure destinationem originalem funebrem

et mortuariam *Vasorum Pictorum* colligimus et tenemus.

II. *Secundo quia Vas Dramatographum potuit et debuit esse in Pantheo Cabirico et symbolum et Amuletum plane opportunum pii Defuncti.*

Totum Hominem, Corpus Hominis, Animam Hominis *Vase* symbolice Veteres latissime et pertinaciter expressisse ex Scriptura Aegyptiorum Hieroglyphica, et ex ingenti numero veterum testimoniorum, et alii plures, et nos ipsi animadvertimus ad *Tabul. Rosettanam* pag. 23. Quin adnotavimus in *Pantheo Etrusco* p. 53. 54. ipsos Deos Cabiricos *Gemellos* et Necrophylaces per *Vasa* fuisse expressos. Et quoniam Dogma erat veteribus inconcussum et firmissimum: ibi vim et Potestatem Deorum necessario explicari et prodi, ubi sunt eorum Symbola, signa, Nomina: ideo si certi sumus in *Vasis Pictis* esse aliqua Deorum symbola et signa, tenere certo possumus et propugnare Veteres fuisse persuasos, quod per *Vasa* huiusmodi benefica Deorum potestas emanaretur et derivaret in se abundanter: adeoque si *Vase* et Hominis Anima et *Dioscurus Necrophylax* symbolice expressus, potuit et debuit *Vas* consecratum fieri Cabiristae amuletum et pignus Tutelae et protectionis Dei magni et Necrophylacis Cabirici.

III. *Tertio quia Juvenes palliati, qui frequentissime in Vasis pictis conspiciuntur habendi sunt vel ipsi Dioscuri Necrophylaces, vel Lares humani Necrophili.*

Nam eis est: 1. *Aetas iuvenilis et florens*: ut est perpetuo *Dioscuris* Etruscis Graecis et Romanis: ut est Apollini, Baccho, Mercurio, qui ipsi sunt Trigemini *Dioscuri Panthei Cabirici*. 2. *Numerus Binarius* vel *Ternarius*, qui frequentissimus: rari enim adsunt quatuor: Ex quibus duo habendi *Penates*, duo *Lares* divini; vel Duo *Lares divini*, et duo *Humani*. 3. *Coronae Myrteae*; scilicet Juvenes huiusmodi saepe sunt coronati, et qui coronas describunt *Myrteas* faciunt, ut ut obscure depictas: *Myrtus* autem Defunctis sacra, et

Baccho Infero, et *Veneri Libitinae*, quod iam adnotatum a pluribus. 4. *Pallium ingens*, quo toti obvolvuntur: tum quia *umbrae* Defunctorum per linteorum et *Palliorum* involutionem indicatae constanter, tum quia *Pallium* שלם SLM est lexeoschema שלום SLUM *quietis* et requiescentiae funebris: quia *Pallium* חלצ CLTZ est symbolum חלצ CLTZ *liberationis* e doloribus et poenis humanae vitae, quod iam adnotatum supra pag. 157. 158. 5. *Baculum ex vite*, *factum ex vite:* Nam *Baculum scipio* est מטה MTHE, שבט SBTH, שען SCON, et est adeo symbolum *Defuncti* מות MUT, qui שבת SBT *quiescit*, in שאן SAN *pace*: Tum *Baculum* ex *vite* שען-מן-גפן SON, MN, GFN est symbolum *quietis* et tranquillitatis ex *corpore* מן-גוף MN GUF, quia Psyche egressa e corpore est. 6. *Specula quadrata muris suspensa* sunt egregia symbola *Animarum* et *Larium*, ut superius est animadversum p. 23. 24. 25. 7. *Disci Crucigeri Muris adpositi*: Etenim per signum *Crucis*, per χ *Chi* Graecorum, per X Latinorum expressos *Dioscuros* et *Gemellos Cabiros* ex innumeris Monumentis constat Etruscis, Graecis, Latinis: *Circulum* porro *Cruciferum* fuisse Veteribus profundum et Mysticum Hieroglyphicum Deorum Encosmiorum Plato in Timaeo p. 711. et ex Porphyrio docuit Proclus in *Tim. Plat.* pag. 216. Et adeo per Discos sive *Circulos Cruciferos* significari sive ipsos *Dioscuros Cabiricos*, per quos Anima Mundana et Encosmica facta est, sive *Lares humanos* iam Animae Mundanae coniunctos et adpositos dubitari non potest. Vid. p. 18. et Jablonski *Panth. Aegypt.* III. p. 148. 149. 8. *Strigiles* quandoque symbolicae et allegoricae ad indicandum statum *puritatis* et munditiei, in qua *Manes* pii et *Lares* esse putabantur. Quin *Strigilis* est זקף ZQF, et זקף ZQF est *elevatio*, *sublimitas*, incrementum; quia morte Homines maiores et potentiores fieri omnis vetustas pertinacissime credidit: *strigilis* שרק SRQ et שרק SRQ est *lux*, *splendor*, *lumen*: Quia *Lares lucidi*, et pii *Manes* splendore illustres: *strigilis* מחז MCZ, et מחז MCZ *termi-*

nus, *meta*, *portus*, in quo quis tutus et securus quiescit. 9. *Columellae funebres* quandoque additae ut symbolum proprium et characteristicum Defunctorum et *Larum*. 10. *Forma* autem et figura Personis atque obiectis rudis, obscura, tenuis, et quasi incerta atque adumbrata, ut claro et evidenti argumento *Silentum* status, et *Silentum Umbrae*, et *Manes* umbratiles indicarentur et significarentur. Quamobrem opinio eorum qui in his *Juvenibus palliatis* nescio quos Agonothetas et Gymnasiarchas Graecos vident non modo funditus falsa, sed intrinsece absurda dicenda est, singulis ex his decem criteriis adversis et oppositis. Quin civilia Graecorum *Pallia* numquam ita ampla fuerunt, ut sunt in *Vasis*, numquam Graeci Palliati ita profunde involuti mutuo conversarunt, et numquam dextero brachio constantissime nudo et exserto : qui contra fuit habitus *Larium*, ut nos iam animadvertimus pag. 157. 158.

IV. *Quarto quia Aediculae expictae in plurimis vasis huiusmodi habendae sunt argumenta et symbola Larificationis, sive perfectae sive imperfectae ipsius Defuncti.*

1. Primo, quia a *Pelasgis* praecipue *Cabiristis Lares* et Dii *Manes* per *Aedicularum* symbola culti. Nam sollers Fundator *Panthei Cabirici* uno loco et septo clausit aedem Dei, et domum familiae, Templum, et Sepulcrum: unaque Deos et Homines habitare praecepit. Dii ad Focum et in Foco: et Manes boni, qui Domum suam invisebant ad Focum, et in Foco adesse debebant. Hinc Latinis omnibus *Domus* et *Lares* unum ; et hinc factum, ut in Speculis funebribus Etruscorum pertinacissime *Aedes*, eaeque columnatae, symbolum *Larium* proprium et necessarium conspiciantur. Quamobrem *Aediculae* expictae in *Vasis* habendae sunt ut symbola propria et stata *Larium* et *Manium*.

2. *Secundo, quia in Monumentis funebribus Graecorum saepissime conspiciuntur Aediculae illis plane similes, quae in Vasis expictae sunt.*

Ut quisque potest per se nosse consideratis et examinatis Monumentis huiusmodi, quae ediderunt Maffeius in *Mus. Veronensi*, Paciaudius in *Monum. Peloponn.* Biagius in *Monum. Nanian.* Caylus in *Recueil.* etc. Et quoniam Defuncti in his Monumentis appellantur χρηστοι, Χρησιμοι, Ηρωες, scilicet *Dii Manes* et *Lares*, ideo certum est *Aediculas* illas symbola *Larificationis* et cuiuscumque apotheoseos eorum esse.

3. *Tertio quia valde frequenter si in una Vasis facie expicta Aedicula est, in altera est Columella, vel ingens potius Columna funebris*: Ut videre est apud Vasorum editores Montfauconum, Passerium, Millingenium, Labordium, Inghiramium etc. etsi hi frequenter unam tantum Vasis faciem exhibuerint. Atqui si intimus et necessarius nexus debet intercedere inter utramque faciem Vasis, necessario *Columella* ad *Aediculam*, et *Aedicula* ad *Columellam* debet referri: Adeoque si *Columella* est symbolum mortis et sepulturae, *Aedicula* est symbolum *Larificationis*, et cuiuscumque novae habitationis et domicilii. Et curiosum est animadvertere in pluribus *Vasis* sollertes Pictores Columnas funebres effinxisse ita sese dilatantes et amplificantes, ut iam in *Aediculas Lararias* transirent.

4. *Quarto, quia plura symbola Aediculis Vasorum pictorum adiecta, illa ipsa sunt, quibus a Veteribus Lares* et *Manes colebantur*: Scilicet *Flores*, *Rami* florentes, virides, *Coronae*, corollae, *Lances* fructibus plenae, *Ova*, *Liba*, Placentae, *Globi*, Pilae, *Bullae*, *Taeniae*, *Vittae*, *Fasciae*, *Infulae*, etc.; ut quisque potest nosse ex Thomasino, Rosino, Dempstero, Pitisco, Passerio, Zannonio, aliisque.

5. *Quinto quia alia Symbola Aediculis vasorum adposita, et quorum Scriptores non meminerunt, opportune etiam Laribus et Manibus conveniunt*: Ut 1. *Specula*: Symbola egregia animarum, et adeo Larium, ut iam superius adnotavimus. 2. *Ventilabra*: Tum ideographice, quia symbola *Venti*, *Spiritus*, רוח RUC: tum Lexeoschematice, quia sunt מ-רוח M-RUC: 3. *Tympa-*

na: tum Ideographice, quia etiam *Sonos*, et strepitus, quasi symbola *Larium*, *Larvarum*, *Lemurum* Veteres habebant: Putabant enim *Sono* strepitu rumore suas *Epiphanias* a *Laribus* prodi; Tum Lexeographice, quia *Tympanum* dicitur דוך DUK, et טוף THUF, quae etiam *mortuum* atque *extinctum* significant, leviter homiophoniâ variatâ. 4. *Cribri Vanni*; tum quia *Cribri* et *Vanni* Veteribus Cabiristis profundum symbolum erant purgationis et expiationis per *aerem* et *ventum*, quam peragebant *Manes* et *Lares* facti iam aërei, et נפשים NPSIM: de qua expiatione et symbolo Servius agit ad *Aen.* VI. v. 741. et ad Georg. Libr. I. v. 166. et Libr. II. v. 390. Tum quia *Vannus* et *Cribrum* dicuntur סוף SUF, et כביר KBIR: quae etiam significant *mors Cabirica*, *mortuus Cabirice*. 5. *Folia Vitis*, *Pampini:* Nam *Pampinus* est ורק-מן-גפן URQ-MN-GFN *folium ex vite*, et *Lar* est רוח-מן-גף RUC-MN-GF *spiritus ex corpore humano* egressus. 6. *Arculae clausae*. Nam sunt symbola aequissima *arcularum* sepulcralium, et sepulturae iustae, qua conditi Defuncti, et sine qua ne fieri quidem *Manes* et *Lares* poterant: sed in *Larvarum* numero errare et vagari cogebantur. Adeo ut symbolum *Arculae* funebris, et ארון ARUN erat ad *Larificationem* plane necessarium. Neque adeo praetereundum in Monumentis Graecorum funebribus, quae paulo supra indicavimus, et Gallorum Narbonensium et Occitanorum, qui ex Genere Osco sunt, frequenter in manibus Defunctorum exsculptorum esse *Arculas*, quae necessario ad animarum quietem et pacem indicandam fuerunt exsculpendae. 7. *Circuli* et *Annuli* varii generis: Tum scilicet puri et similares, tum Globulis et systematice discreti, tum Elicoeidi et spirales: ut scilicet indicarentur varii Temporum Cycli, et Periodi Chronicae, et quasi varia *Animarum* et *Larium* Fata, tum ob sua varia merita, tum ob systemata Theologorum Chronica. 8. *Rotae* et *Globi suspensi* parietibus adfixi: ut praeclara symbola *Larium* et *Manium*, qui deposito *corpore*; et quasi adfixo et defixo nempe *Rota* et *Globo*,

quo in hoc Mundo incessanter rotabantur et volvebantur; ipsi vel quiescunt in Elysio, vel liberi *Lares* mundo fruuntur. Notatuque dignum est *Globum* systematicum et suspendibilem, quo utuntur Hierographi Vasorum in Dramatibus suis non esse tantum similem Globo Hieroglyphico Aegyptiorum, sed fere identicum, et ipsum quem nos descripsimus et explicavimus ad *Tabul. Rosettanam* 1830. pag. 18. 80.

V. *Quinto, quia plurima Dramata Bacchica Vasis adpicta habenda sunt symbola quietis Animarum Elysiae cum Baccho Cabirico Elysio.*

1. Nam *Bacchus Cabiricus Vasorum Pictorum* omnino *Chthonius* atque *Elysius* est, omnino *Necrocrator*: Ut *Bacchus* Etruscorum, ut *Adonis* Phoenicum, ut *Osiris* Aegyptius, quemadmodum superius adnotabamus p.27. 176. Scilicet Deus cum quo Defunctorum Animae tranquille et quiete degerent, et leniter aevum ducerent. Utque nulla Papyrus Hierographica et funebris Aegyptiis est sine Stemmate *Osiridis Chthonii*, ita nullum fere *Vas Cabiricum* absque Stemmate *Bacchi Elysii*.

2. *Dramata Bacchica Vasis Pictis expressa non sunt Scenae Ectypicae Bacchanalium, quae per Urbes Graeciae atque Italiae celebrarentur.*

Nam consideratis Scenis *Bacchicis*, quae potissimum servant Tragici Graeci minime congruere scenis *Vasorum* cognovi: nec Maenadas vere furentes, nec serpentes, nec larvas, nec personas, nec homofagias, nec laceationes corporum violentas, nec horrendos ululatus, nec convulsiones Baccharum in plerisque Dramatibus Bacchicis *Vasorum* potui deprehendere. Adeo ut necessario tenendum sit scenas *Vasorum Bacchicas* longe alias esse a scenis Bacchanalium Urbanorum. Quin in Italiae nostrae urbibus Bacchationes solemnes publicas turmatim et catervatim factas et celebratas numquam me legisse memini: Nec ceremoniae Bacchicae Italorum nisi arcanae, in profundis locis et secreto peractae: et tam dubio procul a Scenis *Vasorum*

remotae, ut quamcumque comparationem instituere ineptire prorsus esset.

3. *Dramata Vasorum Bacchica saepius haberi debent Dramata Poëtica et Symbolica Elysii Bacchici.*

Nam si socialia et urbana esse non possunt, si nemo umquam ne finxit quidem Faunos et Satyros in Coelo et Olympo, non restant nisi Tartara, et quidem *Elysii*, quibus haec ampla Cohors Bacchica eaque vetustissima, ut indicat ipsemet severus Strabo Libr. X. pag. 468. possit recipi et collocari, et prorsus congruenter et opportune dato Imperio *Bacchi* in *Manes* et Animas omnes defunctorum, ut habere putabatur *Osiris*, cum quo omnes Aegyptii morientes esse volebant.

4. *Dramata Bacchica Vasis pictis expressa tanto sunt numero et ita frequenter recurrunt, ut plane certo et explorato sint argumento Vasa huiusmodi fuisse sua originali et propria institutione funebria.*

Nam si scenae *Bacchicae* in *Vasis* expictae esse nequeunt nisi symbola conversationis et receptionis piarum Animarum in *Elysio Bacchi Cabirici*: et si hae scenae sunt tanto numero, ut ex centum *Vasis* insint saltem nonaginta, et si non potuerunt expingi nisi certo consilio, et proposito, utique tenendum est *Vasa Dramatograpta* ad quietem Elysiam Animarum vel obtinendam vel indicandam fuisse datâ operâ condita et picta. Et quoniam hic Typus et Symbolum minime excludebat et repellebat alia Dramata sive propria et Psychologica, sive Mythica, quae *Vasis Pictis* funebribus adderentur, hinc factum, ut illa symbola Bacchica inveniantur etiam aliis Dramatibus addita et apposita.

VI. *Sexto quia Dramata Bacchica Vasis adpicta, sunt saepius Dramata Bacchi Acrati Bacchi redituri in magna et finàli Palingenesia Mundi.*

1. *Et primum Dramata Bacchi Nebrophili*: Ut apud Passerium T. I. Tab. 16. etc. Hamiltonum T. IV. Tab. 27. etc. Scilicet quum *Bacchus* Cabiricus et *Vasorum* est

Nebride tectus et ornatus, vel *Hinnulo* צבי TZBI comitatur. Nam *Nebris*, vel *Hinnulus* Lexeoschema est et symbolum *Juventutis* et adolescentiae redeuntis צבי TZBI. Veteres autem tenebant venturum et rediturum *Bacchum* in fine Mundi ad illum צבי TZBI renovandum et *Juvenem* reficiendum, et ad omnes *Manes* et *Lares* restituendos in lucem et vitam: Unde spes acerrima et firmissima *Cabiristarum* morientium; et vera origo Scevasticae huius superstitionis amplissimae. De qua persuasione veterum Gentium qui plura opportunissime adnotata vult nosse legat praeter ceteros *l' antiquitè expliqu. par les usages* Nicol. Boulangerii. Ita in Ectypo Passerii citato Mulier Columellae funebri innixa est ipsa *Venus Epitymbia* et Necrophylax; Juvenis medius sedens *Bacchus* Rex futurus; Faunus cum pedo et *Hinnulo* sunt Symbola renovationis futurae, renascentiae et novi ortus; Mulier sedens cum ventilabro symbolum Psycharum, quae sunt renasciturae, Genii Genesiurgi symbola Daemonum Somatoplasticorum in futura Palingenesia. Nam praeter Sanctos Prophetas Hebraeos paucissimi alii veram Resurrectionem futuram crediderunt: Sed plerique per Generationes et Nativitates iterum novum Mundum refici et instaurari putarunt. Sed haec Dramata Palingenesiaca ad mentem nostram explicata satius post tertiam Sectionem intelliguntur.

2. *Secundo Dramata Currus alati, quibus Juvenis eo vectus habendus est ipse Bacchus Rex novi Mundi et Telluris renovatae.*

Nam qui tenent pulcherrimum Juvenem coronatum, alato curru vectum, quem pedes sequuntur plures et maximae Deae, et qui frequenter in *Vasis pictis* conspicitur apud Hamiltonum et Tischbeinum Tom. IV. Tav. 8. 9. etc. Inghiramium in *Vasi Fittili* I. Tav. 7. 8. 11. 15. 25. 35. 36. etc. in *Mus. Pourtales*. Tab. 16. 17. p. 83. 84. esse Triptolemum filium Celei Civis Attici hi certe ignorant quid sint veterum Mysteria, et quid vetus Hierographia: Nam qui ducitur alato

curru Cerere, et Hecate, et Proserpina quasi administris et famulis non potest esse nisi Deus plane magnus, nisi unus *Bacchus* Cereris filius, et Sponsus Proserpinae, et nisi in die ipsarum Nuptiarum, in die instaurationis Mundi, et Regni sui novi, vetere Mundo everso et reiecto. Nec obstat legi clare TRIPTOLEMUM circa Juvenem alato curru vectum. Nam Mysteria haec sunt; in quibus verus et genuinus *Triptolemus* non Civis ille Atticus, sed ipse *Bacchus*, ipse *Osiris*, ipse *Puer unci monstrator Aratri*: quem obscure Virgilius I. Georg. v. 19. aperte Tibullus I. Eleg. 8. v. 31. Osirin dixit.

3. *Tertio Dramata Bacchi Genesiurgi, et Proserpinae Palingenesiacae.* Nam etsi *Bacchus* sit Deus *Seminifer* et *Spermatopegaeus*, ut *Osiris*, et sine quo impossibilis quaecumque Generatio, quum tamen Generatio ipsa peragi et absolvi putetur a fratre *Apolline*, vel *Venere* Genitali; Nam non per unum semen, sed per vim et potentiam explicantem et vivificantem Generatio peragitur et perficitur: Ipse non potest absolute in hac oeconomia appellari et exhiberi *Genesiurgus*: At in Mundo futuro, quo ipse *Bacchus* erit Rex maximus, dicetur etiam *Genesiarcha*, et ideo cum symbolis *Genesiurgicis*, quae Sectione III. exponentur, in plurimis *Vasis* exhibetur, socia sponsa et sorore *Proserpina*, quae *Psyche* est, quae humana est Anima, ad novum Genus Hominum efformandum destinata: unde ea cum *Pectine textorio* symbolico expingitur vid. Creuzer et Guigniaut *Des Religions* III. I. pag. 306. 364. Tab. 145. non quod sit Venus, ut falso plures affirmarunt, non quod sit praefecta ad texenda humana corpora, quod Veneris est et Naturarum Plasticarum: Sed ut significetur se in Palingenesia magna opus habere alia Textura Corporum, alio Pectine, alia Generatione ad novam vitam peragendam.

VII. *Septimo, quia Dramata Minervae pugnacis, quae sunt in Vasis Pictis expressa ad futuram Mundi Apocatastasin sunt omnino referenda.*

Nam duae Columnae, quibus duo Galli impositi sunt, sunt symbola Orientis et Occidentis, imo Orientis et Occidentis Mundi: Quum *tenebrae* et שחר SCR, sive *Aurora*, et quasi *Galli* cantus in Cosmogonia, et Crepuscula Deorum sive Gallorum quies dicuntur a Scandinavis finis Mundi. Minerva autem quae media semper inter duas Columnas exhibetur et semper pugnax, et quasi unum ex Gallis transfixura non potest exprimere nisi opera et potestate sua veterem et malum Mundum reiici et amoliri, et novum rerum ordinem revocari. Unde rectissime adscriptum Vasis: τῶν Αθηνεθεν αθλων ειμι. Vide *Monum. Ined. Inst. Arch. Roman.* I. Tab. XXI. XXII. et *Annali* II. 1830. pag. 209-224. Qui autem in his Vasculis *Panathenaica* Αθλα vel quaerunt vel agnoscunt universam Archaeologiam confundunt et perdunt.

VIII. *Octavo, quia stata et receptissima Vasorum Dramatographorum formula* Καλος ο παις καλος, *habenda est solemnis et stata inclamatio funebris Panthei Cabirici.*

Nam quae de hac formula cogitarunt, et scripserunt hactenus Mazochius, Passerius, Arditius, Lanzius, Ciampius, Gerhardus, Panofka, Rochettus, etc. vel turpia sunt et obscoena, vel levia et inepta. Quamobrem nos Hierographos veteres, et Patres nostros a calumnia liberantes eos contra et doctos et pios hoc Lemmate fuisse profitemur. Nam nec *pulcritudine* quidquam praestantius et nobilius, nec potes certe maius bonum amico vel filio optare, quam ut sit et fiat aeternum pulcher et Juvenis: Et si certum est Mysteria *Cabirica* fuisse etiam *Quebirica*, sive sepulcralia, vide pag. 3. 4. et si certum est fuisse a *Cabiristis* Deum *Ideogonum* infinita *Pulchritudine* praeditum, et *Seminiferum*, et Spermatogonum, et Formarum divinarum Promum peculiari modo cultum: Si ex Mysteriis, dubio procul *Cabiricis*, Philosophi Neoplatonici Plotinus, Porphyrius, Proclus de *Pulchritudine* plura et profundissime sunt loquuti: Si

aeque certum factas mortuis solemnes et statas inclamationes, ut pluribus animadvertimus etiam in *Tentam. Herm. Etrusco* p.63-64. 119-126 : Et adeo intrinsece probabile in Mysteriis funebribus *Cabiricis Inclamationem* solemnem factam omnino per haec verba : Καλος ο παις καλος. Quin si notum pueris saepissime Graecis καλος esse αγαθος, imo et χρηστος, et *Manes* solemni et stata voce χρηστοι Graecis, quid facilius quam Cabiristae adhibuissent eodem sensu vocem Καλος? Quum porro haec ipsa verba incredibili scripturae varietate adnotentur in *Vasis* : et ex alia parte certum sit Idioma proprium Mysteriorum non fuisse Hellenicum, sed certe Semiticum, et simile Agyllensi et Caeretano, cuius specimen dedimus *Praef. ad Tentam. Herm. Etruscum* pag. XIX. XX. et indicavimus etiam hic p. 12. 13.: Quum legantur saepe haec verba: ΗΟΡΑΙΣ ΚΑΛΟΣ ΝΑΙΚΙ: valde probabile mihi est: ΗΟΡΑΙΣ fieri a חפצ CPTZ CPS *benevolus, bonus, amicus* ; חפש CPS *liberatus redemtus* ; ΚΑΛΟΣ חלצ CLTZ *ereptus solutus salvatus*, חלס CLS *perfectus absolutus* ; ΝΑΙΚΙ נוח NUC *quiescat requiescat.* Quam linguam, et quem Crypticismum aliae plures ex innumeris Inscriptionibus Barbarophonis *Vasorum* clare et facile produnt: sed limites Opusculi nostri diutius in his immorari haud patiuntur.

IX. *Nono, quia Dramata Mythica Vasis adpicta congruunt et conveniunt Vasis funebribus.*

Nam quum Dogma esset omnium Veterum mentibus infixum potestatem curam et efficaciam Deorum semper et necessario adesse, explicari, exserere se ubicumque eorum figurae, formae, signa, symbola essent posita : Hinc fieri aeque necessario debebat ut Deus ille, cuius symbolum et figura in *Vase* describebatur haberetur Tutela, Protector, Curator Personae, cui ipsum *Vas* spectabat, et a quo necessario iuvaretur, et opportuno auxilio recrearetur: Quin praetereundum non est saepius a Hierographis illa mythica Dramata fuisse selecta, quae ad Anthropogoniam et Empsy-

chosin , ad Psychoplanesiam et ad Psychosophiam utcumque spectarent : ut Raptus Thetidis, Bellerophontis de Chimaera victoria, Thesei de Minotauro, Dramata Iliaca, vel Thebana omnia Psychologica, et ad Animarum spem meliorem adsumendam et nutriendam opportuna, etc.

X. *Decimo , quia Vasa Dramatograpta tantum et unice in funebri et mortuali conditione possunt Italis , in quorum sepulcris inventa sunt , congruere et convenire.*

Nam Mores, instituta, vestes, ornamenta omnia, Inscriptiones *Vasorum Dramatograptorum*, ut iam innuimus p. 191. 192. longe alia sunt a moribus, institutis, vestibus, ornatibus, et vocabulis Italorum veris et socialibus : At si Vasa religiosa et funebria sunt, si alterius Regionis , et diversi Mundi res exhibent, si Scenas et Dramata Elysia, Poetica, Mythica repraesentant opportuna sunt , aequa sunt , et possunt ab Italo, ab Osco, ab Etrusco recipi et probari, eo etiam ex capite, quia homodoxi sunt Vasorum auctores, quia eiusdem sunt Panthei et Religionis, nempe *Cabiricae;* ut ut sint heteroglossi et heterodiaeti, symbola tamen Religiosa eadem sunt, et ea tradunt sibi mutuo: adeoque si *Vasa Dramatograpta* funebria sunt, et ad *Cabiricam Larificationem* et *Palingenesiam* referuntur, ut ut condita a Hierographis Graecis, ut ut Mythicis Graecorum Dramatibus ornata, possunt iure et recte inveniri in Sepulcris Vulcientum , Latinorum , Campanorum, Appulorum, Lucanorum, et Siculorum: Ut etiam modo Icones, signa, formae, et figurae spectantes ad Catholicam Religionem, ut Romanis atque Italis, eodem modo Germanis , Slavis , imo Syris , Arabibus, Indis, Sinensibus traduntur, et eodem modo ab iis, qui Homodoxi sunt et recipiuntur et servantur et coluntur.

SECTIO III.

PLURIMA DRAMATA VASORUM PICTORUM, ET QUAE DICI POSSINT PROPRIA ET CHARACTERISTICA, NON GRAECORUM MYTHOS, SED CABIRICUM DOGMA PSYCHOLOGICUM ET PALINGENESIAM INTERMEDIAM EXPRIMERE ATQUE EXHIBERE TENENDUM EST.

I. *Quae dicenda sit huiusmodi Palingenesia intermedia.*

Dogma resurrectionis humanae in huius Mundi fine, et restitutio eorumdem Hominum in novo Mundo futuro, quod Deus Opt. Max. sanctis Patriarchis et Noachidis tradidit non potuit diutissime et semper purum ab omnibus servari, sed pro humani ingenii licentia variissimo modo depravari et corrumpi. Unde de Psychoplanesia et Metempsychosi innumera somnia condita ab Aegyptiis, Indis, Syris, Palaestinis, Graecis, et quae ab Irhovio, Windeto, Brukero, Moshemio, aliisque pluribus indicata referri hic singillatim haud praestat. Unius vero opinionis et sententiae *Palingenesiacae* mentionem facere necesse est: Nam eam putamus latissime obtinuisse apud *Hierographos Cabiristas* a sexto saltem saeculo Prochristiano ad tertium vel secundum: Scilicet Defunctorum Animas non omnes manere adfixas in Elysio et Tartaro, vel etiam volitare ut *Lares* usque ad consummationem et finem Mundi, sed plures ex eis ipsa hac Tellure, et ipso hoc Mundo manente et durante iterum nasci post aliquot aetatum spatium humano more: et Psychas mortuorum Hominum in uterum iterum regredi, et iterum gigni et vivere ut Homines; quod tenuisse Aegyptios per *Phoenicis* symbola, Platonem ex *Reip. Lib.* X. p. 671. 672. Virgilium ex *Aeneidos* VI. v. 748. 749. aliosque plures est exploratum: Quin doctiores Cabalistae Hebraeorum statuerunt singulos fere Homines ad tres vices distinctas usque ad Mundi finem *renasci*: ut praeter alios adnotavit in praeclaro libello Windetus de *Vita funct. stat.* p. 81. 82.

83. quam Judaicam opinionem et dubio procul *Cabiricam* ipsa aurea aetate *Vasorum Dramatographorum* profitebatur in Graecia vir maximi ingenii Pindarus Thebanus in *Olymp.* II. Quamobrem si ex morituris *Cabiristis* plures comparabant sibi *Vasa* funebria *picta* ut tutelâ et patrocinio Dioscurorum et Magnorum *Gemellorum*, et Trigeminorum *Palliatorum* securi et tranquilli quiescerent in Elysio p. 195-197. 2. Si alii *Vasis* suis *funebribus* addebant stemmata et symbola *Bacchi Acrati*, ut in eius futuro Regno sedes et locus dignior sibi et honoratior fieret p. 202-204. 3. Si aliis spes erat ut colerentur et haberentur ut *Lares* in propria domo p. 198-200. 4. Aliis longe pluribus, mea sententia, fuit desiderium illud Achillis Homerici, etsi Semidei, iterum renascendi, iterum vivendi super hac Tellure; et hac potissimum Italiâ nostrâ: Adeoque necesse fuit ut praestantissima Hierographorum Cabiricorum ingenia in paranda et exprimenda hac spe, in abstrusissimo hoc argumento omnem animi vim intenderent atque explicarent. Et quoniam Symbola huius *Palingenesiae*, sive *Renascentiae mediae* non possunt plerumque sumi nisi e Mundo Muliebri et Erotico, nisi ex Symbolis Nuptialibus et Genitalibus, quae potissimum selegerint et constituerint Hierographi breviter videamus.

II. *Recensentur symbola et schemata praecipua in Vasis pictis adhibita ad significandam Palingenesiam et renascentiam Hominum.*

1. *Genii arsenotheles et genesiurgi*: Nempe primum Elementum horum Dramatum inventum a solertissimis Hierographis fuit figura *Genii Genesiurgi*, sive Juvenis *Androgyni*, qui haberetur index et symbolum Operis *Palingenesiaci*, ut videre est apud Inghiramium Tom. V. *Monum. Etrusc.* Tab. 19. 20. 22. 23. etc. aliosque plures: unâ mas et foemina, alatus, quia *Homo* adhuc incorporeus et nudus *Psyche*: Pluribus est *Armillis* vinctus et pressus, quia multi generis sunt vincula, et quasi Armillae, quibus *Animae* a Corpori-

bus vinciuntur et coercentur, et quasi carcere, ut dicebant Veteres, concluduntur: Additi *torques pectorales* transversi, additae *armillae globulosae* ad *femora*: Quibus *Armillis* nempe חשק CSQ, צעד TZOD, דור DUR, tum ideographice *vincula* et *ligamina*, tum lexeographice *amor*, *desiderium*, *concupiscentia*, *generatio*, *motus*, et progressus significantur. Et *Armillae femorales* sunt symbola manifesta *Generationis humanae*, quia sunt חשק-דור-אל-ירך: CSK-DUR-AL-IRK, sunt *desiderium*, *complecti generationem ad femur*. 4. *Taeniae*, *vittae*, *fasciae*, symbola vinculorum corporeorum, quae generatione parantur. 5. Ut *Arculae* et *Capsulae* symbola ipsorum *Corporum*, quae generatione sunt adsumenda. 6. *Umbellae* porro et *Sciateria* symbola *Animarum*, et quidem non purarum, sed earum, quae iam ob corporum et generationis concupiscentiam factae sunt aliquantum *umbrosae*, ita ut iaciant et faciant *umbram*, quod Magis Persarum, et veteribus Sapientibus Psycharum non purarum criterium. Nam purae *Animae* nullam *umbram* iaciunt, nec eam ferre possunt, quod non semel animadvertit Plutarchus *de his qui sero a Num. pun.* p. 565. et de *Iside* et *Osir.* pag. 370. 6. *Pilae* vero et *Globi uncinati* et *adpendibiles* sunt prorsus praeclara symbola *vitae humanae*, quae per certum temporis spatium suspenditur, et quasi adpenditur, ut iterum per *Palingenesiam* resumatur, et iterum *sphaera* ponatur in cursu et rotatione, et propterea symbolum plane characteristicum *Renascentiae* et *Palingenesiae intermediae*. Hi autem *Genii Arsenotheles* sunt magno numero, et variae formae et figurae: nec semper iisdem symbolis instructi pro vario Hierographorum ingenio; et pro varia sua destinatione. Quin saepe Fauni in *Collect. Hamiltoni* et *Tischbeini*, ut *Genesiurgi Genii* sunt expressi: Imo ipse *Bacchus Elysius* expressus, ut *Genesiurgus*, additaeque femoribus *armillae globulosae*, additus quandoque *lepus*, et alia symbola addita aperte *Genesiurga*: Non quod ipsi *Baccho* peculiaris cura sit *Palingene-*

siae intermediae, sed ut indicarent finalem et *Bacchicam Palingenesiam*, et aliam ab *intermedia*, ut iam innuimus p. 203. 204.

2. *Crater pedatus:* Alterum insigne Elementum Hierographiae *Genesiurgicae*: Nempe *Crater pegaeus*, qui saepe in *Vasis Pictis* conspicitur apud Passerium in *Pictur. Vascul.* Tom. I. Tab. 30. 34. 37. 39. etc. Inghiramium in *Vasi Fittili* T. I. Tab. 13. p. 31. 32. aliosque; eoque significatur *Crater* ille symbolicus, ad quem finguntur accedere *Psychae Geneseoerastae*, vel utcunque ad generationem venientes, ut veterum Rerum oblivia potent, vel inebrientur desiderio Rerum corporearum. De quo *Cratere*, vel de simili prolixi sunt Platonici et Neoplatonici, ex quibus potissimum plura iam collegerunt Creuzerus et Guigniaut in *Relig. de l'Antiquité* III. I. p. 279-282. Creuzerus in *Dionyso*, et Lobekius in *Aglaophamo*, nosque nonnulla supra adnotavimus p. 53.54.79.80. *Crateri* autem *Cabirico Vasorum* semper adsunt et praestant sive *Genii Arsenotheles* et *Genesiurgi*, sive Mulieres frequenter nudae, quasi comentes se, pectentes se, lavantes se; sive *Psycharum* symbola, sive Nympharum Genesiurgicarum, et quasi *Somatoplasticarum*: Adsunt Puellae cum Speculis, vel quae tractare adfectant: Nec desunt *Anseres* et Cycni symbola receptissima *generationis* et nativitatis humanae, ut etiam animadvertimus in *Pantheo Etrusco* p. 131. ut adsunt etiam Plantae aquaticae, et saepe Elicophyllae, sive *Spiralifoliae* ad ipsam hanc Generationem redeuntem et repetitam significandam adpositae. Et hinc facile et capimus, et explicamus utramque faciem *Vasis* illustris Perusini editi ex parte atque illustrati a Vermigliolio in *le Erogamie di Admeto* 1831: ab Inghiramio *Vasi Fittili* I. Tav. 13. p. 31. 32. in *Annal. Instit. Arch. Rom.* 1832. T. IV. fine Tab. G. In eius enim prima facie, quae conspicitur Mulier plane nuda *Columnae* innixa est *Venus epitymbia*, Venus Libitina, Venus Inferna, tutela Defuncti: prima, ut Isis

Apuleio : *Gemelli* Juvenes pulcri nudi sunt *Gemelli Cabirici*, *Lares divini Necrophylaces* : quorum symbolum characteristicum *caput suis*, quia *sacer Porcus Laribus*. In altera autem facie eadem Mulier nuda *Crateri* pedato innixa , est eadem *Venus Libitina*, sed *Genitalis*, *Palingenesiae* et Renascentiae praefecta , Aquarum foecundarum praeses , quam magis magisque demonstrant *Cistae* et *Arculae* adpositae, in quibus et *Specula* symbola *Animarum* cupientium , et *Serpens* symbolum *novae vitae*, et alia huiusmodi colliguntur: Quin adiectus Satyrus petulans, et Puella in manifestum symbolum *Animae* renascentiam cupientis, et quae *Palingenesiam intermediam* ardenter excupiat, et actu capere velit.

3. *Hesperidum Poma genesiurga*. Saepe in Dramatibus *Vasorum Pictorum* illud occurrit, quo Arbor pomifera, cui Serpens est advolutus pluribus Puellis, ipsoque *Hercule* adstantibus conspicitur, ut apud Inghiramium in *Monum. Etr.* Tom. V. Tav. 16. 17. 18. certumque est esse *Arborem Hesperidum* Horti, Arborem Atlantis Hyperborei. At ea sunt in Dramatibus *Vasorum* , quae cum Traditionibus Mythicis, cum iis, quae colliguntur ab omnibus Poëtis Graecis et Latinis non solum non congruant , sed apertissime pugnent. Lanzius qui prolixe de his Dramatibus egit peculiari opusculo : Mazzarella-Farao, et Inghiramius loc. cit. rem ita obscuram et involutam , ut invenerunt, reliquerunt. Et profecto is est nodus et tanta difficultas, quae absque alio et diverso elemento et Theologico et Mythico non possit solvi : Scilicet duo diversa Hesperidum Poma, duae diversae Arbores, duo diversi Serpentes sunt statuendi: Una Arbor ferens *Poma Ambrosia*, Poma immortalitatis, Poma vere aurea: Et haec Poma sunt quae *Hercules* vi summa, post Cycni praelia, et labore immani, et Serpente necato abstulit ; et quibus Prometheo vires refecit et suas. p. 143. 182. Alia *Arbor* est *Scientiae boni* et *mali* ; *Arbor* ferens *mala mala* ; Arbor Genesiurga, cuius Poma Psychae

appetunt, et quibus comestis fiunt *Proserpinae* Terrestres et Tartaricae, et Fato generationis subiectae. Haec *Arbor* est picta in Dramatibus *Vasorum*. Nymphae adstantes sunt *Genesiurgae*, illae sunt, quae facile et statim volentibus, et ipsi *Herculi Pomum Genitale* tradunt et donant. Et is *Hercules*, qui adstat est *Hercules Palingenesiacus*, qui velit iterum nasci, vel in propria forma, vel in forma sui *Telephi*: vid. p.184.185. Adnotandaque est Hierographi sollertia in *Hercule* Typo Theandrico adponendo, ut nempe si aliae Psychae ad generationem, et ad mala vitae currant, adsit Heros defensor et tutator, adsit aliquis Deus Alexicacus. Haec autem Dramata esse *Genesiurga* et *Palingenesiaca* demonstrant insuper *Genii Arsenotheles*, qui adsunt, *Nymphae*, quae *arculas*, *vittas*, *specula* gestant, *Anseres*, etc. omnia symbola *Genesiurga*, et *Palingenesiaca* certa, et stata.

4. *Taurus Pasiphaes, et Mulier Bucera*. Saepe etiam *Taurus* adpictus in *Vasis*, vel acer et salax, vel actus et agitatus, vel etiam oppressus a Puellis: Vide Passerii *Pict.* ex *Vasc.* I. Tab. 3. ad 8. etc. Aperto argumento esse *Taurum* symbolicum, *Taurum* amatum a *Pasiphae* sive *Psyche*, Taurum Patrem *Minotauri*, ob quem Labyrinthus, ipse Mundus hic, ipse Tartarus hominibus paratus et constitutus: Nam ut adnotavimus in *Tentamin. Osco* p.33-43. hic 32.33. *Taurus* habitus symbolum Genitale et prolificum, foecundans et seminiferum: Adeoque Puellae adstantes *Psychae* sunt ad *Generationem* se se parantes: vel si vis *Veneris Genitalis* administrae *Nymphae Genesiurgae* et *Somatoplastae*. Et ideo etiam magnae *Veneri Cabiricae*, ut Isidi Aegyptiae, et Astartae Phoeniciae data quandoque in his Vasis *cornua bucera*: Ut in praestantissimo Dramate, quod editum a pluribus doctis Viris Viventio, Hirtio, Avellinio in *Opusc.* II. pag. 169. 170. et falso interpretatum, per elementa ista *Palingenesiaca* plene a nobis et clare explicatur. Nam 1. *Ara* magna *cubica* centralis symbolum Terrae est, Ve-

stae, sedis loci et domicilii humani. 2. *Mulier* quae super ea sedet *Bucera* habens Arculam clausam in dextera non Io Inachia, ut autumant plures : Sed est *Venus Genitalis*, ut modo dicebamus, Isis Bucera mater, est praefecta corporibus humanis gignendis, et formandis, quorum symbolum *Arcula*. 3. *Corona* soluta, quam dextra habet est symbolum *vitae* religandae et renovandae. 4. Statua *Dianae* arae imposita cum face non accensa Typus Deae *Psychotamiae* , Melissophylacis, quae datrix habebatur *Psycharum*, ut *Venus* corporum , qua in re omne fere mysterium *Dianae Ephesiae* est maxime positum. Vid. Plutarchum *de facie in ore Lunae* p. 942. 943. 5. *Vir barbatus*, palliatus, coronatus , sceptratus , qui adest Rex magnus Tartari est, ille ipse Demogorgon, vel Aidonaeus, quem Statius, Lucanus, Aristides, aliique alibi a nobis citati p. 28. 29. describunt, a quo omnia pendent , et in quem omnia redeunt. 6. *Hinnulus*, qui ante aram stat est symbolum ipsius *renascentiae*, ipsius *Palingenesiae*, quia est צבי TZBI , et *Baccho redituro* sacer v. pag. 161.202. 203. 7. *Juvenis*, qui pone aram stat *Baculo*, Chlamyde et Diademate ornatus *Hermes* est, *Mercurius* est, Propator est, Typus Generis humani, Typus Hominis, Thot, Taautus Scriba magni *Bacchi* et *Osiridis*, qui Pugillares, vel Codicillos in manu habet, quibus *Psychen* ad novam vitam venientem in Censu Hominum ferat et adnotet ; Pedemque habet impositum Ερμαιῳ λοφῳ , *cumulo Mercuriali* characteristico et proprio: vid. Selden. et Beyer *de Diis Syriae*. 8. *Juvenis* corniger , qui dextra Arulam, sinistra Plantam habet, et surgere videtur cum *Lucifero* et *Phosphoro* ex altis Montibus est *Pan*, seu mavis *Silvanus* Pelasgicus *Cabiricus*, *Inuus* Latinorum, Infantium amantissimus, ut vidimus in *Pantheo Etrusco* p. 114.163. Lar maximus, et familiarum Auctor, et Deus in Aurora Mundi, et in Aurora Hominum apparens, atque epiphanes. 9. *Mulier* severa, modestissime vestita , quae dextra avem auguralem ostentat , habetque proximum Tripo-

dem auguralem et fatidicum *Adrastia* est, *Themis* est, Dea magna fatalis, quae prima Hominem per *fata* sua et decreta format et constituit. 10. Pone *Mercurium* similis Dea quae stat sceptrata, et habet proximum *vas* funebre, vas Defunctis sacrum, est *Venus Epitymbia*, *Venus Libitina*, hominum fini praefecta, ut Hominem natum iterum recipiat, et in Tellure matre recondat. 11. *Genius* tandem supervolitans cum virgula et circulo symbolum Potestatum *genesiurgicarum*, quae *Psychas* idoneas ad *circulum generationis* obeundum pellunt urgentque.

5. *Psychae Geneseoerastae*. In his Dramatibus *Palingenesiacis* ipsarum *Animarum* quasi *Idola*, et formas, et symbola esse invenienda nemo certe dubitaverit. At quaenam, cedo, sunt Idola ista, *Figurae* istae symbolicae *Animarum*? Atqui mihi certum est veteres *Cabiristas* per quatuor Elementa *Hominem* saepe expressisse, scilicet per *Corpus* mortale, per *Psychen*, sive substantiam sensionum et facultatum capacem, et per ipsas duas facultates et vires, nempe *Mentem*, et *Animum*, quibus totus et perfectus *Homo* exsurgit. Et *Psychen* quidem sive sentientem *Animam*, ut *Puellam* ut *Sponsam* decenter vestitam saepius exhibebant, *Mentem* vero Νουν, et *Animum* sive Θυμον per duos Adolescentes, per duos *Fratres*, per *Gemellos*, ut vidimus pag. 32.33. imo saepe per duos *Viatores*, qui Pileolo viatorio capiti imposito, vel ad cervicem reiecto gravem aliquam et longam viam carpere instituissent. Qui *Viatores*, et *Puellae*, ubi discernuntur a duobus *Gemellis Cabiricis* et divinis, et propria Dramata faciunt, miram ingenii sollertiam in Hierographis ostendunt. Saepe vero ipsa *Psyche Geneseoerasta* expressa est: Ut in *Vase* apud Hamiltonum et Tischbeinum T. I. Tab. 2. pag. 52. 53. Nam pulcra *Puella*, quae sedet sinistrâ tenens magnam *Umbellam Psyche* est, *Anima* humana est, quae *umbram* iacere incipit, corporeo desiderio iam aliquantum obumbrata: *Nasum* propinguat Balsamario, quod ad vultum eius *Juvenis* incli-

natum tenet: et ex quo ריח RIC *odorem* attrahit et gustat, adhuc quidem ipsa σκια et *umbra* est, quae tantum *odore* ריח RIC delectatur, quia est adhuc *Spiritus*, *Pneuma*, רוח RUC. Sed quia desiderat *corpus*, sed quia desiderat sensiones humanas, iam perget ultra et gustabit *Placentam*, quam alius *Juvenis* ei offert: et hinc in *Balneum* se iaciet, et tota *genitabilis* fiet: Jam enim *Genius Genesiurgus* lavat ei pedes, iam ad lavacrum perfectum allicit et trahit; Brevi fiet *Homo*, est nempe *Psyche Geneseoerasta*.

6. *Sphaera iacta, sive Renascentia proxima*. Jam diximus Hierographos Vasorum *Globos* et *Sphaeras* adhibuisse ut symbola *vitae* humanae, quam Homines deponerent, et resumerent, moriendo, et nascendo; et propterea ubi *Genii* sive *Arsenotheles*, sive utcumque *Genesiurgi* iaciunt ad Puellas *Globos* et *Sphaeras* non dubitabimus, quin de celeri et tempestiva *renascentia* spem certam *Cabiristae* morituro amicus Hierographus facere voluerit, ut omnino in Dramate Vasis editi in *Real. Mus. Borbon.* Vol. I. Tab. 12. in Millingenii *Painted Vases Grecks* Tab. XII. p. 31. 32. in Lamberg et Laborde *Collect.* Tab. XII. p. 54. 55. quo a dextera spectatoris parte est Mulier speculum dextrâ, taeniam sinistra habens, quae symbola Nymphae *Genesiurgae*, medius est *Juvenis* alatus, et quasi fugiens, quum iam volâ dextrae manus percussisset *Sphaeram* adhuc in aëre pendentem, symbolum vitae humanae iamiam rediturae; tandem est Mulier symbolum Psychae humanae renasciturae, quae ad hunc Cupidinem vel Genium conversa, dextram manum impositam habet Columellae funebri, in qua haec adscripta: ιησαν μοι ταν σφιραν (sic). Scilicet: *iaciebant* vel *iecerunt mihi Globum* vitae, Sphaeram Regenerationis et Renascentiae. Scilicet: Ego Defuncti hominis Psyche a Potestatibus Genesiurgis facultatem iterum renascendi obtinui: Vivam iterum; Sphaera et Globus vitae meae iterum rotabit et curret in Mundo.

III. *Indicatur ratio qua Dramata Palingenesiae magnae et finalis discernantur a Dramatibus Palingenesiae intermediae in Vasis Pictis.*

Praesentia scilicet *Bacchi* vel *Proserpinae*, vel utriusque cum symbolis *Genesiurgicis*. Nam etsi *Bacchus*, ut repetere utile est, sit Deus Spermatopegaeus, non est vere et proprie *Genesiurgus*: sed Deus Genesiurgus est eius Gemellus *Apollo*, Vulcanus, Mars, Jupiter, Amor, Venus, Isis; qui insuper in hac Oeconomia et in hoc Mundo sunt Reges maximi, *Baccho* in Elysium relegato. At ut Hierographi indicarent in Mundo futuro *Bacchum* supremam potestatem adsumturum, et instauraturum Humanam Generationem cum symbolis *Genesiurgicis* rectissime expresserunt. Quae adeo ubi adsunt symbola *Bacchum* Acratum futurum et *Palingenesiam* magnam indicant non Palingenesiam intermediam.

IV. *Symbola Genesiurga adposita Dramatibus Mythicis Jus Inachiae, quae in Vasis pictis quandoque conspiciuntur, nec ad Palingenesiam finalem, nec ad intermediam referri possunt, sed ad praeteritam et Diluvianam sunt omnino referenda:*

Ut illa symbola sunt in Dramate Jus edito in *Monum. ined.* Inst. Archeol. Tom. II. Tav. 59. *Annal.* Tom. X. 1838. pag. 253-266. et 312-329. et illustrato tum ab Equite Phil. Gargallo, tum a P. Jesuita Secchio. Nam duo Genii Genesiurgi, Lepus, Armilla globulosa, quam Faunus tenet, symbola sunt adiaphora, et quamcumque *Palingenesiam* et Renascentiam possunt significare: Et adeo rectissime Diluvianam, cuius celeberrimum Mythum in *Jo Inachia*, iure maximo Poëtarum *argumentum ingens*, Patres nostri Javanidae prorsus mature effinxerunt. Et ex profundo Poetico stilo, quum Familiam suam *Javanidum* per Puellae *Jus* formam expresserint, ut Prophetae Hebraeorum Virginem Filiam Sion, eam foecundam et uberem Sobole פרה PHRE sub Typo *Vaccae* et Vitulae significarunt: et quidem in Diluvio ipso acerrime custodi-

tam ab *Argo*, sive ארגז ARGZ, qui ipsa *Arca* est: cui cum fuissent plurimi foruli et domunculae, quasi oculi *Argus* ille custos fuit totus oculatus et Panoptes. Qui *Argus* per plures maris tractus miseram duxit: Nam certe *Arca Noachica* per annum fluctibus acta huc illuc erravit. At quid fuisset *Jo* et *Jon* Japeti si ab *Argo* semper fuisset servatus et custoditus? Nonne periisset totum Javanidum genus? Hinc Mercurius Typus profundissime Poeticus Generis humani, et quasi Genius Tutelaris et Agatodaemon, praefectus incremento Generis nostri disrumpit Arcam, liberat Io sive Jonem a custodia ארגז ARGZ *Arcae*, et incipit Genus Arcadum et Javanidum *Palingenesiâ* Postdiluviana crescere et augeri. Hinc patet cur doctissimus Hierographus huius Dramatis symbola maritima, fluctus, undas, Hippocampos vestibus singularum fere Personarum expinxerint, et ipsius Jovis, qui hic primum verus et genuinus Jupiter Hellenum est, sive pluvius, nubicogus, diluvianus. Nam systema Mythicum Graecorum ex profundissimis est Cosmochronicis, et Cosmotropicis, et quibus Dii novi, qui Mundi Imperium suscipiunt novum Mundum revera suscipiunt: Et adeo si Urani Regnum est Geogonicum et Cosmogonicum; Saturnium est Antediluvianum, Joviale profecto incipiet cum ipso Diluvio, eritque Postdiluvianum. Nam et Jupiter primus tonat, fulminat, pluit; quia a Diluvio primum tonare pluere fulgurare homines noverunt. Quod egomet possem plurimis aliis argumentis demonstrare si locus esset opportunus. Et propterea quamvis non ausim negare quatuor pulcherrimas Mulieres Jovi in hoc Dramate adstantes posse commode haberi Junonem, Cererem, Venerem, Proserpinam, Deas nempe omnes Genesiurgas et Palingenesiae Diluvianae praefectas, haud damnarem eum qui adfirmaret has Deas esse etiam symbola quatuor Temporum, quae a Diluvio distincta et effecta primum sunt, et quae indicavit sapientissime Moses *Genes.* VIII. v. 22. et descripsit Ovidius *Metam.* I. v. 117.

« *Jupiter antiqui contraxit tempora veris* » *Perque hyemes, aestusque, et inaequales autumnos*, « *Et breve ver, spatiis exegit quatuor annum*: » *Tum primum etc.*

SECTIO IV.

DE AUCTORIBUS ET PATRIA VASORUM PICTORUM.

I. *Pantheum fundamentale et characteristicum Vasorum Dramatographorum est Pantheum Cabiricum.*

1. Nam primo in singulis fere *Vasis Pictis* conspiciuntur vel *Gemelli* vel *Trigemini Cabirici palliati* Larum divinorum stato more *Necrophylaces* et *Quebirici*, ut demonstratum est p. 196. 197. Quin est addendum *Gemellos Cabiros* sub forma *Pileatorum* Juvenum et *Viatorum* saepe etiam adpingi ad *Columnas* funebres, et quidem *Parodiace*, quasi essent *Orestes* et *Pylades*; imo quandoque quasi essent *Ulysses* et *Diomedes*, ut in *Vase* edito in *Annal. Inst. Archeol. Rom.* 1836. vol. VIII. pag. 295-306. Tom. II. Tav. 36. ex *Collect. Lambertiana*, et illustrato a Braunio; in cuius facie secundâ est Scena Elysia, qua *Apollo Cabiricus* pulsat Lyram, proximo *Marsya*, sive *Silveno* Elysio, qui tibias inflat, et suavi sono recreant stupentes et raptas Umbras, ut ut subdolus Hierographus *Apollini* adscripserit corrupté *Olympi* Nomen, et alia etiam nomina Parodiace depravata adposuerit, quum facies et habitus divinus Citharoedi sit, et adsit *Cygnus Apollinis Patroi* et *Lararii:* Et in hac quidem *Vasis* facie Deliciae Elysiae Defuncti Cabiristae. At in alia facie *Vasis* media est Columella funebris posita, ad quam erecta stat pulcra et magna Mulier, pone quam est *Vas* funebre ex illis ipsis *Dramatographis* nostris; et pone Juvenis Pileatus imberbis lanceatus, vaginam ensis habens in sinistra, et inscriptus Οδευσευς: Ante Columnam vero est similis et gemellus Juvenis, sed coronatus, Pileolo in cervicem reiecto, dextra nudum ensem gerens, sinistro brachio Palladium comprehensum tenens, et inscribitur Διομεδης: Clamant Interpre-

tes hic exhiberi *Palladii* Troiani *raptum*, et de Nomine Mulieris certamina magna. Pax, pax. *Parodia* est. Columella funebris, et Vas funebre certa symbola Funerum : *Gemelli Pileati Dioscuri* sunt, et quod iam augurabamur in *Tent. Osco* p. 21. 22. re probatum scilicet *Diomedem* et *Ulyssem* revera ut *Dioscuros* et *Gemellos* Deos *Panthei Dodonaei* habendos esse: *Palladium* vero non rapi, sed in Tutelam Animae teneri et ostentari, et quoniam in *Palladio* omnes *Parcae Cabiricae* claudebantur, patet inde Hierographum hac *Parodia* totum *Pantheum Cabiricum* Osco morienti propitium facere voluisse. Mulierem vero stantem et mediam sive facis *Venerem Epitymbiam* , et *Libitinam* , sive *Psychen* ipsam, et *Helenam* ad Dramatis explicationem perinde est.

2. Secundo, in Dramatibus *Vasorum pictorum Deas Gemellas* hinc inde expingi notum est. Et *Gemellae Deae Cabiricae* sunt.

3. Tertio quia frequentissime in Dramatibus *Vasorum pictorum* Caput vel Protome Deae quasi ex Floris Calyce, vel Plantae erumpentis et prodeuntis expictum est : Et hoc esse Cabiricum iam adnotatum pag. 54. 55.

4. Quarto , quia *Bacchus Elysius* frequenter in *Vasis Dramatographis* conspicitur, et is unice spectat ad *Pantheum Cabiricum*, vel ad Panthea inde deducta atque imitata.

5. Quinto, quia Dea in *Vasis* expicta ad Columnam funebrem, Dea innixa Columellae mortuali est *Venus Epitymbia*, Venus Libitina Romanorum Cabiristarum, Venus Quebirica, et Tartarica Etruscorum, de qua diximus p. 169. 170.

6. Sexto , quia *Aediculae Larariae*. frequentissime conspiciuntur in *Vasis pictis*, et superius p. 198. 201. adnotatum esse eas criterium certum *Larificationis* Defuncti. Atqui huiusmodi *Aedes*, huiusmodi *Larificatio* propria *Panthei Cabirici*: Adeo ut nullum Emblema nullum Stemma prae *Aedicula* certius *Cabirismum*

commonstret : Nosque non dubitamus in *Vase Picto* edito a R. Rochette in *Mon. Inedit.* Tab. 78. pag. 409. 410. indicari Drama *Cabiricum* potissimum per *Aediculam* : Nam Hierographus Summum Pontificem Cabiricum, cui vestes congruentissimas dedit sceptro *Domocephalo* distinxit, et fecit offerentem Diis Inferis, et praesertim ipsi Regi Umbrarum sive *Vulcano* magno, sive *Baccho Elysio* Defunctum Mystam, reliquis etiam *Diis Cabiricis* praesentibus. Nam iuxta Regem maximum *Venus* est *Epipegaea*, Crateri genitali innixa, et Speculum tenens : Hinc alio ordine Minerva sospitatrix, Apollo Gemellus intra duas Stellas Phosphorum et Hesperum, symbola Crepusculorum Mundi, initialis et finalis, ut Galli Minervae p.204.205.: *Ceres* sive *Vesta* Cabirica per *Lampadem* ardentem designata: Qui Dii faciunt ipsum et totum *Pantheum Cabiricum*, si in Adolescente vel adolescentula initiata *Proserpinam*, quae *Psyche* est significatur: et in ipso Pontifice *Mercurium* et *Cadmilum Cabiricum* , qui revera apud Aegyptios et Phoenicios dictus Thoth et Taaut Sacerdos etiam et Summus Pontifex habebatur.

7. Septimo, quia *Crateres Pegaci* etiam frequenter cernuntur in *Vasis pictis*, ut aeque frequenter in Monumentis Etruscis, quae *Cabirica* sunt : Et hos *Crateres* esse sua Institutione *Cabirica* elementa iam supra adnotatum, et adeo Philosophi Orphici, Pythagorici, Platonici, et Neoplatonici, qui plurima Dogmata et Symbola Cabirica, utpote Cadmonaei et Bathanaei servarunt de *Crateribus* Cosmogonicis, *Psychogonicis*, *Zoogonicis* egerunt abunde.

8. Octavo, quia *Specula* symbolum insigne *Cabirismi* , ut adnotavimus p. 23-26. frequentissime etiam conspiciuntur in Dramatibus *Vasorum*.

II. *Vasa Dramatographa tribui non possunt Hierographis Etruscis, etsi praecipuis Cabiristis.*

1. Primo, quia *Hierographi Etrusci* Plastica quidem semper , Pictura et Graphice numquam illustres extiterunt. Atqui si *Hierographi Etrusci* fuissent Auctores

Dramatum, quae in *Vasis* expicta sunt necessario famam maximorum Pictorum in universa Italia, Sicilia, et Graecia obtinuissent. Quod minime factum, ut omnes norunt. 2. Secundo, quia ex Iconicis artibus *Pictura* et *Graphice* accurata difficillimae sunt, et quae postremae inveniuntur et perficiuntur, et adeo vetustissimis Pelasgis atque *Etruscis* recentiores et posteriores. 3. Tertio, quia in Regimine Etrusco Aristocratico et severo genuinam florere Picturam et Graphicen accuratam vigere non tantum difficillimum, quam impossibile. 4. Quarto, quia *Vasa* funebria *Etruscorum* propria sunt prorsus diversa stilo, ingenio, et forma a *Dramatographis*. Nam sunt *Anaglyphica* non *picta*, et facta ex creta nigra, gravi, dura, et ut plerique iure tenent cruda et non cocta. 5. Quinto quia *Urnae* funebres *Etruscae* ipsa nempe *Vasa*, funebria, quoad destinationem, sunt anaglyphica non *Picta* per Graphicen, ut *Vasa*. 6. Sexto, quia internus stilus *Dramatum Etruscorum* et *Dramatum Pictorum* in *Vasis* ingenium, manum, methodum, vestes, ornatus, supellectilem, et omnia diversa ostendunt: Et ita evidenter, ut qui statim non sentit, se omni sensu in his studiis carere debet fateri. 7. Septimo, quia *Etrusci Lydi* combusserunt corpora, et cineres in *Urnis* servarunt: quum *Vasa Dramatographa* pleraque ad eos spectaverint, qui corpora integra condiderint, non combusserint. 8. Octavo, quia duo vel tria *Vasa* a Hierographis *Etruscis* certo *picta* ita a reliquis omnibus stilo, ingenio, arte, diversa sunt, ut ipsa haec *Vasa* sint infallibili criterio reliqua omnia *Picta* et *Dramatographa* non esse *Etrusca*. Vid. *Monum. Ined. Inst. Arch. Roman.* Tom. II. Tab. 8. et 9. et hic pag. 172. 173.

III. *Vasa Dramatographa Hierographis Graecis sunt omnino tribuenda.*

1. Primo, quia uni Hierographi Graeci a VI. Saeculo Prochristiano, ita in omni Iconices et Graphices genere excelluerunt, ut uni possint et debeant haberi

auctores *Vasorum Pictorum*. Quae enim de veteris Italiae fama in Picturâ ex Plinio potissimum plures inclamant, et falsa sunt et futilia, et numquam antiqui Itali et boni Osci inter primos et vetustiores Pictores se esse numerandos contendent, satisque erit ingenti Italiae decori et gloriae altam et nutritam in Italia *Picturam* ex Graecia quasi exsulem et eiectam, exceptamque liberaliter et receptam per tria fere saecula ad focum Populi Patriarchalis et Plutarchici ingentem numerum operum praestantissimorum protulisse, quae absque Italia et extra Italiam non fuissent. Nam pleraque *Picta Vasa* pro Italis Cabiristis in ipsa Italia efficta fuisse mox animadvertemus.

2. Secundo, quia uni Artifices et Hierographi Graeci absoluta iam a VI. saeculo Prochristiano Linguâ nobilissima, Deorum formis constitutis, et amplissimo Cyclo Mythico condito, Scholisque Philosophorum Mileti, Sami, Athenis, Veliae, Metaponti positis uni potuerunt condere *Dramata* profunditatis et elegantiae mirae de humana *Psychoplanesia*, et de futuris maxime Hominum fatis. Qui Dogmatum profunditatem et Artis praestantiam extra elementa Graecae Civilitatis quaerit frustra et incassum errat.

3. Tertio, quia si falsum est omnia Dramata *Vasorum Pictorum* respondere Mythis et Fabulis Graecorum, si falsum tam frequenter et crebro facta Tragicorum Graecorum in eis exhiberi, ut passim Interpretum vulgus autumat, verum tamen, et plane certum est plurimos Mythos Graecorum in *Vasis* exhiberi, ut labores Herculis, Bellerophontis, Thesei, etc. Raptum Thetydis, Bella Amazonum, et alia plura, quae uni Hierographi Graeci tractare potuerunt.

4. Quarto, quia Alphabetum Graecum in *Vasis Pictis* adhibetur, et Inscriptiones Graecae clarae et certae sunt magno numero.

5. Quinto, quia vestes, ornatus, supellex, habitus personarum expictarum in *Vasis* Graeca sunt, et si Graeca non facis nulla facis. Nam nec Syra facere

potes, nec Aegyptia, nec Scythica, imo nec Italica, nec Osca, nec Etrusca absque evidenti falsitate.

6. Sexto, quia *Vasa Picta* Stili Archaici, Systematici, et adfectati omni iure tribuuntur Hierographis Graecis, qui magno numero advenisse in Etruriam cum Demarato Corinthio ex Plinio. Libr. XXXV. c. 8. p. 417. ex Dionys. Halicar. Lib. III. pag. 184. 185. ex Strabone Libr. V. pag. 219. 220. Tacito *Annal.* XI. c. 14. pag. 137. aliisque pluribus certum est.

7. Septimo quia *Vasa* Stili recentioris et elegantioris etiam iure tribuuntur Hierographis Atticis, quorum indicia argumenta et criteria Archaeologi nostri docte exquisierunt.

IV. *Qui dicendi et habendi sunt isti Graeci Hierographi Auctores Dramatum in Vasis Pictis Italicis et Graecis.*

Scilicet habendi sunt quasi Sectio et pars insignis amplissimae Scholae *Samanaicae*; quasi Colonia Sapientum *Hermeticorum*, *Orphicorum*, *Homeridarum*, qui Theologicam et Hierographicam civilitatem Graeciae intulerunt, olim ex *Cadmondea* sive Orientali et *Anatolica* Regione profecti, ut iam in *Fundam. Glossosoph.* ad *Tent. Etruscum* pag. 301-306. monuimus, ubi originalis *Cabirismus*, et ubi vetustissimi Cabirismi Elementa mediis temporibus servarunt per *Logia* sua Chaldaei, et saepe explicarunt plurimi Neoplatonici, per quos ingens adhuc lux tum mysteriis *Cabiricis* tum *Vasis Pictis* expectatur. Scilicet habendi sunt solertissimi viri in veteri Theologia profunde versati, duplici lingua plenissime instructi, Graeca unâ literata Eumorpha, arcanâ sacrâ Noachicâ Grammatodynamicâ altera: In scientia Symbolorum doctissimi: Ascetae, quasi Pythagorici, quasi Budda-Guristae, sive errones, et vagi Ascetae, qui pro opportunitate artem suam et Hierographiam suam in varias Terras et Regiones ducerent; in hoc tamen a veris Pythagoricis discrepantes, quod Hierographi Politica et Popularia Panthea

Dogmata Religionum publicarum, et Mysteria stata Poeticis symbolis et stilo tum Mythico tum Hierographico exornarent; quum Pythagorici facerent philosophico modo, et per relationes Mathematicas.

V. *Vasa picta et Dramatographa cuiuscumque stili nec ingenti numero, nec primario condi et servari potuerunt in ipsa Graecia.*

1. Primo, quia Graeci ex patrio Instituto comburebant corpora, non humabant cadavera: ut notum omnibus, et animadversum a nobis in *Dissert. ad Phaedrum* nostrum edit. 1811. p.302-310.: Qui mos, etsi minime impediat, quin plures Graeci, et maxime generis Pelasgici extitissent, qui Cadavera suorum humarent, et adeo ut in Graecia ipsa inveniantur Sarcophagi, et *Vasa Picta* et *funebria*, obstat tamen, ne plurima inveniantur, ne ingens plane copia Sarcophagorum, et *Vasorum Pictorum* inde trahatur et colligatur; quod plane verum est.

2. Secundo, quia Hellenes ex patria et propria Religione non fuerunt *Cabiristae*; et *Vasa picta* sunt *Cabiristarum* propria, et *Vas* symbolum proprium *Panthei Cabirici*, non Helleniei pag. 53. 54. 195. 196.: Adeo ut si Hellen utitur *Vase* facit ex syncretismo *Cabirico*, non ex elemento proprii *Panthei*, quod spectat ad Genus Lelegicum Aeolensium et Deucalioniadum, non ad Genus Pelasgicum sive Atticum, sive Tyrsenicum, et Samothracium, sive Dodonaeum et Dardanium, de quibus non pauca et characteristica retulimus in *Tentam. nostr. Etrusc.* et *Osco*. Quamobrem si in Graecia inveniendi sunt *Cabiristae*, quia non omnes Pelasgi eiecti et necati, si inveniendi alii, qui adoptassent; haud tamen plurimi sunt inveniendi, et si *Vasa* ex numero *Cabiristarum* sunt aestimanda plane plurima *Vasa picta* et insignia numquam poterunt inveniri et contrahi ex Graecia tota.

3. Tertio, quia si *Vasorum Dramatographorum* officinae fuissent magnae, multae, frequentes in Graecia non Aristophanes unus et raptim, sed plurimi Poetae

et Comici *Vasorum* horum funebrium meminissent.

4. Quarto, quia in Inscriptionibus sepulcrorum Graecorum nunquam horum Vasorum iniecta mentio, nec figurae in Anaglyphis adpositae.

VI. *Vasa pleruque Dramatographa ex Sepulcris Italicis eruta in ipsa Italia a Hierographis Graecis Cabiristis fuisse condita tenendum est.*

1. Nam in *Italiâ* nostra *Cabiristae* fuerunt *Dardanii-Arcades*, qui fundum amplissimae Gentis *Oscae* constituerunt, ut in *Tentam. Osco* iam adnotavimus. 2. *Cabiristae Dardanii-Aeneades*, ex quibus pars Latinorum et Romanorum. 3. *Cabiristae Pelasgi* Thessali et Samothraces. 4. *Cabiristae* Tyrseni Lydi, ex quibus orti Etrusci pag. 10. 30. Atqui Graecis et Gallis exceptis ex his facti universi *Itali*; et apud hos Graecos et Gallos vel nulla, vel paucissima ex huiusmodi *Vasis pictis* inventa.

2. *Atqui porro Cabirica et funebria Vasa ex ipsa Graecia per maritima commercia petere absurdum est.* Nam a Pisistratidum aetate ad victum Annibalem commercia maritima Italiae fuerunt rara et difficilia tum ob navalis scientiae et peritiae ruditatem, tum ob acerrimam Tyrsenorum Piraticam, de qua vel querelae Graecorum fuerunt multae et graves iam a nobis in *Tentam. Etr.* p. 22. indicatae.

3. *Quamobrem Vasa picta et Dramatographa in ipsa Italia a Hierographis Graecis condita fuisse tenendum est.* Nam Colonias, et quasi Scholas Hierographorum Graecorum in praecipuis Italiae Urbibus recipi, colligi, figi, et ibi officinas Scevasticas ponere facile, tutum, et utile: Et ita factum revera, tum peculiaria quaedam *Vasorum* criteria certas Italiae Provincias, ut Campanorum, Appulorum, Siculorum, etc. et quasi certas Scholas demonstrant: tum reliquiae ipsae Officinarum, et alia plura indicia, quae Archaeologi adnotant et colligunt, plene suadent.

TENTAMINUM HIEROGRAPHICORUM

PARS QUARTA:

FUNDAMENTA PANTHEOGONIAE VETERUM GENTIUM: *SIVE* DE NATURA, ORIGINE, ET FORMATIONE VETERUM PANTHEONUM

LIBRI SEX.

LIBER PRIMUS

THEORIAE PRIMAE ET GENERALES.

SECT. I. *Partes et elementa Pantheonum.*

1. *Pantheum* appello omne Systema Theologicum, quo aliqua Gens, Secta, Schola utitur ad Caussas Mundi invisibiles et secretas explicandas et definiendas.

2. Quamobrem omnis *Panthei* partes sunt. 1. *Theologia.* 2. *Liturgia.* 3. *Hierohistoria.* 4. *Hierographia.* 5. *Cosmographia.*

3. *Theologia* est expositio naturae, potestatum, virium, et ordinum *Deorum* receptorum: Qui et quot Dii magni et Classici; qui Theandrici et incarnabiles; qui Daemones, Genii, Lares, Heroes, etc.

4. *Liturgia* est expositio Rituum, Ceremoniarum, atque Operum Sacrorum, quae in venerationem cultum et placationem Deorum; vel in expiationem et purificationem peccatorum peraguntur.

5. *Hierohistoria* vel *Mythologia* est narratio omnium factorum, gestorum, actionum, passionum, quae Diis vel Daemonibus tribuuntur. Inter quae etiam eorum generatio atque ortus et Genealogia recensetur.

6. *Hierographia* est descriptio formarum, Figurarum, Agalmatum, Dramatum, Signorum, Symbolorum, Emblematum, quibus Dii vel Daemones repraesentantur et exhibentur.

7. *Cosmographia* tandem est expositio et descriptio sedium et locorum, quae haberi et coli a Diis et Daemonibus putantur. Quae locorum et sedium divinarum dispositio quum possit esse mire varia et diversa; et ipsa Systemata Theologica et Panthea gravissime afficere, hinc aequum est, ut praecipuae saltem species huius Theologicae *Cosmographiae* indicentur: maxime quia nemo, quem sciam, ad hoc propositum indicavit hactenus et descripsit.

8. Et prima scilicet illa *Cosmographia* est, quae dici potest *Geoplatica* et *Tartarorizica*, qua nempe Tellus haec nostra habetur quasi plana et indefinitis Radicibus Mundo et Tartaro infixa: habens insuper quasi in centro altum et celsum montem, circa quem Sol, Luna, Planetae, Stellae, perenni gyro volvantur: et quo plures sive Dii sive Daemones habitare possint et degere. Coelum vero est quasi cortina et tectum Telluris: Et si in eo Dii sunt, sunt ignoti et incommunicabiles: Nisi in Christiana Hypothesi. Vide *Cosmographiam Christianam* Cosmae Indicopleustae editam a Montfauconio Tom. II. *Collect.* pag. 116. ad 310. et *Biblioth. Graec. Fabric.* T. II. p. 613. 614. sive Libr. III. c. 24.

9. Altera insignis species *Cosmographiae* Theologicae illa est quae appellari potest *Mesocosmica* et *Rhombodromica*, qua nempe inter Tellurem Tartarorizicam et Coelum Steremnium sedem Dei magni firmam et immobilem, quasi inter duo fixa Tabulata in spatio et vacuo intermedio circa Verticalem Axem Tartaro et Coelo infixum, circa Polum centralem, quasi circa Columnam et Fusum, circa Atlantem, et Telamonem Mundi Stellae omnes et Planetae, et secundum plures ipsa Tellus nostra, et Hominum sedes quasi *Rhombus*, *Turbo*, *Strophalus* perenni vertigine vertantur et volvantur. Huius autem *Cosmographiae* similitudines quasdam et deformationes habet Kircherus in *Oedipo* Tom. II. P. 1. p. 405-440.

10. Tertia *Cosmographiae* Theologicae species ad-

notanda est *Monocosmica*, *Geocentrica*, et *Asterodromica*, ea nempe, qua Tellus haec nostra globosa et sphaerica in centro Mundi ponitur, et circa eam Stellae, Planetae, Sol, Coelum, Mundus, rotari et circumvolvi incessanti motu putentur. Haec autem ipsa est *Cosmographia* Peripateticorum, et Stoicorum, et plurimorum Astronomorum, et quam unam non modo Dupuisius, sed etiam recentissimi Creuzerus et Guigniautus novisse videntur in *Religions del' Antiquitè*.

Sect. II. *Fontes et Caussae Pantheonum et Mythorum.*

1. *Fontes Pantheonum* primitivi duo. 1. *Natura Humana*. 2. Et *Deus Opt. Max.* revelator. Humana *Mens* Divinos Typos sentit, argumentat, demonstrat, fingit: *Praesensione* et prolepsi, quam ipsi Epicurei admiserunt, et probarunt. *Sensione* et perceptione obiectorum externorum, et omni humana passione. *Reflexione* meditatione ratiocinio. 2. Alter Fons primitivus est *Deus Opt. Max.* conditor et Creator Hominis, Rex, Praeceptor: Tum quia sapientissimus et omniscius; tum quia essentia bonus: et quia impossibile Hominem brutum, et carentem Ideis Theologicis condi et creari a *Deo Opt. Max.*

2. *Fontes Mythorum* primitivi etiam duo. Natura sive *Phantasia* humana: Et vera atque realis *Historia Mundi*, nempe ipsius *Dei Opt. Max.*, Patriarcharum et Genarcharum, et Fundatorum veterum Populorum, et omnium magnorum Factorum, et Phaenomenorum Physicorum, et Catastrophium Terrae. Nam 1. datis et formatis Typis Divinis Homo statim ex elementis intimis suae Psychologiae et formas et figuras, et sedes et locos, et Biotropismum analogicum, et congruentia facta concipit animo, efformat, fingit, et hoc pacto insignem partem Systematis Mythologici gignit atque efficit.

3. At ex alia parte tum Hominum et Populorum Gesta et Facta; tum Catastrophes Telluris possunt Mythificari et in sacras Historias converti non tantum populari et

plebeio modo, quo aliquae apocryphae vitae conditae Abrahami, Mosis, et plurimorum Patriarcharum; sed magis cryptica et profunda ratione, per elementa potissimum Stili Poetici et Hierographici, et per duplicem Linguam sacram et Grammatodynamicam unam popularem et lexeotropicam alteram: et quae in *Fundam.* nostris *Glossosophic.* editis in *Tentam. Herm. Etr.* p. 268. 269. etc. iam indicavimus.

4. *Fontes Pantheonum derivativi* sunt omnia *Panthea data*: et potissimum *Proto-Pantheum* revelatum, sive symbolum Fidei a Deo Opt. Max. traditum primis Patribus nostris, et quod ex una parte servari et custodiri acerrimâ curâ aequum fuit a plerisque Tribubus: et ex alia parte transformari, perverti, et immutari a plurimis aliis.

5. Nam Methodi derivativae, et per quas nova *Panthea* a veteri *Dato* deducuntur et derivantur tres sunt praecipuae. 1. *Heterodoxia barbarica*. et physiophthartica. 2. *Heterodoxia* meditativa et systematica. 3. *Heterodoxia Cryptomorpha* et Technocryptica. Etenim si falsissimum est quod contendunt Philosophi Brutistae Propagatione Coloniarum Generis humani, et fundatione veterum Gentium has omnes in brutam et mutam barbariem fuisse collapsas: verum tamen est per Nomadismum, Amaxobiismum, et Thereuticobiismum non potuisse semper servari purum integrum illibatum *Proto-Pantheum Noachicum*, et hinc plures varietates Barbaricae et Physiophtharticae oriri et gigni debuerunt. 2. Praeterea, ut dicemus iterum paulo post, ubi Ascetae, Theologi, Sacerdotes per proprias vires, proprio ingenio confisi explicare, commentari, interpretari pleraque audent in *Pantheo revelato* fieri non potest, quin plures et graves *Heterodoxiae* gignantur. 3. Et tandem ubi inveniuntur Theologi et Sacerdotes qui per Stilum Poeticum, Hierographicum, Symbolicum, Mythicum Dogmata et traditiones *Proto-Panthei* exprimere et significare laborabunt, *Panthea*

si minus profunde *Heterodoxa* evidenter *Heteromorpha* habebuntur.

Sect. III. *De natura et characteribus Ascetismi, ut fontis praecipui Pantheonum Systematicorum et Technicorum.*

1. *Ascetismum* appello statum illum et habitum Hominis, quo Homo sive omnes, sive plurimas cogitationes et actiones suas ad cultum, obedientiam, cognitionem, laudem, et gloriam magni Dei facit et peragit.

2. Plura *Ascetismi* genera, et primum quoad propositum et finem praestitutum ab Asceta. Nam si *Asceta* uni plane sibi consulere decrevit meditando, cogitando, orando, precando, abstinendo, sustinendo: *Ascetismus* dicetur *solitarius* et *Naziraeus*. 2. Si proponit sibi expiare impuros Homines, purificare peccatores, impetrare Pacem Deorum reis, Deos iratos propitios et placatos facere *Ascetismus* dicetur *Sacerdotalis* et *Liturgicus*. 3. Si proponit sibi *Asceta* erudire ignaros in Scientia Deorum; si ipsam *Linguam* Popularem rudem, cacomorpham, inopem, absurdam, expolire, ditare, augere per suam arcanam Linguam Sacram et Theologicam adlaborat: Si per Sacros Hymnos et per Odas Deorum Laudes et facta celebrare, si Deorum et Mundi generationem vices, mutationes, per Poeticas Fabulas et profundos Mythos instituit docere: Quod revera fecerunt in Graecia *Orphici* et *Homeridae*, et in India *Buddistae Semicastici*, ut in *Fundam. Glossosoph.* animadvertimus. *Ascetismus* dicetur *Didascalicus* et *Mythopoeus*. 4. Tandem si proponit sibi *Asceta*, ut revera sibi proposuerunt Philosophi Graecorum, nulla Secta excepta, ipsas humanas Societates ordinare et componere, ipsa humana Regimina emendare, instaurare, meliora reddere *Ascetismus* dicetur *Politicus* et *Poleocosmicus*.

3. Si *Ascetae* porro matrimonia contrahunt et filios gignunt etiam *Ascetas*, *Ascetismus* dicetur *familiaris* et Tribulis, hereditarius et *Castlicus*: ut fuit *Cinaeorum*, *Rechabitorum*, et *Nabatheorum* in Arabia Syra.

et Palaestina: et *Brachmanum*, *Gimniorum*, et aliorum in India. 2. Quod si Ascetae non generatione fiunt, sed *electione*, probatione, et spontanea segregatione et congregatione, ut *Samanaei*, tum si unâ omnes vel plures vivunt sive in Cryptis et Cavernis, ut Ascetae Bactriani, Indi, Palaestini, sive in Coenobiis domomorphis tum dicentur *Coenobitae* et *Conventuales*, ut vixerunt Pythagorei in Italia.

Sect. IV. *Recensentur characteres et criteria praecipua Panthei Physiogenneti et Brutogeniti.*

1. Erunt Hominibus sociali modo viventibus utcumque barbarificatis et brutificatis semper aliqui Typi *Divini* animo: Nam nulla Gens, nulla Familia humana prorsus athea, et aliquo *Typo divino* carens: Et plane laudandi qui a pleno Atheismo plures Gentes vel Tribus falso accusatas absolvere adlaborarunt: Vid. Fabric. *Syllab. Script. Apolog.* pag. 299-312. Nam ut iam innuimus pag. 229. *Praesensione*, *Sensu*, et *Ratione* Typi divini Animo humano ingenerantur, efformantur, effinguntur. Et erunt adeo in Homine Dii *Thaumatotypici*, *Phobotypici*, et *Chreiotypici*.

2. At qui erit Numerus horum Typorum in Mentibus Barbaricis? Post aliquot aetates plane ingens. Nam in his mentibus omnia sunt disiuncta, et separata. Adeoque plurimi erunt, sive Dii sive Daemones *Thaumatotypici*, plures *Phobotypici*, plures *Chreiotypici*: Quem ingentem Deorum numerum recte iam perviderunt Petrus Bayle, David Hume, Abas Bergierius.

3. Quae forma, quae figura mentalis et intelligibilis his Typis divinis? Vel humana, vel quasi humana. Nam quae apud Ciceronem de *Nat. Deor.* Libr. I. cap. 18. p. 43-46. disserit C. Velleius Epicureus ea prorsus ex legibus Barbaricae mentis disseruisse tenendum est. Et omnes Poetae omnium aetatum et Gentium simili modo Deos, vel Daemones effingunt mobiles, agiles, aëromorphos, celeres, visibiles, et invisibiles, penetrabiles, non duros, non solidos, sed luci-

dos, fulgidos Pneumata celerrima, *Volucrique simillima somno.*

4. Quae forma sensibilis et physica his Barbaricis Typis? Saepius *obiectiva*, sumta ex *obiectis* physicis, nempe *Fetiscistica*. Selectae Plantae, Surculi, Radices, Animalia, Lapides, quae hos Deos vel Daemones repraesentent, et significent.

5. Qui fons *Nominum*, et Cognominum horum Deorum, unde *Lexicon Theologicum* horum Typorum divinorum? Fons praecipuus dubio procul *Chreiotypicus*: Ipsae Necessitates humanae, ipsae sensiones Barbarorum, ipsa obiecta utilia bona, ipsae substantiae commodo hominum factae: Ut quisque potest facile et certo nosse ex Lexico Romano horum Deorum, quod saepe Patres Christiani irriserunt, et plurimi retulerunt saltem ex parte, ut Pomey in Pantheo pag. 229-235. 238. 240. Etsi hi Daemones non ex Barbarica origine sint proprie orti, sed ex Daemoniaco Systemate Samanaeorum Parsorum.

6. Quae potentia et maiestas horum Deorum? Magna certe quoad ipsos homines: sed finita et limitata inter se, quia numero plurimi: et quia ex finitis sensionibus orti et geniti.

7. Quae natura Liturgiae, et Rituum et Ceremoniarum Sacrarum? Levis, tenuis, et certe numquam gravis, varia, implexa et operosa. Nam nec natura Populi Barbarica levis, fera, mobilis, incuriosa capax esse potest Liturgiae gravis prolixae variae: Nec exemplum unius Populi Barbarici potest excitari, qui insigni aliqua Liturgiâ, et systemate amplo Sacrarum Ceremoniarum celebris fuerit. Quin nisi apud omnes prorsus Barbaros Populos tenuissima levissima rarissima fuissent argumenta et demonstrationes cultus Religiosi numquam inventi fuissent tot Viatores et Historici, qui eos plane Atheos apertissime declarassent, et pertinacissime traduxissent.

8. Quae constantia, quae duratio, quae perseverantia Dogmatum Theologicorum, ordinum divinorum et

Rituum Sacrorum in his Pantheis Barbaricis? Nullus: Sed haec omnia erunt in perpetuo cursu, fluxu, et variatione per singulas aetates, et singulas mutationes fortunae, Regiminis, et vitae Socialis.

Sect. V. *De praecipuis varietatibus Pantheonum humanorum.*

I. *Quoad naturam et potestatem Typorum divinorum.*

1. *Panthea* sunt *Encosmica* vel *Exocosmica*: Si Dii et Daemones putantur vivere agere et operari in ipso hoc Mundo, dicuntur *Encosmica*, si vero Dii creduntur positi extra hunc Mundum, et habitare vel in Mundis suis et propriis, vel in ignotis Intermundiis, ut putabant Epicurei, et fortasse Democritici, dicuntur *Exocosmica*.

2. *Panthea Encosmica* dicentur *Cosmocratica*, Cosmoproniaca, si Dii habentur Domini, Reges, Rectores Mundi, atque Elementorum: Dicentur *Cosmothemelica*, *Cosmopsychica*, *Cosmozoica*, *Cosmousiaca*, *Cosmotheistica*, *Physiotheistica*, si Dii putantur esse Fundamentum et Basis Mundi, Spiritus Mundi, Vita Mundi, Essentia Mundi. Quod revera putarunt omnes Emanationistae Chaldaei, Judaei, Indi: Tum ex parte Platonici, Stoici, Neoplatonici.

3. *Panthea Cosmocratica* dicuntur *Asomatica* et *Pneumatica*, si Dii putantur *Incorporei*: et vel penitus a quacumque corporis labe immunes atque expertes: vel saltem carentes corpore fragili, et divisibili, vel duro et solido, sed tantum praediti lucida et clara forma, agili, celeri, libera, penetrabili; Ut contra dicentur *Ensomatica Panthea*, *Cosmotheistica*, si Dii Corporibus solidis et gravibus coniuncti et adhaerentes, et utcumque adfixi et infixi putantur.

4. *Panthea* sunt insuper vel *Physica* vel *Metaphysica*, *Physica* dicentur quae constant Typis divinis, qui respondent Physicis necessitatibus et sensionibus Hominum et quae adeo dicentur etiam *Chreiotypica*, et qui adeo numquam sunt naturâ infinita et vere et

proprie divina. Contra *Metaphysica* sunt, quae Typos divinos habent, quorum characteres *infinitatem* et Potentiam prorsus divinam ostendunt: ut sunt omnes *Typi Demiurgici* et creatores: creatio enim et formatio Mundi sapientiam et potentiam infinitam expostulant: Ut sunt Typi *Genesiurgici*, *Idepegaei*, *Cosmothemelici* etc. Nam unus Deus plane infinitus potest haec efficere.

5. *Panthea* dicentur *Eleutherica*, *Eleuthero-Pneumatica*, si Dii putantur liberi, automatici, spontanei; Reges domini: *Fatalistica*, *Anangaica*, si Fato et Necessitati Dii subiecti putantur: et potissimum corporeae et Ensomaticae: Ut in *Physiotheismo Monocosmico*, *Gaeocentrico* et *Uranodromico* plurimorum Philosophorum Graecorum, vel in quocumque vero *Cosmotheismo*, qui videtur systema Confucistarum Sinensium: qui si *Atheismus* absolutus dici nequit iure dicitur *relativus*, ut ille Aristotelis et Peripateticorum, et omnium *Psychothnetistarum*, et *Fatalistarum*.

6. *Panthea* tandem dicentur *Demiurgica* et *Creationistica* si omnia a Deo opt. max. ex nihilo creata et condita ponuntur. *Emanationistica* si omnia ex propria et intima divina substantia educta putantur: ut factum a Chaldaeis, Judaeis plurimis, Stoicis, aliisque; *Genesiurgica* si ex paucissimis Archis initialibus omnia per generationem et per seminalem explicationem facta putantur, ut in Theogoniâ Hesiodi. *Plasturgica* si ex praeexistente materia Mundi creduntur conditi, ut a Platonicis.

II. *Quoad formas et figuras Deorum.*

1. *Panthea* dicentur *Symbolica* si Typos divinos Pneumaticos, Asomaticos, Incorporeos per signa quaedam et *Symbola*, puta, *Geometrica*, ut per Circulum, Quadratum, Cylindrum, Conum etc. designamus atque exprimimus. 2. Dicentur *Iconographica*, *Agalmatographica*, si Dii exhibentur figurâ humanâ, vel quasi humana: et maxime si Agalmata et Simulacra divina profunda sollertia per *Symbolosophiam* tum *I*-

deographicam tum *Lexeoschematicam*, et per duplicem Linguam scite conduntur et componuntur, ut fecisse Aegyptios, Indos, Graecos, Etruscos editis iam et vulgatis pluribus Speciminibus nos ipsi ostendimus.

3. Quod si Deos vel Daemones per ipsa corpora Mundana, per ipsa obiecta quae videmus et tangimus exhibemus atque exprimimus *Pantheum* dicitur *Fetiscisticum*: Qui tamen *Fetiscismus* esse potest varius et multiplex.

4. Nam si Corpora Mundi, Stellas, Planetas, Animalia, Plantas habemus, ut Signa tantum et Symbola Deorum *Fetiscismus* erit *Symbolicus* et *Hierographicus*. Si Dii putantur inumbrare adsistere incumbere Corpori selecto et consecrato; si Dii putantur praesentes adhaerentes Corpori selecto *Fetiscismus* dicetur *Epiphanicus*, *Talismanicus*, *Ensomaticus*, adsistens: Quod si Dii putantur facere ipsum spiritum animam essentiam Corporis designati et selecti tum *Fetiscismus* dicetur *Physiotheisticus*, *Idiotypicus*, *Idiosomaticus*.

5. *Fetiscismus* praeterea dicetur *Barbaricus* si a Populis Barbaris adhibetur, et per leves et tenues rationes *Corpora* aliqua declarantur *divina*: Scilicet per quamdam Pulchritudinem, Magnitudinem, Raritatem Animalis, vel Plantae etc. 2. Dicetur *Sacerdotalis*, *Systematicus*, et *Casticus*: si Casta Sacerdotalis condit pro sua Plebe *Pantheum Fetiscisticum*. 3. Ut *Fetiscismus* dicetur *Asceticus*, si Ascetae Hylobii et Eremitae, ut plerique Gymnosophistae Indi, electas aliquas Plantas consecrant, et faciunt symbola Deorum suorum, quasi praesentia et Epiphanica, nempe Fetiscistica.

6. Caussae autem per quas aliquod Corpus mundanum habeatur symbolum et signum delectum vel proprium alicuius Dei plures. Pulcritudo, ut innuimus, Raritas, magnitudo. 2. Relationes characterum et proprietatum physicarum, quas sive vere sive falso Sacerdotes detexisse affirmant inter Corpus illud et Deum. 3. Similitudo et Homiophonia Nominum et Cognomi-

nem illius Corporis, Animalis, Plantae cum Nominibus et Cognominibus Dei, adeo ut et haec Nomina et ipsum Corpus possent esse Symbolum et Hieroglyphicum Dei *Lexeoschematicum*.

7. Rationes autem et Methodi quibus Corpora profana et communia fierent Sacra et *Fetiscistica* non tantum in electione saepe longa et diuturna; sed potissimum in *Consecratione*, et solemni quasi additione et devotione ad Deum constasse certo tenendum est.

III. *Quoad originem et formationem suam.*

1. *Panthea* sunt vel *primitiva* et originalia; vel *derivata* et deducta. *Primitiva* sunt, ut iam diximus, quae ab ipsa Mente humana per humanae Naturae *Sensiones* et cogitationes conduntur: Vel quod tradit et communicat *Deus Opt. Max.* Hominibus a se creatis. *Derivativa* et deducta illa dicuntur potissimum, quae a *Pantheo revelato*, et a Deo Opt. Max. tradito deducuntur et derivantur.

2. *Panthea derivata ex Pantheo revelato* dicentur *Barbarica*, et *Physiophthartica*, si humanae Tribus ob vitam Nomadicam, venatoriam, turbulentam, barbaricam servare non potuerunt integrum purum illibatum *Proto-Pantheum* traditum. 2. Dicentur *Heterodoxa* si Ascetae Sacerdotes Theologi Gentis et Tribus libertate cogitandi abusi, interpretatione, explicatione, additione, commentario plura in eo immutaverint. 3. Dicentur *Technotropica*, *Technoplastica*, *Cryptomorpha*, si ab Ethnarchis, Phylarchis, si per Collegia Sacerdotalia *Proto-Pantheum* Dei certa arte, certa Techne conditur, componitur, transformatur, ut nos indicamus Libro II. Sect. 2.

3. *Panthea Technoplastica* si uno et eodem artificio immediate ex *Proto-Pantheo* sunt condita dicentur *Monotechna* et *Proto-Plastica*: At si varia manu, vario ingenio, varia arte, a variis Collegiis Sacerdotalibus condita dicentur *Polytechna*, *Heteroplastica*, mixta, composita. Et quoniam vel impossibile vel difficillimum amitti vel deponi penitus ab aliqua Gente et

Tribu *Proto-Panthcum* suum; facillimum et obvium coniungi, misceri *Panthea* Tribuum et Populorum, qui unâ coniunguntur et miscentur. Hinc certo tenendum est vel semper prorsus, vel fere semper *Panthea* Gentium Polyphylarum et mixtarum esse etiam mixta composita et Polytechna. Quod satius Libr. III. Sect. I. monebimus.

4. Tandem *Panthea-Syncrètistica* illa dicuntur, quae ex quasi adsimilatione et comparatione aliorum Typorum divinorum conduntur et componuntur.

IV. *Quoad usum et usurpationem suam.*

1. *Panthea* dicuntur *Politica*, *Popularia*, communia, solemnia, quae a tota aliqua Gente recepta sunt atque adoptata. 2. Ut contra dicentur *Plebeia*, si ab una Plebe, ab una viliore Populi parte, ut in Regiminibus Casticis atque Aristocraticis, non ab universo Populo coluntur et retinentur. Nam in his Regiminibus *Panthea* propria et solemnia Sacerdotum atque Optimatum nunquam eadem sunt ac *Panthea* Plebis et Popelli infimi. 3. Adeo ut ista dicenda sunt propterea *Sacerdotalia* et *Ascetica*: Quia eorum propria et peculiaria: ut *Saniassorum* Indicorum.

4. *Panthea Mythica*, *Poetica*, *Hierographica*, *Cryptoplastica* nec proprie Popularia sunt, nec proprie Sacerdotalia: Nam nec Populus ea plene et penitus capit et intelligit: Nec Sacerdotes egent Fabulis et Symbolis. Sed a Sacerdotibus condita sunt in usum Populi, sed cryptico et obscuro modo; ut sunt *Panthea Hierographica* Aegyptiorum, Indorum, Graecorum, etc.

5. *Panthea* tandem dicentur *Philosophica* et *Scholastica*, quae conduntur ab *Ascetis* vel solitariis, vel Coenobitis, vel Scholasticis et Sectarum conditoribus: ut Philosophi plures Graecorum. Quae *Panthea* solent esse plurimum diversa a Popularibus et Politicis; adeo ut qui temere et leviter ea conferret semper et gravissime erraret; quod acute et egregie Theologi Romani et viderunt et praedicarunt. Vid. Ciceronem

Lib. III. de Nat. Deor. cap. 2. p. 175. 176. Varronem apud S. Augustinum de *Civ. Dei*. Libr. IV. c. 27. p. 63. 64. Lib. VI. cap. 6. p. 90. VII. c. 5. p. 99.

LIBER SECUNDUS

DE PANTHEONIBUS, QUI DEDUCI, FORMARI, ET CONDI POSSUNT EX PROTO-PANTHEO REVELATO.

Sect. I. *Indicantur praecipua Pantheonum genera, quae derivari, et condi possunt ex Proto-Pantheo revelato, sive Noachico.*

1. *Panthea Homiodoxa atque Idioethnica*: Nam inter innumeras Tribus *Noachidum* plures servasse et custodiisse *Homodoxiam* primitivam, vel saltem *Homiodoxiam* dubitari non potest. Quum ex alia parte *Pantheum Noachicum* Pneumaticum, Amorphum, Oligoliturgicum, oligolexicum, brachilogum singulae fere Tribus aptare sibi, commentari, explicare, et facere *Idioethnicum* cogerentur.

2. *Panthea Heteromorpha*. Nam si ipsi Populi exculti et Metaphysici egent quibusdam signis, symbolis, et simulacris ut Deos et Daemones suos significent, exprimant, et colant, facile et necessario factum, ut *Pantheum Noachicum* plane Pneumaticum et Amorphum pleraeque Tribus post Dispersionem Babelicam per *Symbola* quaedam corporea, per Stelas, Columnas, Obelos, Pyramides; per Plantas, Arbores, Lapides, per ipsa elementa Mundi, et per Stellas Coeli; ex vario ingenio, et eruditione, et ex variis necessitatibus humanis expresserint et designaverint: Quae Typorum divinorum expressio et significatio quum esse possit vel pure *Symbolica*, et indicativa: vel *Epiphanica*, *Talismanica*, et *Fetiscistica*: vel intime *Ensomatica* et *Physiotheistica*, ut ut semper iure damnetur, hac tamen variae species sunt diligentissime discernendae: non tantum ne *scutica dignum horribili insectere flagello*: sed etiam quia *Symbololatria*, Soma-

tolatria *Fetiscistica*, et *Physiotheismus* spectant ad *Panthea* invicem alia et diversa.

3. *Panthea Heterodoxa*, *Heterodogmatica*. Nam in *Pantheo revelato* vera et sincera *Orthodoxia* absque profundo humilitatis spiritu, et adsistentia *Dei Opt. Max.* non habetur: Quin statim ac accedit immodica sciendi cupido, et superbia animi, et audacia iudicandi, propriarum virium praesumtio, et confidentia statim *Heterodoxia* gignitur, atque error Dogmaticus surrepit. Hinc factum ut vera et propria creatio ex nihilo, et ex nulla subiecta materia ab unis Sanctis Patriarchis et Prophetis credita, a ceteris omnibus Theologis et Philosophis reiiceretur et negaretur: inducta in *Cosmogonia* quarta *Arche*, nempe *Hyle*, sive materia, ex qua non tantum omnes substantiae corporeae ducerentur, sed etiam *Psychae* et *Animae* omnes humanae, imo et *Genii*, et *Daemones*, et administri Spiritus et *Pneumata*, ut ut ponerentur sive genita sive emanata a superioribus *Archis*. Et inde factus Mundus *Hylicus*, informis, incertus, tenebrosus, Tartaricus. Hinc ipsa *Trias Noachica* in tres quasi *Mundos*, et Systemata divina distracta et distincta: Unde efformata *Tetractys* illa *Archica* celeberrima et receptissima omnis fere Philosophiae Orientalis et Cadmoneae, imo omnium fere Philosophorum: Nam in *Arche* prorsus prima *το αγαθον bonum* positum, et *vita*. 2. In secunda *Arche Mens*, *Ratio*, Idea, forma, intellectus, Scientia, Sapientia: unde etiam Idola et Mens Democriti, et Dii Epicuri, et λογοι σπερματικοι Stoicorum. 3. In Tertia *Arche Physis Genesiurga*, Anima et Spiritus Mundi, Deus genitalis. 4. In quarta Imperium *Anangeo*, et Entia minora omnia *Psychae*, *Daemones*, *Genii*, saltem aliquando.

4. *Panthea Popularia Oligotypica*. Nam quum ipsa *Trias Archica* Noachidum, ut ut aucta *Tetarti Hylica* esset semper fons et origo unica Deorum magnorum et Classicorum, numerus horum Deorum apud plurimas Tribus non potuit esse nisi angustissimus, ut ite-

rum animadvertemus Libr. III. Sect. 2. et Libr. VI. Sect. 4. Hinc saepius intra binarium clausus: Ita ut Deus Vivorum et Genitorum sit habitus *Spiritus* ille *Divinus Chaocraticus* omnia ex *Chao* gignens et producens: unâ Genitalis et Legifer, unâ foecundus et fatalis: Et ex Deo *Idepegaeo*, *Spermatogonico*, Demiurgo Mundi, et Mortuorum Regi, et futuri saeculi Domino, ut dicemus iterum alibi.

5. *Panthea Poëtica*, *Mythica*, et *Cosmochronica*: ut ea sunt, de quibus agimus in sequenti *Sectione*.

6. *Panthea Ascetica*, *Philosophica*, *Tetracosmica*. Nam Ascetae plurimi, Theologi, Naziraei plures, Sanctis unis exceptis, qui divinae Revelationi accuratissime adhaerent, tres *Archas Usiopegacas*, additâ quartâ *Hylicâ* in *Tetracosmum Emanationisticum* transformant: Et fingunt primo Mundum exsuperantissimum, quo Deus primus plane αγνωστος manet, et ipsi Platoni minoribus Entibus incommunicabilis, et etiam imperscrutabilis. 2. *Mundus Idepegaeus*, intelligibilis, Νοητος, sedes Dei secundi, Dei filii, Dei Creatoris, et formatoris. 3. *Mundus Generationis*, et vitae animalis, Mundus *Physis*, *Naturae*, fluxus, fluens, currens, et quo tertius Deus, ut *Anima* et *Spiritus* manet. 4. Quartus tandem *Hylicus* informis, Tartaricus, ex quo Mundus hic fluxus educitur, et in quem corruptione redit et recurrit.

7. *Panthea Dualistica* et *Tricosmica*. Scilicet alii plures *Ascetae* et Theologi erunt, ut Aegyptii Typhonii, Medi Ahrimanii, Manichaei, etc. qui *Deum Opt. Max.* in supremo Mundo collocato, et Mundo Hylico in Tartarum depresso, medium Mundum humanum quasi inter duo Tabulata ponunt; Et utriusque Mundi adversi Principem in Mundum medium Demiurgicam suam vim exercere docent.

8. *Panthea Monocosmica* et *Uranodromica*: Quin tandem erunt alii qui unum Deum et unum Mundum volentes, et creationem ex nihilo non capientes absurdum *Cosmotheismum* inducent Deum Mundo, et Mun-

dum Deo intime commiscentes. Quod non Metaphysico tantum conceptu, sed etiam physice faciunt. Nam affirmant hanc Terram nostram esse in ipso centro *Monocosmi* sui, et Coelum et Mundum vertigine perenni circa Terrestre centrum verti et circumagi: Unde tum necessarius *Physiotheismus*, tum *Fatalismus* absolutus eis oritur, et constituitur.

Sect. II. *Indicantur rationes et Methodi, per quas Proto-Pantheum Noachicum et Proto-Historia Mundi possint in varia Panthea Poetica et Mythica transformari et converti.*

1. *Typomerismus Poëticus*; *Maritalis*, *Fratriacus*, *Sororius*: Scilicet *divisio* et *fractio Typorum Archicorum* in duas, tres, pluresve partes, quasi in virum et uxorem, in plures Fratres, vel Sorores. Ita si Tertium Typum Archicum, Typum *Genesiurgum* in Masculum et Foeminam dividis, puta in *Martem* et *Venerem*, in *Jovem* et *Junonem*, in *Parvadim* et *Sivam* elementum insigne habebis *Panthei Poëtici* et *Mythici*. Praeterea si eumdem hunc Typum unâ *Genesiurgum* et *Fatalem*: ut *Fortuna* Italica, et *Themis* Pelasgica: Tu ita dividis, ut Typus Genitalis et foecundans discernatur a Fatali, ut *Venus* ab *Adrastia*, quasi essent Sorores habes iam elementa duo *Panthei Cabirici*. Si *Animam Mundi*, quam et in *Centro* et in *Peripheria* Sphaerae diffusam Theologi statuebant Vid. Platonem in *Timaeo* p. 710. 711. et Proclum in *Timaeum* p. 216. Tu in tres quasi loca, et sedes et Personas dispescis, et dividis, Tartarum, Mare, Coelum, et unum adeo eumdemque *Kronum* in tres Filios dividis et partiris nempe *Aidonaeum* Tartaricum, *Posidaonem* Gaeeochum, et *Jovem* Acraeum, et aethereum Elementa ponis *Panthei* Poëtici et Mythici *Hellenici*.

2. *Typomerismus Genealogicus*, *et filialis*. Quin si ipsas Mundi Vices, ipsas Terrae nostrae Catastrophes, ipsam Protohistoriam Hominum et Rerum per Typos divinos volumus significare atque exprimere opportu-

num et ingens adiumentum nanciscemur in *Typomerismo Filiali*, et *genealogico*. Nam si secundum numerum Epocharum Mundi, et insignium conversionum Rerum Generationes Deorum novas, et quasi novas Deorum Familias et *Dynastias* fingimus, et novos adhuc filios ponimus *Pantheum* habebimus *Mythicum*, *Cosmotropicum*, et *Cosmochronicum*. Et profecto si tu Mundanam Epocham Gaeogonicam et Astrogonicam vis Poëticê significare poteris recte facere cum Hesiodo per Familiam et *Dynastiam Gaeae* et *Urani*: Tum complementum *Cosmogoniae* et Mundum Antediluvianum potes per *Kronum* et eius *Dynastiam* significare: Et *Krono* per Diluvium in Tartarum deiecto Olympum occupabit *Dynastia Jovialis* pluens tonans fulgurans, novo Rerum ordine post Diluvium posito, qui mira claritate in Mythis Graecorum expositus est. Vid. p. 217. 218. Qui novus ordo a Diluvio inductus, quum non fuerit vel immutatus vel eversus, ideo duravit perennis *Dynastia Jovialis*, a *Bacchicâ* tantum et *Dionysiaca* in fine Mundi evertenda. V. p. 176. 177. 202. 203. etc. etc.

3. *Typagogia Hylica*. Quod si Poëta Theologus non tantum indivisa frangere et coniuncta dividere; sed contra divisa, multiplicia, numerosa in unum Typum, in unitatem contrahere et confundere instituit: Si omnes Humanas Animas quasi *Animam* unam; si omnes Angelos et Daemones quasi unum *Daemonem*, si universos Homines quasi *Hominem* individuum et unum considerare et repraesentare instituit: Si omnia coelestia Pneumata, omnes administratorios Spiritus in unâ *Minervâ*, in unâ *Athenâ Pallade* colligit et considerat; si omnes Hominum mortuorum Animas omnes Lares et Manes in *Hermete* uno, in *Mercurio* colligit atque adunat: Si omnes Hominum Animas quae in Generationem expiationem et purificationem veniunt in unâ *Proserpinâ* exhibet et significat: *Pantheum* dubio procul condet profunde *Poëticum* et *Crypticum*.

4. *Stilus Hierographicus*, *Symbolicus*, *Hieroglyphi-*

cus. Per quem formae, vestes, ornatus, symbola Deorum definiuntur et adsignantur, et per quem ipsa *Iconogrammata* Deorum, ipsa *Hieroagalmata* efformantur. Duplex autem eius fons. Nempe *Ideographicus* unus, ille nempe qui ex *Ideae*, characteris, et naturae consideratione similitudines quasdam et congruentias quaerit in obiectis Physicis: Ut quum *Apollo Aretimius*, vel *Vedius* finalis et Mundi eversor cum *Spiculis*, *Sagittis*, *Arcu* exhibetur: Et *Lexeographicus* alter, quo ex Nominum et Cognominum Homiophonia in Lingua Sacra arcana et Noachicâ seliguntur obiecta et Res quae Sacrae et Homonymicae sint Deo vel Deae: Ut quum *Isidi* Deae רחם RCM *misericordi* bonae sacratur Gallina *picta* רקם RQM. De quo Stilo *Lexeoschematico*, ut fundo omnis *Scripturae Hierographicae veterum Gentium* pluribus disseruimus in *Fundam. Script. Crypticar.* iam ab ann. 1830. editis pag. 400.

5. *Lingua duplex.* Usus scilicet simultaneus duarum Linguarum diversarum: Quarum una Sacra, Theologica, arcana, incommunicabilis: Altera publica, popularis, nota: Una nempe originalis, Noachica, Grammatodynamica, Amorpha, vel pauromorpha: et alia declinata et Eumorpha, ex Dialectis Popularibus Physiophtharticis et Lingua arcana per labores et studia eorumdem Theologorum, Ascetarum, Philotheorum, Poetarum efformata, ut iam indicavimus in *Fundam.* nostris *Glossosophicis* pag. 274-279-301-304. Nam per duplicem Linguam Theologi Poetae non modo servant fundamentalem illum Crypticismum, de quo iterum etiam mox, sed mire augent et efficiunt. Tum data duplici linguâ *Stilus Hierographicus*, Mythicus, Poeticus faciles, uberes, varii, multiplices, copiosissimi: ubi si una tantum datur, steriles omnes fiunt, infoecundi, et muti. Nec alia profecto caussa cur tota Asia Mesopotamica et Syra ita muta et sterilis in Hierographicis et Mythicis documentis fuit, nisi Lin-

quae Popularis usus, quae una esset eadem ac sacra et Theologica.

6. *Mythificatio profunda et Bathytechnica*: quae habetur tum per *Stilum Hierographicum*, tum per *duplicem Linguam* : tum per *Enchorificationem* factorum Mundi in propria Regione: per *Enchronificationem*, sive per interpolationem veterum factorum Mundi inter recentiora facta Gentis : Per *Ethnificationem* sive per adpropriationem factorum Generis humani quasi ad unam Gentem suam spectassent: Ex qua *Mythificatione* et enchorificatione fit, ut facta *Proto-Historiae* Generis Humani et Mundi inveniantur quasi facta enchoria, peculiaria, et Idioethnica Atticorum, Arcadum, Argivorum, Thessalorum, etc.

Sect. III. *Recensentur caussae ob quas conduntur Panthea Poetica et Mythica.*

1. *Crypticismus Theologicus*. Dogma scilicet veteribus omnibus firmum et inconcussum, et pertinacissime praedicatum : Sancta Sanctis tradenda : Sacra puris et castis communicanda. Profani et impuri arcendi; Et his vix per symbola tantum, figuras, fabulas, mythos, tropos aliqua Dogmata tradenda.

2. *Crypticismus Metaphysicus* : Ex alio dogmate Theologico. Non esse proponenda imperitis, ignaris, rudibus, agricolis, artificibus Dogmata profunda, sublimia, ardua, quae vel irrideantur, vel corrumpantur ab eis. Non esse Margaritas proiiciendas ad porcos: Et propterea loquendum cum his per aenigmata, per symbola, per Mythos, per Mendacia Theologica, et Metaphysica, ut Timacus Locrus, ut Plato, ut alii plures inter Veteres aperte professi sunt, ut pluribus iam adnotavit Moshemius *Dissert. de turbata per Platonic. Eccl.* cap. 38. 39. p. 184. 185. et ad Cudworthum Cap. 4. p. 410. 412.

3. *Crypticismus Politicus Laocraticus* : Scilicet propositum et consilium condendi Regimen Casticum vel Aristocraticum severum: Quo scilicet una pars Populi debet iubere et dominari, altera servire et obedire

tantum. Atqui Casta Sacerdotalis et Aristocratica numquam faciet et reddet plane suas scientias Theologicas et Hierographicas nisi per profundissimum et Bathytechnum *Crypticismum*, quod nos etiam in *Fundam. Hierogr. Crypt.* ostendimus prolixe: et quod nondum capere hactenus voluerunt, qui Aegyptiam Archaeologiam tractant.

4. *Crypticismus Politicus Laophilus.* Quin interdum ubi Tribus populares inquietae sunt, et mobiles, ubi facillime emigrant, et loca occupata mutant, ubi vivido sunt ingenio, nisi Sacerdotes et Phylarchae per Poetici Panthei fictiones et commenta accedant, numquam fortasse sedes certas et fixas colent. At ubi Poetae Theologi omnes fere lapides Regionis alicuius certis Diis sacraverint, ubi clamaverint hîc natum *Jovem*, hîc *Neptunum* et *Palladem* pugnasse pro Terra *Attica*, hîc erupisse e Tellure *Erichthonium*, etc. Terra fiet Sacra et dilecta in singulis ferme glebis, et Populus fixus et immotus augebitur, et fiet potens.

5. *Crypticismus Poeticus.* Scilicet si Theologi proponunt sibi *Stilum Poeticum*, si decernunt scribere *Poëtice*, adhibere Stilum Poëtarum, tum fieri non potest, quin gravissimum *Crypticismum Theologicum* et *Metaphysicum* non inducant. Nam Stilus *Metaphysicus* et *Poëticus* sunt invicem adversi atque oppositi.

LIBER TERTIUS

DE PRAECIPUIS CHARACTERIBUS ET CRITERIIS PANTHEONUM VETERUM GENTIUM.

SECT. I. *Panthea veterum Gentium Polyphylarum, ut Aegyptiorum, Indorum, Graecorum, Romanorum, etc. non possunt haberi simplicia et monotechna, sed contra habenda sunt mixta, polytechna, composita, syncretistica, etc.*

1. Nam examinato revera atque excusso *Olopantheo Aegyptio*, quod confuse et temere collegerunt Kircherus, Montfauconus, Jablonskius, Hirtius, Champollio-

nus, etc. certo deprehenditur esse in eo discernendum et distinguendum 1. Pantheum *Memphiticum Cabiricum* ex Stata Ogdoade factum, et de quo saepius, et prolixe ipsi egimus. 2. Pantheum *Bubasticum* et *Buticum* Apollinis et Dianae. 3. Pantheum *Saiticum* Neithae vel triplicis, vel quadruplicis. 4. *Heracleoticum*, in quo triplex Hercules Chon, vel Chiun. 5. *Hermaicum*, in quo summa probabilitate triplex Mercurius, et ut Budda plane magnus. 6. *Tentyriticum*, sive Athergatis Syrae Ictyophilae. 7. *Ammonium* et *Libycum* Jovis sive Apollinis Oracularis. 8. *Isiacum*, in quo Osiris et Typhon. 9. *Serapicum* etc. et ita porro: Quidquid in amplissima Hierographia Aegyptia esse poterit Syncretismus horum et aliorum Pantheonum heterotechnorum et heteroethnicorum origine a Collegiis Aegyptiis Sacerdotalibus peractus. Nam totus adhuc ignotus est et incompertus.

2. Examinatis atque excussis *Pantheis Indorum* clare arguitur quatuor distincta *Panthea* fuisse olim *Indis*, et ea posse modo distingui facile, et secerni: Nempe 1. *Siviticum*, ipsum *Bacchicum*, et *Apollineo-Bacchicum* Syrorum. 2. *Visnuviticum* ipsum Oannicum et Neptunium Babyloniorum. 3. *Buddisticum* adhuc ignotum, multâ probabilitate ex arcano Aegyptii summi *Thothi* eductum. 4. *Brahmaticum* proprium Sectae et scholae *Brahmanicae*.

3. Olopantheum *Graecorum* factum primum ex Pantheis Idioethnicis et propriis illustriorum Tribuum: ut *Atticorum*, quibus fuerunt Dii magni et principes *Vulcanus*, *Apollo*, *Minerva*, etc. *Arcadum*, quibus Dii magni et Principes *Jupiter* Lycaeus, *Pan* Lycaeus, *Mercurius* Atlantius etc. 3. *Argivorum*, quibus *Juno* Archaea Dea princeps etc. Ex *Pantheo Hellenum* communi Poetico, Mythico, Cosmochronico, in quo *Uranus* et *Gaea* sunt quasi symbola Epochae Cosmogonicae: *Kronus* et *Rhea* Symbola Mundi Antediluviani, *Zeus* et *Hera* Symbola Mundi Postdiluviani, et nostri. Quod *Pantheum* etsi varium et implexum

Mythopoei Homeridae pluribus aliis et magnis Diis externis et Asiaticis implerunt. Nam addiderunt intime *Venerem Cypriam* Euphrateam Syram. 2. *Martem* Samothracium. 3. *Apollinem* Lycium et Assyrum. 4. *Dianam* Tauricam et Persicam. 5. *Bacchum* Cadmonaeum. 6. *Herculem* Phoenicium et Arabem. etc.

4. Examinato atque excusso *Olopantheo Romano*, quod innumeri hactenus confuse et inordinate collegerunt, illud mixtum et compositum facile deprehendimus ex Pantheo 1. *Cabirico* Dardaniorum, Aeneadum, et Phrygum, qui Romae recepti sunt. 2. Ex Pantheo *Aboriginum* Latinorum, quibus Janus Demiurgus, Saturnus Deus Cosmochronicus Antediluvianus, Jupiter Picus sive Mars Latinus Diluvianus, et Faunus sive Mercurius Propator fundator et Pater Gentis. 3. Ex Pantheo *Circensi* Neptuni Consi. 4. Ex Pantheo *Hellenum*. 5. Ex Pantheo *Geniolatrico* Magorum *Persarum* etc. etc.

Sect. II. *Panthea veterum Gentium idioethnica et prototechna omnia habenda sunt Oligotheistica, quoad magnos et classicos Deos.*

1. Nam primo etsi tu non adfirmares Panthea Athergatis Syrae, Anaitidis Armenae, Hecates Ponticae, Dianae Ephesiae, Mithrae Persici, Buddae Indici ex unis his Typis divinis constitisse: numerum tamen Deorum magnorum et Cosmocraticorum in his Pantheis superare numerum Triados vel Tetractys Archicae semper et recte negabis.

2. Praeterea si accurate attendimus, in pluribus et praestantioribus Pantheis a duobus maxime Typis Divinis factum et absolutum fere universum Pantheum inveniemus: Scilicet a Deo, vel potius *Dea Genesiurga* matre genitriée, unâ fructiferâ et fatidicâ, Ciborum et Legum datrice, Reginâ et Dominâ viventium: Et a Deo Demiurgo, Seminifero, Ideopegaeo, et Rege mortuorum et iam vitâ functorum. Scilicet a *Venere* et *Baccho*: *Iside* atque *Osiride*; *Astarte* et *Adonide*; *Cybele* et *Athyde*, *Athergati* et *Athy*; *Hecate*

et *Mithra*, *Bavani* et *Siva*, *Freia* et *Odino*. etc. etc. Unde vera et profunda causa pertinacissimi syncretismi omnium Pantheonum per *Solem* et *Lunam*.

3. Pantheum *Isiacum Alexandrinum* a primo Saeculo Christiano Pantheum, ut ita dicam, Generis humani, quatuor Typis divinis, ut Pueri sciunt, constitit, ex quibus detracto *Anubide* Typo *Mercurii* humano, restant tres tantum Typi divini Archici.

4. Pantheum *Cabiricum* et vetustissimum et celeberrimum, de quo saepe egimus, factum per duplicationem *Tetractys* Archicae p. 2. 16. non potest nisi illam bis exhibere. Pantheum vero *Apollineum* et *Hecatēum* magis etiam celebre et latius adoptatum, ne ad *octo* quidem Typos magnos et classicos pervenisse videtur.

5. Pantheum *Astrologicum* et *Genethliacum* ex *septem* tantum Typis diversis factum numquam tanto non dicam favore, sed furore per universum Romanum Imperium susceptum et probatum fuisset, nisi elementa ipsa fuissent iamdiu et probata et recepta.

6. Qui tandem novit discernere Deos *Krataeos* ab *Administris*, et *Camillis Geniis*, *Cosmocratica* Numina a *Daemonibus*, statim et facile sentit in quocumque vetere *Pantheo* Deos *Krataeos Usiopegaeos* et *Cosmocraticos* non esse nisi paucissimos.

7. At cur inquies, quod multi veteres Patres, quod plures viri doctissimi recentiores indicati a Fabricio in *Syllabo Script. Apolog.* p. 314. 315. prolixa opera suadere adlaborarunt insigniores saltem ex veteribus Gentibus non declaras et praedicas *Monotheisticas*? Respondeo quia falsum, quia praeter unos Prophetas Sanctos et Sanctae Orthodoxiae cultores nulla Gens, nulla Schola, nulla Secta vere et proprie fuit *Monotheistica*: Nam omnibus et singulis Sectis et Haeresibus et Scholis fuerunt *tres* vel *quatuor Archae* tres vel quatuor Mundi: et numquam vere unus et plane unus Dominus et Rex, nisi unis Prophetis. Collige cum Cudwortho et alio quocumque centurias te-

stimoniorum de summa potestate *Jovis* Hellenici, quid profecisti? si nutritus a capra, si filius Kroni, qui proiectus in Tartaro, si ipsemet a Styge tremit? Et si cum plerisque Philosophis Jovem hunc facis animam ipsam Mundi supra eum posuisti duos alios et potentiores et vetustiores Deos: *το* Αγαθον, et *τον* Νουν.

Sect. III. *In omni vetere Pantheo illustri sunt aliqui Typi divini Metaphysici: ut Typus Demiurgicus, Cosmothemelicus, Genesiurgus, Idepegaeus etc.*

1. Nam 1. *Gemelli Cabirici*, et *Dactyli Idaei* sunt *Demiurgi* p.68. 69. *Janus* Romanus, et *Mulciber* pariter Romanus *Demiurgi*: *Ganesa*, *Brachma*, *Visnu*, *Budda* in Pantheis Indicis *Demiurgi*: *Phtha*, *Osiris*, *Knef*, *Ammon*, *Hercules Kiun Demiurgi* in Pantheis Aegyptiis: *Mithra*, *Oromasdes* in Pantheis Persicis etc. etc.

2. Habendae porro sunt Deae *Cosmothemelicae*, Lapides Terrae Fundamentales, Petrae Mundi Angulares: *Isis Isidis* Aegyptia, *Astarte* Phoenicia, *Athergatis* Syra, *Cybele* Phrygia, *Parvadi* Indica, *Vesta* et *Stata* Mater Romanae, *Gaea* Hellenum; et ita porro.

3. Typi masculi, et Dii *Gaeothemelici*, et Cosmopsychici: *Jupiter* Tarpeius et Capitolinus Romanorum, ipse *Jupiter* Lapis, ipse *Terminus* immotus: ipse *Mars Lapis Manalis*. Tum' *Neptunus Consus* Γαμοχος, et ασφαλτος, quorum Nominum potestatem nec Creuzerus quidem et Guigniautus, qui modo de iis egerunt, arripuerunt in *Relig. del' antiq.* III. 2. pag. 627. 628. Ipse Zeus Hellenum, ut ut Acraeus et Coryphaeus: quia lapis initio voratus a Patre fuit, et *Anima Mundi*, docente Platone in Centro princeps, et Terrae in centro stata. *Visnu* Indicus factus Testudo sive lapis fundamenti, ut Mundus iste fieret et conderetur etc.

4. Typi divini unâ *Genesiurgi* et *fatales* unâ *Pasigenethlii* et *Thesmophori* sunt necessario Metaphysici, et adeo necessario Typi Metaphysici sunt praedicandi 1. *Fortuna* Italica, quam egregie descripsit

Arbiter. 2. *Themis* Pelasgica mater Horarum et Legum. 3. *Ceres* Cabirica Thesmophora. 4. *Isis* Legifera. 5. *Athergatis Syra*: 6. *Astarte* Phoenicia. 7. *Venus* Cypria. 8. *Bavani* Indica etc. etc.

5. Typi divini *Seminiferi* et *Idepegaei*, et iidem *Demiurgi*, et Reges Mortuorum non possunt esse nisi Typi plane summi et *Metaphysici*: ut *Bacchus* Cabiricus triplex, Triplex *Osiris*, triplex *Mithra*, triplex *Hercules*, *Adonis*, *Siva* etc.

Sect. IV. *Panthea Popularia et Politica omnium Gentium vetusturum Gaeoarchica vel Tartaroarchica habenda sunt.*

1. Primo, quia hi Populi omnes *Chaogonistae*, qui scilicet omnia educebant e *Chao*, et primum Terram hanc, et hinc serius Coelum, et Stellas, et Solem. Et quoniam etiam putabant informe et primigenium Chaos numquam totum fuisse informatum et conditum: et Entia genita ex parte et condita perenni cursu fieri iterum incondita et Chaotica, hinc in eorum animo *Tartaroarchia* quaedam circularis et cyclica constituebatur.

2. Praeterea iidem Theologi *Chaogonistae* putabant, quod *Spiritus* ille *divinus Chaocraticus* et *Genesiurgus* factus esset quasi *Lapis* fundamentalis Mundi, centrum, cor et spiritus intimus Telluris nostrae, et adeo totius Mundi. Ita ut maximam vim irradiantem et potentem non in nubibus vel etiam Stellis et Sole, sed in centro Terrae, in Ara Vestae, et Statae Matris ponerent et collocarent.

3. Quin nemo esse potest qui nesciat Deos vere et proprie potentes apud omnes veteres Gentes esse Tartaricos, Elysios, et Chthonios: *Bacchus*, *Osiris*, *Adonis*, *Odinus* Chthonii, Isis, Ceres, Venus Libitina Chthonii. Vid. hic p.27.28. Et nemo ignorat Junonem Olympicam Tellurem et Deos Tartaricos rogare et precari in *Hymno* Homerico *Apollinis* v. 335. 336. Et omnes sciunt versiculum Poetae maximi VII. Aeneid. v.312. « *Flectere si nequeo Superos*

Acheronta movebo ». Tum nota pueris *Stygis* Tartaricae Aqua, et Jusiurandum Diis Coelestibus terroris et pavoris argumentum perpetuum.

5. Tandem Dii qui in Pantheis Popularibus dicuntur Coelestes atque Olympii, non in sublimitatibus quibusdam Hyperuraniis et hyperaetheriis degere putabantur, sed in verticibus quorumdam Montium, ut Olympi, Athabyrii, Idae, Argaei, Tauri, Al-Bordi, Meru, etc.

Sect. V. *Cosmographia Uranoarchica, et Tartarorizica recentior, et propria Theologorum Emanationistarum et Dualistarum.*

1. Nam his Theologis necessario tres Mundi distincti et diversi constituuntur. Altissimus Dei boni sedes lucidissima, fixus, immotus: Secundus noster fluens, currens, rotans: Tertius Hylicus, tenebrosus, incertus, Tartaricus.

2. Et hanc *Cosmographiam* probasse et tenuisse omnes Aegyptios Typhonicos etiamsi nulla vel testimonia vel Monumenta adessent, ex natura dogmatum iure colligemus. Quin si in Zodiaco Tentyritico semicirculari Cortinam Coeli sustinent quatuor Isides rectae, quae in ipso Tartari tabulato consistere ponuntur: Tum octo Hori Hieracocephali genuflexi, qui consistere putantur in Tabulato Terrae: Utique si Deos Coelestes super Cortina Astrifera ponimus, totum Tricosmon Aegyptium habemus.

3. Hanc vel similem *Cosmographiam* fuisse Chaldaeis, tum ex Fragmentis Astrologiae suae Genethliacae, tum ex testimonio Diodori ex *Libr.* II. *Bibl.* c. 31. p. 144. 145. tum ex Oraculis Chaldaicis, quae ediderunt Patricius, Kircherus, Stanleius, Clericus, Taylorus, aliique: etsi ea condita fuissent secundo saeculo Christiano, et adhibita a Neoplatonicis usque ad sextum: evidenter colligitur. Nam frequens in his *Oraculis* mentio Mundi *lucidi* et puri, sublimis et praestantis: Tum *Hylici*, *Anangaei*, tenebrosi, mali: Tum medii nostri, quasi *Rhombi* Hecates, Turbinis, *Stro-*

phalingis rotantis; Et *Canalis*, *Catenae*, *et descensus*, per quem vis Coelestis huic medio Mundo communicatur. Et apud Diodorum Daemones Decani, qui singulis decem diebus e Coelo ad Terram, vel e Tartaro ad Terram veniunt Triplicis Mundi commercium incessanter exercent. Quem triplum Mundum plerique Gnostici, et omnes Manichaei tenuerunt, quidquid Beausobrius obstinatissime ignarus verae *Cosmographiae* veterum Gentium falso contenderit.

4. Quin istam vel similem *Cosmographiam* fuisse etiam vel omnibus vel plerisque Pythagoricis, tum origo et fons Philosophiae Pythagoricae, tum rerum humanarum Cursus, et Graecae Astronomiae historia, tum genuinus et sincerus sensus fragmentorum Philosophiae Pythagoricae invicte demonstrant. Et profecto Ignis ille centralis, illa *Estia* Mundi, quam Pythagorici ponebant non potest esse nisi Axis Mundi Chaldaicus, *Canalis* lucis divinae igneus, Polus Mundi, Fusus Parcarum, circa quem Sphondyli et Verticilli Mundani sive Planetae et ipsa Terra nostra ut Rhombi et Strophalinges Hecates rotarentur: v. Platon. Lib. X. Reip. p. 674. Praeterea si *Sphaerus* magni Empedoclis est Mundus Coelestis intelligibilis fixus constans: si erat eidem Philosopho *Hyle* amorpha invisibilis infinita inexhausta in Chao et Tartaro: vide Pseudo-Plutarch. *De Placit. Philosophor.* I. cap: 5. Si Mundus noster factus ex Φιλία et Νίκη, fluxus, ruens, currens: utique huic maximo Pythagorico triplex fuit Mundus, et *Cosmographia* Chaldaica. Idem fere sensisse et praestantissimum Philolaum ex duobus locis servatis a Stobaco colligo: sed quia loci hi gravissime luxati sunt, et angustiis loci vetor, ultra transire cogor.

5. Homerus etiam etsi saepius ut Poeta Popularis Jovem et Deos Coelestes per nivosa Gacumina Olympi collocasset, saepe tamen ut Theologus sublimius et praestantius Coelum aperte indicat, et quandoque ipsum hunc *Tricosmon*, quem dicebamus. Nam Iliad.

ϑ. sive VIII. v. 20. 21. *Catena* illa *aurea*, de qua innumerae absurditates sunt recitatae Vid. *Acc. Inscript.* Tom. X. p. 653. 654. 12. satis clare et recte explicatur si tu Olympum Homericum habes hîc ut Axem Meso-Cosmi nostri, ut Fusum Platonis, ut Axem Turbinis et Rhombi Mundani, ad caput cuius Fusi in Coeli Tabulato infixo, quod est v. 25. περι ῥιον Ουλυμποιο, *Catena* illa adligatur, et suspenditur. 2. Praeterea si meminerimus Typos Divinos Foemineos esse saepe ipsos masculos alia facie et forma consideratos: Si meminerimus Jovem Graecum esse *Cosmo-psychicum* aperta etiam confessione Philosophorum: Si meminerimus expansionis et dilatationis Mundanae animae ex Timaeo Platonis: etiam capiemus clare suspensionem illam *Junonis* sive *Herae* ab Olympo et Tabulato Coeli, de qua Homerus *Iliad.* XV. sive O. v. 18. 19: et inde Phornutus cap. 17. pag. 171. *Gale*: et Heraclides in *Allegor. Homer.* p. 463. *Gal.* et suspensas pedibus *Incudines*, sive *Terram* et *Mare*. Ubi Jupiter non agit Personam Viri, sed Demiurgi maximi et Hyperuranii, ut Deus Platonis in *Timaeo*.

6. Nec tandem dubito quin illa Sella et Cathedra a solertissimo Vulcano fabricata, qua Mater *Hera Cosmo-Psyche* detineretur, et contineretur, de qua non semel Pausanias agit in *Atticis* pag. 18. in *Laconicis* p. 99. et 101. Et Plato II. de *Republ.* non sit habendus *Mesocosmus* noster, *Rhombus* iste rotans, et gyrans.

Sect. VI. *Cosmographia Monocosmica Gaeocentrica-Asterodromica recentissima, et ab unis Astronomis et Philosophis Graecis recepta.*

1. Ante Parmenidem Eleatem, et Euripidem Atheniensem fuisse vel Astronomum Graecum, vel Philosophum, qui Coelum et Stellas circa Tellurem nostram quasi centrum perenni rotatione faceret gyrare demonstrari non potest.

2. Data Pragmaticâ Historiâ Astronomiae Graecae: Data vel ignoratione vel dubitatione Socratis Attici

in libris Platonis de genuina Telluris forma, de qua ipsa inepte disseruerat maximus illius aevi Astronomus Anaxagoras Clazomenius Periclis, Euripidis, et aliorum magnorum Virorum Praeceptor: Data Telluris nostrae poeticâ et ridiculâ forma in *Phaedone* Platonis: Datis Insulis Fortunatis, et Atlantide Platonis heteroclimatericâ: Dato Platonis Tartaro, et omnium Animarum Tartarica circulatione: Dato Parcarum Fuso, et Sphondylis Planctariis circa Fusum impositum Genibus Ananges in Tabulato Tartari: evidens est ipsa Platonis aetate vel neminem, vel plane paucissimos ex Philosophis *Monocosmismum Geocentricum* et *Uranodromicum* recepisse et probasse.

3. Plures Ecclesiae Christianae Patres Latinos et Graecos, et omnes Syros aperte reiecisse et respuisse istam *Cosmographiam* notum est.

4. Omnes Patres Christiani, qui de Abysso aquarum terrestrium incommensurabili, qui de aquarum abysso Hyperuranio, qui de Firmamento Coeli, qui de Edene heteroclimaterico, qui de praestantia Orientis loquuti sunt, numquam istam *Cosmographiam* Uranodromicam et *Monocosmicam* probare et recipere potuerunt.

5. Aliquem Ecclesiae Christianae Patrem sive Graecum sive Latinum *Cosmographiam* huiusmodi tenuisse certo probari non potest, quidquid Patuzzius in Montfauconum et Calmetum obiecisset.

6. Theologi Hebraei cuiuscumque aetatis, ne ipso quidem Philone Alexandrino in genuinis et sinceris eius libellis excepto, ut iam recte Calmetus et Montfauconus animadverterant, *Cosmographiam* huiusmodi numquam probarunt.

7. Quin Theologos Chaldaeos, Medos, Aegyptios, Indos, sive Brachmanes, sive Samanaeos probare et tenere *Monocosmismum Uranodromicum* impossibile: Quidquid ex una alterave vocula apud Strabonem aliumve veterem Scriptorem inepte quis et temere possit colligere contra.

LIBER QUARTUS

DE ORIGINE ET FORMATIONE URANOGRAPHIAE GRAECAE ET NOSTRAE.

Sect. I. *Uranographia Graeca non est Astronomica.* Scilicet non est formata primitus ab *Astronomis*, per regulas, et Canones *Astronomicos*. Nam *Asterismi*, *Zodia*, Schemata Coelestia *Astronomice* constituta, omnia sunt locis suis propriis et Astronomicis constituta, omnia sunt congruo ordine, symmetrica, regularia. Atqui contra *Megaloschemata Uranographiae* Graecae omnia fere inaequalia sunt, inordinata, confusa, modo recta, modo inversa, modo cadentia, fracta, dimidia, parva, ingentia, et pleraque statis et insignibus locis *Astronomicis* haud congrue et rite respondent.

Sect. II. *Megaloschemata Asterographica Graecorum non sunt originis et formationis Theologicae.*

1. Nam primo fuissent *Microschemata Monastrica*, vel *Oligoastrica*. ut significarent « Λαμπρους Δυναστας Εμπρεποντας αιθερι » ut appellat grandis Aeschylus in *Agamemn*: et ut sunt Asterismi Sinensium, Mogullensium, imo et Decani Aegyptiorum.

2. Secundo, quia pleraque saltem fuissent formâ *Isanthropicâ*, vel mixtâ, ut Decani Aegyptiorum.

3. Tertio quia Nominibus et Cognominibus Theologicis instructa ad nos pervenissent.

Sect. III. *Sed originis sunt Mnemonicae, Chronosemanticae, et Asterographicae.*

1. Nam primo *Megaloschemata Uranographica* commode atque opportune his usibus inserviunt. Ita ut si quis ad gloriam et dignitatem Gentis suae arbitratur spectare *Ursas Arcadicas*, *Navem Argo*, *Equum Pegasum*, *Perseum Gorgoniferum* etc., ponet in Coelo etiam per ingentia Morphomata has Figuras, et hoc pacto unâ Rerum vetustarum memoriam et gloriam Gentis servabit, unâ habebit Astra Coeli per eorum membra et partes competenter notata et de-

scripta : et unâ ipsa Anni tempora et opera Rustica indicata, et significata.

2. Secundo, quia Scriptores omnes Graeci Latinique, qui de origine *Uranographiae* Graecae egerunt, unanimes omnes et pertinacissime ad Mythicismum Mnemonicum confugiunt, et unum probant et statuunt.

3. Tertio, quia consideratis revera *Zodiis* et *Morphomatibus* Coelestibus Graecorum intime probabilis consensus iste Scriptorum deprehenditur. Nam quaerere et flagitare in omnibus et singulis *Zodiis* et *Morphomatibus* Graecorum rationes Physicas, caussas Physionomicas, relationes intimas cum Mundo, cum Kalendario Rustico, et Operibus Agricolis, ut volebat Dupuisius, non est tantum errare, sed mera somnia fingere. Nam vix in paucissimis *Zodiis* et recenter nominatis relationes quaedam Physionomicae possunt iure et probabiliter admitti.

Sect. IV. *Ante septimum Saeculum Prochristianum fuisse plures Gentes tum Graecas tum Barbaras, quae quatuor, sex, octo insignia Sidera, sive Asterismos etiam Megaloschematicos observarent et adnotarent dubitari non potest.*

1. Primo, quia data tantum Civilitate Pastorali et Nomadica, haud gravissimâ cura, et ingenti studio quatuor, sex, octo Sidera observantur per anni spatium, et adnotantur.

2. Secundo quia aliquot Siderum observatio ad vigilias Noctis distinguendas, ad plura Agraria opera, et ad Navigationem vel utilis vel plane necessaria.

3. Tertio quia inter Documenta et Monumenta singularum Veterum Gentium illustrium sempen quatuor, sex, octo, sive Nomina et Vocabula, sive Figurae et Formae Astrorum insignium deprehenduntur et colliguntur.

Sect. V. *Ante septimum Saeculum Prochristianum nullam Humanam Gentem diligenter observasse et accurate descripsisse plusquam septem vel octo Sidera Coeli est aeque certo tenendum.*

1. Nam ex una parte neque Monumenta authentica et genuina possunt proferri, nec Documenta et testimonia aequa: non Aegyptiorum, non Chaldaeorum, non Phoenicum, non Indorum, non Sinensium: et qui credit, pueriliter et imbecilliter credit: et ex alia parte omnia et singula Monumenta et Documenta verae et realis Astronomiae absumi, disperdi, amitti: vel absque Monumentis et Documentis idoneis veram et realem Astronomiam condi et formari aeque prorsus impossibile.

2. Aliquam Veterem Gentem ante eamdem aetatem, praeter *Phosphorum* atque *Hesperum*, ut invicem diversos, Planetas reliquos Mercurium, Martem, Jovem, Saturnum accurate novisse, observasse, adnotasse certis argumentis et testimoniis demonstrari non potest: et qui credit pueriliter credit. Ita ut etsi valde probabile sit saltem a Chaldaeis iam ab hoc septimo atque octavo Saeculo Prochristiano distinctos et signatos Planetas Saturni, Jovis, Martis: eis tamen horum Planetarum accurata sciéntia et Theoria ne recentiore quidem aetate potest certo tribui atque adsignari.

Sect. VI. *Uranographia Graeca extrazodiacalis non est originis Aegyptiae.*

1. Primo quia ex Monumentis Astronomicis Aegyptiorum, quae adhuc supersunt, et plures collegerunt atque ediderunt, constat Schemata extrazodiacalia Aegyptiorum esse penitus diversa a Graecis et nostris, nec ea posse mutuo conferri et comparari.

2. Secundo quia iam nonnulli docti Viri inter Veteres, ut Plutarchus, et Achilles Tatius monuerant generatim *Uranographiam Aegyptiam* esse aliam et diversam a *Graeca*.

3. Tertio, quia Collegia Sacerdotalia Aegyptiorum ex Analogiâ *Decanorum* receptâ et constituta etiam Morphomata Extrazodiacalia per *Microschemata* non per *Megaloschemata* expressissent.

4. Quarto, quia inter *Hieroschemata* Idioethnica

Aegyptiorum quaerere *Ursas*, *Centauros*, *Pegasum*, *Cetum*, *Navem Argo*, etc. desipere est.

Sect. VII. *Uranographia Graecorum Extrazodiacalis non est originis et formationis Chaldaicae.*

1. Primo, quia nulla adsunt Monumenta et Documenta, quae id vel levissime suadeant; et non difficile, ut iam diximus, sed impossibile, vel omnia Monumenta et Documenta edita absumi et perdi: vel Scientiam Astronomicam absque Documentis et Monumentis fundari et constitui.

2. Secundo, quia nullae Traditiones, nulli Mythi, nullae Fabulae Sacrae *Schemata Asterographica* Graecorum ad Chaldaeos, Babylonios, et Assyrios referunt: Et si inter Schemata Olympica Graecorum est *Cepheus*, *Cassiopeia*, *Andromeda*, non sunt profecto ut argumentum Scientiae Astronomicae Chaldaeorum, sed in demonstrationem *Assyrocratiae*, et Dominationis veteris Graecorum et *Argivorum* in Assyrios et Chaldaeos.

3. Tertio, quia Chaldaei Theologi per *Microschemata* sua tantum, non per *Megaloschemata* Graeca exhibere potuissent Deos suos extrazodiacales.

4. Quarto, quia ex Traditione Diodori Siculi II. *Bibl.* c. 31. p. 144. 145. Chaldaei isti extra Zodiacum ex parte Boreae collocabant XII. *Dicastas*, et XII. ad Meridiem: Quae divisio, ut omnes sciunt, cum Numero *Megaloschematum Graecorum* minime congruit.

5. Quinto, quia quaerere et agnoscere hos Deos, et divinos *Dicastas* Chaldaeorum in *Ursis*, et *Dracone* Polari, in *Pegaso*, *Lyra*, *Hydra*, *Ceto*, etc. etc. desipere est.

Sect. VIII. *Zodiacus Graecus non est originis et formationis Aegyptiae.*

1. Primo quia Monumenta Aegyptia *Zodiacalia* prae vetustate et amplitudine Gentis sunt plane paucissima: et certo adeo argumento ea non esse Idioethnica atque originalia.

2. Secundo, quia ista Monumenta *Zodiacalia* Ae-

gyptiorum sunt certo recentia, et ipso Octaviano Augusto posteriora : Quod non constat nobis per Alphabetum Hieroglyphicum Champollionii, quod nihili est, et prorsus imaginarium, ut nos iamdiu prolixe ostendimus in *Fundam. Herm. Script. Crypt.* p. 177-207. et *Praefat.* sed per alia intrinseca argumenta.

3. Tertio, quia *Morphomata Zodiacalia* Graecorum ita simplicia sunt et nuda, ut nullam Scripturam Hieroglyphicam formare per se et perficere potuerint. Quod certum est non modo per *Fundam. Herm. Scriptur. Crypt.* à nobis edita, sed etiam per ipsa Monumenta *Aegyptia Zodiacalia*, in quibus Signa Coelestia Idioethnica et originalia omnia sunt profundo artificio et multiplici condita.

4. Quarto, quia falsum est per XII. Signa Graeci Zodiaci recte et apte significari XII. Deos Aegyptios. Quum in pluribus Monumentis Aegyptiis genuinis una *Isis* comprehendat et teneat *Zodiacum* totum : Quum in nulla Civitate Aegyptia culti sint XII. Dii ; nec XII. Dii fuerint universi Aegyptii, nec aliquis adhuc inventus, qui hos XII. Deos Aegyptios recte definiverit, discreverit, numeraverit, ordinaverit.

5. Quinto quia est aeque falsum per Zodia Graeca clare significari opera et necessitates Rusticas et Agricolas Aegyptiorum, etiamsi ordo signorum invertatur : in qua vertigine quamdiu vixit frustra laboravit Dupuisius.

6. Sed si *Schemata Zodiacalia* sunt Graeca non Aegyptia, quomodo, dices, conspiciuntur inter genuina et Idioethnica Aegyptiorum ? Ut conspiciuntur, ego inquam, ipsa haec *Schemata Zodiacalia* inter plura Idioethnica *Arabum*, et *Persarum*: Scilicet adoptione. Nam, ut dicebamus, omnia Monumenta Astronomica Aegyptiorum sunt recentia: Et funditus nihili sunt ac intime futilia Somnia Seyffartiana, et iamdiu notum Astrologiam Genethliacam et Planetariam vix aetatem Ciceronis et Caesaris attingere. Quid autem mirum esse potest, ut a tribus Saeculis constituta Schola Astrono-

mica Alexandrina aliqua Schemata Graecorum Astronomica conspiciantur in Aegyptiis Monumentis? Tum gravissima adfuit Theologis Aegyptiis caussa adoptandi Graeca *Schemata Zodiacalia*: Scilicet divisio patria et vetustissima per *Decanos*, per quos Zodiacus in 36 non in 12 partes dividebatur; at inducto iam et recepto fere ubique Anno Macedonum et Romanorum fixo et Solari, divisio Zodiaci per Dodecatomoria videbatur naturalis et necessaria. Quid autem facerent Hierographi et Hierophantae Aegyptii? Condere XII. profunda et implexa Hieroglyphica haud difficillimum, sed turbassent veterem et receptam Religionem, Doctrinam *Decanorum*, et fecissent Monumenta Astronomica obscurissima. At adoptatis Signis Graecis nil inde Religioni Patriae mali: Sed boni plurimum colligebant.

Sect. IX. *Zodiacus Graecus non est originis et formationis Chaldaicae.*

1. Primo, quia nulla Monumenta lapidea vel metallica ad nos pervenerunt, quibus *Zodiacus* per certas et manifestas figuras huiusmodi quasi Chaldaicus idioethnicus fuisset insculptus. Et Zodiacum Astronomicum condi constitui servari absque Monumentis durabilibus, ut diximus, impossibile; ut aeque impossibile omnia absumi et disperdi.

2. Secundo quia nulla testimonia adsunt, nulla Documenta, sed tantum praeiudicia puerilia.

3. Tertio quia si Traditio formationis Zodiaci Chaldaici servata a Sexto Empyrico Libr. V. c. 24. 25. p. 342. 343. et falso Aegyptiis tributa a Macrobio in *Somn. Scipion.* Libr. I. c. 21. p. 88. 89. vera est, palam est Zodiacum Chaldaicum fuisse diversum a Graeco, et nostro. Nam per illam methodum Chaldaeorum, si minus mathematice aequales satis tamen pares potuerunt fieri omnes *Dodecatomoriae Zodiaci*, ubi in nostro omnia fere *Zodia* sunt absurdissime inaequalia, et inordinata.

4. Quarto, quia si verum est Sacerdotes Chaldaeos

praeposuisse Zodiaco suo XII. Deos *Krataeos*, scilicet non modo potentes, sed potentiores Diis *Boulaeis*, et *Dicastis*, numquam fieri potuit, ut per Schemata Zodiaci Graeci tam magnos Deos expresserint et exhibuerint.

Sect. X. *Uranographia Graeca habenda est syllectica, collecticia, polyethnica, et polytechna.*

Nam si tibi impossibile est unam aliquam Gentem sive Graecam sive Barbaram indicare, cui possis totam *Uranographiam* Graecorum iure tribuere: Et possibile et facile tibi erit origines et caussas varietatis et confusionis Megaloschematum Graecorum nosse et demonstrare si plures Gentes tum Graecas tum Barbaras advocas et coniungis; si ex pluribus Regionibus Symbola Astronomica adunas; si inaequalia, et heterotechna mixta et confusa primum expicta ponis, et deinceps religiose servata; maxime si ex his Schematibus saltem Decuriam ab Astronomis propria electione et libertate additam putas.

Sect. XI. *Mercatores Milesii et Jonici ab octavo saeculo Prochristiano ad quartum praecipui collectores habendi sunt Megaloschematum Asterographicorum Graecorum.*

1. Mercatores *Jonios* et singillatim *Milesios* ab VIII saeculo prochristiano omnem tum notum orbem lustrasse et invisisse omnes sciunt. Pontus Euxinus, Cappadocia, Armenia, Syria, Palaestina, Aegyptus, Libya ab his Mercatoribus perlustrata.

2. Ex hac autem lustratione etiamsi noluissent Popularia Kalendaria, et Siderum ortus enchorios addiscere necessario coacti sunt: Et ideo fieri non potuit, quin plurima *Morphomata* coelestia non modo Graecorum, sed etiam Barbarorum didicissent. Nam si Syrus aliquis pollicebatur Mercatori Milesio mercem ad ortum *Piscium*; si alius ad *Canem*; si alius ad *Scorpium*; si Aegyptius ad *Hydrae* ortum: utique Milesius si negotia sua volebat expedire et perficere

haec *Kalendaria* nosse et tenere debebat: imo et ea sibi expingere, effingere, repraesentare.

Sect. XII. *Astronomi Jonii et Bithyni a sexto saeculo Prochristiano ad quartum auctores veri et praecipui Uranographiae Graecae et nostrae sunt habendi et praedicandi.*

1. Nam hi et potuerunt adnotare et debuerunt expingere in Tabulis *Morphomata Coelestia* et *Zodia*, quae ex variis Itineribus reversi referebant et narrabant docti Mercatores. Et primam profecto Graecam *Uranographiam* conditam ab *Anaximandro Milesio* circa ann. 540. Prochristianum per hunc plane modum conditam tenendum est; et eodem modo auctam deinceps, ut credere par est, a pluribus Astronomis Joniis, et potissimum a *Cleostrato Tenedio*, qui aliqua Schemata addidit a se proposita: et ita deinceps usque dum vir magnus Eudoxus Cnidius ad illam fere formam quam novimus ingenti studio et magna cura adduxit, quidquid in eum maior Hipparchus obiecerit.

2. Et profecto ubi attente examinamus *Zodia Uranographiae* Graecae, omnino ea orta ex confusa et turbida descriptione *Asteroschematum* Kalendariorum Mercatorum Joniorum. Ita ut ubi in Tabulis Anaximandraeis via Solis sive *Zodiaci* fascia definienda fuit primum *Septem* in ea tantum vel octo *Zodia* indicata, hinc post *Cleostratum* novem vel decem, ut tandem *Eudoxus* undecim non plures reliquerit, quia ex generali descriptione undecim non plura Schemata in illa *fascia* incidebant.

3. Tum ex alia parte *Megaloschematibus Uranographicis Graecis* attente consideratis clare sentimus esse in eis Schemata Coeli *Arcadici*, Coeli *Attici*, Coeli *Argivi*, Coeli *Boeotici* etc. Tum recepti *Pisces Euphratenses;* uterque *Canis Syrus*; *Orion*, et *Lepus Palaestini*, ut et *Scorpius*; *Hydra*, *Corvus*, et *Crater Aegyptii*; et ita porro.

4. Quin, si in *Schematibus Uranographicis* Grae-

eorum tot adsunt argumenta *Argonautarum*, ut omnia fere ad hanc Nauticam expeditionem referri Neutonus professus fuerit, id esse non potuit nisi curâ et studio Milesiorum et Joniorum Mercatorum, et Astronomorum, qui expeditionem illam impensissime celebrarunt et coluerunt.

5. Tum si Pontus, Cappadocia, Cilicio, Assyria, Palaestina, a Joniis Mercatoribus peragrata, Perseidarum gloriâ et Monumentis repleta: Si Coelum Norticum totum fere oppletum Symbolis Perseidum id nisi a Mercatoribus et Astronomis Joniis fieri non potuit.

6. Quin data opera ab Astronomis potissimum Bithynis ut eorum Patria aperte fuisset indicata et demonstrata. Nam *Aries Cleostruti* est Aries *Hellespontius*: *Taurus* foemineus est Mater Jo, vel Pater *Javan*, *Jon*; *Gemini* sunt Gemelli *Cabiri* Samothraces; *Cancer* est Cancer Junonis *Samiae*; *Leo Herculis* Bithynici; *Virgo* refertur etiam et maxime ad Sorores Fatales, ad *Adrastiam Bithynicam*: et ita porro.

Sect. XIII. *De Zodiaci Lunaris origine et formatione.*

1. Zodiacum Lunarem, quem late adoptarunt Arabes, Coptitae, Persae, Indi, Sinenses ex Zodiaco Solari et Graeco fuisse primum divisum et fractum plane certum est atque exploratum, ipso Dupuisio fatente.

2. Quum Graeci numquam adhibuerint nec receperint *Zodiacum Lunarem*, et etiam ignorasse visi sunt, Auctores eius numquam erunt.

3. Ex Gentibus Transeuphratensibus, quae *Zodiacum Lunarem* receperunt nulla earum haberi potest eius inventrix et formatrix: Quia Zodiacum Solarem genitorem leviter et tenuiter tantum noverunt, utque adiumentum et auxilium, non ut fundamentum primum et originale.

4. Uni Arabes restant, qui iam ab aetate Pompei et Caesaris magnae partis Palaestinae et Syriae do-

mini, intime coniuncti cum Romanis et Graecis, et Astronomiae avidissimi, et vetustissimâ Religione Selenolatrae, et Nocticolae potuerunt et debuerunt circa Octaviani Augusti aetatem *Zodiacum Graecum* frangere, et *Zodiacum Lunarem* efformare: eumque primo saeculo et secundo Christiano potuerunt per sua commercia non modo proximis Coptitis, et Persis, sed remotioribus Indis, et inde Sinensibus tradere. Quarum Gentium Documenta et Monumenta genuina secundum saeculum Christianum non antevertunt.

Sect. XIV. *De natura Astrologiae Genethliacae Chaldaeorum atque Aegyptiorum vetustiore.*

Qui persuasi sunt iam a septimo saltem vel octavo saeculo prochristiano occupatos Chaldaeos atque Aegyptios in *Astrologia Genethliaca* capere animo non possunt quomodo inveniantur qui negent *Chaldaeis* atque *Aegyptiis* perfectam *Uranographiae* notitiam, accuratam descriptionem singularum prorsus Stellarum etiam Nebulosarum. Id factum quod hi non distinguunt Theologiam Astrologicam ab Astronomia Physica, quae numquam una consistunt simul et vigent, quae imo funditus diversae sunt, et quas Chaldaei et Aegyptii numquam coniunxerunt. Theologia Astrologica illa est, qua Coelum innumeris Legionibus Daemonum, Pneumatum, Spirituum, Geniorum bonorum, malorum, visibilium, invisibilium, clarorum, obscurorum, νοητων, αισθητων repleri putatur; ubi Daemon vult plus minus manifestari fit Stella plus minus clara, vel apparet in Theatro, ut *Arcturus* Plauti in *Rudentis Prologo*. Ita ut in Coelo Chaldaeo et Aegyptio Spatia Coelestia pura et Stellis vacuissima possunt repleri Spiritibus et Daemonibus longe potentioribus, ac loca quae Stellis et Astris plenissima sint. Cuius ut tu habeas exemplum longe clarius et certius age divide *Zodiacum* per *Decanos*: si attendis in ipsa *Decanorum* divisione vel nullae *Stellae* insignes et claraе; vel plane paucissimae: Interea locus *Decani* est locus *Daemonis* plane potentis et insignis: Scilicet in hac Astrologia

Theologica Astronomia vera et Physica erat prorsus nihil. Et quid si tu memineris Chaldaeis atque Aegyptiis Annum Sacrum et adeo Genethliacum fuisse vagum et decurtatum, et adeo post viginti vel triginta annos ipsa tempora esse sensibiliter falsa et absurda? Atqui Theologo Chaldaeo et Aegyptio omnia absolvebantur non per Coelum verum et reale, sed per *Theologicum Decanicum* et *Daemoniacum*, et per Cyclum Kalendarium iam constitutum et definitum.

LIBER QUINTUS

DE FALSIS ET ABSURDIS VETERUM PANTHEONUM ORIGINIBUS ET DERIVATIONIBUS.

SECT. I. *Falsum est Platonem Atheniensem vel Thaletem Milesium ignotos antea Daemones, Genios administros, ac intermedios Spiritus finxisse primum atque invexisse: Quod praeter ceteros nuper suadere adnisus est Emeric-David in suo* JUPITER.

1. Primo, quia Naturas quasdam Pneumaticas, acromorphas, intelligentes, mobiles, actuosas, non unus Philosophus Plato, non unus Astronomus Thales, sed et Epicurei omnes, et omnes Poetae, et omnis Homo sive Graecus sive Barbarus, sive Syrus, sive Scytha concipit facile et fingit animo, ut supra animadvertimus p. 229. 230. 232. 233.

2. Secundo, quia Traditiones Adamiticae et Noachicae, certissima Dogmata de Choris et Legionibus Angelorum, et Daemonum, et Spirituum administrorum non ab unis Hebraeis, non ab unis Arabibus, non ab unis Syris, sed a toto fere Genere humano servari et custodiri debuerunt.

3. Tertio, quia revera innumeri Daemones, Genii, Camilli, Spiritus administri deprehenduntur in Theologia et Religione Chaldaeorum, Assyriorum, Syrorum, qui ea ratione *Zabii* et *Tsabaistae* etiam modo appellantur, quia nempe *Militiam Coelorum*, et Legiones Spirituum Coelestium peculiari modo coluissent. Et hinc

Mysteria Angelorum Theurgica, Essenorum, Neoplatonicorum, et aliorum plurimorum Gnosticorum. Camilli et Daemones innumeri deprehenduntur in universa Hierographia Aegyptia. Innumeri in antiquissima Etrusca, quam hic ut potuimus illustravimus. Innumerae Legiones Daemonum excitantur et agunt in Pantheis Indicis. Legiones Bonorum, et Legiones Malorum Daemonum in Libris Avesticis. Legiones etiam Geniorum et Daemonum in Pantheo Romano, quos Arnobius, Prudentius, Augustinus rident. Chiliades plurimae Dryadum, Amadryadum, Napaearum, Satyrorum, Faunorum, Silenorum etc. in Pantheo Graeco.

4. Quarto, quia ut iam indicavimus Libr. II. Sect. 2. et iterum animadvertemus Libr. VI. Sect. 4. illa *Minerva* Attica, illa *Pallas* recepta ab omnibus Tribubus Pelasgorum, Graecorum, Italorum, et etiam Aegyptiorum, et Syrorum ipsa est Typus *Angeli*, ipsa est omnis *Angelus*, ipsa omnes *Angeli* per profundum et crypticum conceptum Poëticum. Et eodem modo *Mercurius* est Typus omnis *Laris* humani, est Symbolum omnium *Larium*, et omnes Legiones *Manium* in una *Mercurii* Persona sunt. Quum aequali fere ratione *Proserpina* Pelasgica ab iisdem etiam et longe plurimis Tribubus adoptata *Psyche* est, *Anima* est, Legiones *Animarum* est, omnes *Animae* humanae *Proserpina* sunt.

Sect. II. *Falsum est magnos et Classicos Deos veterum Gentium fuisse Genios et Daemones, quod plures veteres Platonici, et multi recentiores docti Viri autumarunt.*

1. Primo, quia Dii magni et classici apud omnes veteres Gentes in Pantheis suis prototechnis et protoplasiacis, ut dictum Libr. III. sect. 2. sunt paucissimi, et exiguo numero, et quos ad duos saepissime Typos potes referre: ut *Gaeam* et *Uranum*; *Kronum* et *Rheam*; *Jovem* et *Heram*; *Parvadim* et *Sivam*; *Cybelem* et *Athyn*; *Isidem* atque *Osiridem*; *Astartem* atque *Adonidem* etc. Daemones vero et Genii plurimi

sunt, ingenti semper incerto et obscuro numero.

2. Secundo Dii magni et Classici ad unam Familiam divinam et intime spectant, Daemones et Genii extra sunt, et abusive tantum Deorum filii dicuntur, non vere et proprie.

3. Tertio quia Diis magnis et Classicis est potestas vere et propria divina nempe *Demiurgica*, *Genesiurgica*, *Idepegaea*, quod numquam est Geniis et Daemonibus. Vid. p. 250. 251.

4. Dii magni et Classici *Domini* sunt, *Despotae* Mundi sunt, Daemones et Genii *Ministri* sunt, legati sunt, missi sunt, socii sunt, non Domini, nec umquam *Usiodoteres*, et *Cosmocratores*.

5. Testimonia autem sive Platonis, sive Plutarchi, sive cuiuscumque Platonici et Philosophi est prorsus nullius auctoritatis et ponderis. Nam sententia huiusmodi haud orta est ex profunda et aequa analysi Pantheonum Popularium, et Systematis Philosophici sive conditi sive adoptati; sed omnino ex Syncretismo falso et temerario Religionis Patriae et Systematis Philosophici. Ita ut nescientes Plato et Plutarchus invenire *Gaeam*, *Uranum*, et Titanes Hesiodi in suis *Tribus Archis Cosmicis*, et nolentes eos infigere Coelo ut nuda astra, nulla alia via supererat ne viderentur Religionem Patriam prorsus reiicere et respuere, nisi hos et alios Deos *Kronum*, *Rheam*, *Aidonaeum*, *Jovem*, *Posidaonem* etc. inter Genios et Daemones recensere. Ad quod faciendum alia insuper ratione Philosophi isti sunt ducti: Nam quum Deos vere magnos et primos a quacumque communicatione et commercio cum Hominibus removissent, et quacumque passione, affectione, et animi motu expertes et carentes declarassent: non potuerunt agnoscere Deos Hesiodeos atque Homericos, nisi in iracundis inquietis et turbulentis Daemonibus et Geniis. At quum dignitas et locus Deorum Graecorum non ex Dogmate Scholae Platonicae pendeat, sed ex analysi potestatum, munerum, et generationis eorum, quum iamdiu Romani Theologi et alii apud Cicero-

nem et Varronem animadvertissent: vid. hic p. 239. *Panthea Popularia*, *Politica*, et *Philosophica* esse diversa et non posse nisi ex profunda analysi comparari: Hinc fit ut dicebamus nullius plane esse auctoritatis Platonicorum opiniones et iudicia hac in re: Nam revera si hi attendissent vidissent manifesto: *Gaeam* et *Uranum*, *Kronum* et *Rheam*, *Zeum* et *Heram* esse eamdem fere illam mundanam Animam quam tertium Deum ipsi constituebant.

Sect. III. *Falsum est classicos et praecipuos Deos veterum Gentium fuisse Reges, Duces, Imperatores, Principes: vel inventores Artium et repertores Disciplinarum, ut plurimi Evhemeristae veteres et recentiores sunt opinati.*

1. Primo, quia nulli Reges nulli Imperatores esse possunt cuicumque Genti et Populo nisi late iam auctae et amplae, nisi ea iamdiu civiliter vixerit: et adeo nisi iamdiu fuisset instructa congruo et Politico Pantheo. Impossibile in Gente aliqua esse homines Reges, in qua antea non fuissent Dii. Quin in plerisque Reges et Imperatores Sacerdotes et Prophetae Deorum.

2. Secundo, quia non difficilis, sed plane impossibilis quaecumque *Apotheosis* et *Larificatio* Pantheo fundamentali et Politico non constituto et posito. Quia *Apotheosis* et *Larificatio* est tantum adsumtio adsociatio Defuncti Hominis et Laris ad certos Deos, ad notos Deos: Qui certi Dii si dati non sunt, si noti iam non sunt nec *Apotheosis* esse poterit, nec *Larificatio*.

3. Tertio, quia omnes veteres Gentes illustres tam manifeste tam clare tam insigni discrimine cultum *Larium* humanorum et *Manium* mortalium a cultu immortalium Deorum, et *Numinum* magnorum distinxerunt et discreverunt, ut Hominem quemcumque etiam a Diis genitum et custoditum, ut fuit Hercules, Diis immortalibus accensere impossibile fuisset.

4. Quarto, quia si tu attentissime lustras omnia Latercula Regum veterum Gentium, et Indigitamenta Deorum, omnes Catalogos Deorum atque Impera-

torum, numquam magnos Deos in Laterculis Regum, et numquam Reges in Laterculis Deorum invenies.

5. Quinto, quia apud plerasque veteres Gentes Dii magni et Classici, vel Chaotici sunt, vel Demiurgici, vel Chaogeniti: Quum Reges et Imperatores pluribus tantum aetatibus post potuerint gigni et oriri.

6. Sexto, quia Dii maximi et summi apud plerasque veteres Gentes foeminei sexus, cum symbolis Coli et fusi: Ut Fortuna magna Italorum, Deae Matres Celtarum, Adrastia Graecorum, Vesta Romana, et Phrygia Cybele, Athergatis Syra, Aegyptia Isis, Bhavani Indica, Venus, Anaitis, Hecate, Diana etc.

7. Septimo, quia illi, qui ex Mythis *Kroni* et *Rheae*, *Cybeles* et *Athydos*, *Isidis* et *Osiridis*, *Jovis* et *Junonis*, imo *Bacchi*, *Herculis*, *Apollinis*, et *Mercurii*, etc. gesta et facta certorum Regum et Ducum humanorum historice narrant, penitus ignari Historiosophiae et Mythosophiae humanae non Mythos explicant, sed fabulas intrinsece absurdas confingunt, et componunt.

8. Caussae porro *Evhemerismi* amplissime dilatati apud veteres et recentiores plures et magnae. 1. Prima *Isanthropismus* Poeticus et Mythicus omnium Deorum: adeo ut omnes vulgo nec *Isidem*, nec *Venerem* nossent, nisi ut Mulierculas. *Historificatio Isanthropica* omnium factorum divinorum, ut tu possis habere *Osiridis*, *Typhonis*, *Isidis*, et *Hori pugnas* Cosmicas quasi pugnas Aegyptias vel Syras Enchorias. 2. *Theandricismus*, sive Typus Divino-humanus, *Deus* et *Homo* nasciturus, passurus, moriturus: cuius passiones et aerumnae falsae historice, sed verae proleptice per anticipationem in omnibus Pantheis a Theologis condebantur. 3. *Larificatio* privata latissime recepta. 4. Mos Sacerdotalis status et receptus inventionem omnium artium et disciplinarum tribuendi et consecrandi certis Diis: etsi aliunde constaret, et scirent omnes has disciplinas et artes inveniri et perfici ab hominibus. Haec praeiudicia atque errores et tenuissima veterum et recentiorum scientia Pantheosophiae et Pan-

theopoeismi veterum Gentium causae verae tam late recepti *Evhemerismi*; quem ceterum alii longe doctiores et sapientiores, ut Cicero, et Plutarchus iure Atheismo proximum praedicarunt.

Sect. IV. *Falsum est maiores et Classicos Deos veterum Gentium Isidem et Osiridem, Apollinem et Bacchum, Venerem et Fortunam, etc. esse Elementa Mundi corporea terram, aquam, aerem, ignem, aetherem etc.*

1. Primo quia nuspiam Homines habent vel faciunt Deos illas substantias et corpora, per quae necessitatibus suis immediate satisfaciunt. Nusquam terrarum Homo frustum carnis, quod vorat, pyrum vel malum, quod mandit Deum facit, neque porro aquam quam potat, nec ignem, quo carnem suam coquit.

2. Secundo quia omnes Dii Populares Gentium Pneumatici sunt, actuosi, intelligentes, sentientes: qui characteres desunt omnibus Elementis corporeis.

3. Tertio, quia apud plures illustres Gentes nullus cultus *Elementorum*: ut apud omnes Gentes *Iconolatricas*, et *Zoolatricas*. Et si quae Gentes sunt apud quas cultus *Elementorum* videtur receptus nemo umquam probavit fuisse prorsus *Physiotheisticum* et *Somatolatricum*, et non potius *Symbolicum*, et *Fetisticum cultum huiusmodi*.

4. Quarto quia in ipsis Systematibus Philosophicis et *Cosmotheisticis* Elementa corporea, aer, ignis, aqua non sunt proprie *Dii*, imo physice corrumpuntur, et mutuo gignuntur ex uno et primo. Adeoque si Dii magni et praecipui veterum Gentium sunt vel aequales *Deo* Mundano Philosophorum, vel etiam superiores, impossibile quod potuissent respondere Elemento tantum corporeo, puta *aquae*, *igni*, *aeri*.

5. Quinto, quia revera singuli fere Dii magni veterum Gentium per plura et diversa *Elementa* expressi reperiuntur: ut *Vesta* per *Terram* et *Ignem*; *Isis* per *Aquam* et *Terram*, *Bacchus*, *Osiris* per *Aquam* et *Ignem* etc. etc. Argumento evidenti quod symbolica

tantum et allegorica non physiographica sit expressio.

6. Sexto, quia testimonia Platonicorum, Stoicorum, Neoplatonicorum, quae Vossium, Emericum-Davidem, aliosque plures fefellerunt, sunt prorsus nullius ponderis atque auctoritatis. Nam sunt temerariae et liberae affirmationes, ortae ex Syncretismo systematico, nullo aequo et rationali fundamento subnixae. Quumque hi Philosophi formationem Pantheonum Popularium et Poeticorum veram ignorarent, plures saltem ex Diis Hesiodeis in fractione et separatione Elementorum Mundi invenire et definire debuerunt.

Sect. V. *Falsum est plerasque veteres Gentes fuisse Asterolatricas, Helioarchicas, Selenoarchicas, Planeticolas: et adeo praecipuos et classicos Deos Veterum fuisse Solem, Lunam, Planetas.*

1. Primo, quia, ut saepe animadvertimus, Dii Populorum veterum maiores Cosmocratici, Pneumatici, Isanthropici, liberi, Epiphanici, non adfixi et infixi, non fatali et necessaria vertigine incessanter rotati: Adeo ut, qui ex stultitia sua Deos suos Pneumaticos posuerunt in Stellis, ut Chaldaei et Syri, naturam Stellarum immutarunt, putantes eas esse liberas Epiphanias Deorum, et ipsa spatia vacua Coeli esse non vacua Deo et Pneumate, sed tantum Epiphania sensibili et visibili. Vid. p. 265.

2. Secundo quia Dii praecipui Veterum Metaphysici, Demiurgici, Gaeothemelici, Idepegaei, Cosmopsychici, quod dici de quocumque Astro absurdum est.

3. Tertio, quia veteres Gentes ut etiam innuimus Chaogonistae, et quod caput est educentes sero de Chao suo Solem et Stellas.

4. Quarto quia diligenter excussâ Theologia Aegyptia, Persica, Indica, Graeca, Latina, Scandinava numquam in eis Stellae Coeli, Sol, Luna, Planetae quasi Dii plane magni et Classici habiti et culti; non modo non *Physiotheistice, Idiotypice et Chreiotypice*, sed nec *Fetiscistice*, et *Symbolice*: Et qui affirmant vel aperte mentiuntur, vel Veterum Theologiam fundi-

tus ignorant. Quin Planetae semper habiti ut Dii ministri, servi, minores, et tenuiores.

5. Quinto, quia characteribus Theologicis, Liturgicis, Hierographicis singulorum Deorum magnorum collectis, et coadunatis, et cum Solaribus, Lunaribus, Planetariis comparatis nulla aequa analogia deprehenditur, nulla similitudo arguitur: omnino profundissima et intrinseca diversitas. Quid *Osiris* Idepegacus, Isanthropus, per symbolum aquae et Nili expressus, Rex mortuorum et Elysii, cum Sole, qui Diem facit? Quid Bacchus, quid Adonis, quid Apollo? nisi *Sol* iste habeatur *Aedes*, Domus, Casa, qua Deus ille recipiatur, et moretur ad lubitum suum? Et nisi *Sol* ut revera ab iis ipsis Gentibus Syris, quae coluerunt, habeatur ut pulcher Juvenis Isanthropus, qui scutica et flagello equos ad cursum verberet: nisi non *Planeta*, sed *Deus*, Pneuma, Mens, Spiritus, potens, agens, sapiens, habitet et agat in *Sole*; quod plane diversissimum a Sole Planeta, et corpore mundi lucido.

6. Etiam si verum esset, quod tamen penitissime falsum, ex Brutismo Hominum muto Panthea veterum Gentium fuisse educta, nec esset inde naturalis et vera generatio *Helioarchiae* vel *Selenoarchiae*: Nam aliae longe plures necessitates humanae sunt, et sensiones, et passiones, et alia obiecta propiora, quae Soli, Lunae, Stellis fuissent in cultu et observantia praeferenda.

7. Septimo quia omnia testimonia Philosophorum insignia de cultu et religione Solari vix aetatem Stoicorum attingunt: quum scilicet Mathematicis affirmantibus Solem hunc esse ipsa Tellure nostra maiorem, dato et recepto *Monocosmismo Gaeocentrico* et *Uranodromico* necessario Sol magnum et ingens Numen habendum fuit: et quidem apud unos Astronomos et *Monocosmistas Uranodromicos*: Nam reliqui mortales innumerabiles, qui Solem hunc vel pedalem cum Epicureis omnibus fortasse numerosioribus prae Stoicis, et cum Heracliteis faciebant, vel tantum cum omnibus et longe pluribus Poëtis ut Juvenem pulcrum currum lu-

minosum ducentem habebant, numquam plane numquam ut Deum magnum et Cosmocratorem habere et colere eum potuerunt.

8. Octavo quia caussae praecipuae tam diffusi et late probati consensus de *Helioarchia* Veterum sunt 1. Primum imperita confusio *Heliolatriae Symbolicae*, *Heliolatriae Fetiscisticae*, et *Heliolatriae Physiolatricae Idiotypicae* et *Chreiotheisticae*: Quum primae duae possint etiam cum profundo et Metaphysico Pantheo bene congruere, quod vel exemplo Manichaeorum probatur. 2. *Cosmotheismus* et Physiotheismus omnium fere Philosophorum Graecorum Platonicorum, Peripateticorum, Stoicorum, Neoplatonicorum: Unde Sol pars Systematis Mundani prorsus insignis, insigni etiam loco et dignitate Cosmologica fuit considerandus. 3. Philosophi Brutistae, et *Sensualistae* plurimi etiam apud nos, qui scilicet omnem Civilitatem humanam non per Divina semina data explicatam et auctam, sed ab Homine bruto et muto per proprias vires sensim sensimque productam clamant. Nam hi Solem et Lunam non ut Symbola Deorum Sacerdotalia, sed ut obiecta quae mentem barbaricam et brutam perceller ent, considerarunt: Quae falsa re sunt. 4. Syncretismus Solaris vel Lunaris facilis et obvius: Nam si Deus aliquis dicitur lucidus et splendidus statim est *Sol* diurnus: Si Deus est Tartaricus et Elysius fit statim *Sol* nocturnus: Si laetus venit est *Sol* vernus, si moeret et patitur est *Sol* hybernus: et ita porro per similes et faciles ineptias.

Sect. VI. *Falsum est veterum Gentium illustrium Pantheo a Brutis ac mutis Hominibus vel utcumque foede barbarificatis fuisse condita et ficta.*

1. Primo quia attentissime examinatis *Pantheis Brutogenitis* et *Physiogennetis*: Vid. pag. 232. 233. et cum *Pantheis* veterum Gentium comparatis: Vid. p. 247-250 summum statim discrimen deprehenditur, et plenissima differentia, ita ut sint mutuo prorsus incomparabilia. Et qui vim invictam et insuperabilem huius comparationis eludere putant dicentes libertate ingenii

humani esse immutata: haud vident se absurda effutire: Nam opus Naturae per humanam libertatem non aboletur, nec opus non naturale conditur in Homine, et creatur ex nihilo.

2. Secundo, quia nulla illustris Gens vetus, non Chaldaei, non Assyrii, non Syri, non Aegyptii, non Palaestini, non Indi in foedam et brutam barbariem umquam prolapsi: sed semper aequâ et convenienti civilitate fuerunt instructi, quod per Historiae universalis fundamenta notum et probatum est. Vide Sect. 1. et 2. Libr. VI. et *Tent. Her. Etrusc.* p. 295.

Sect. VII. *Falsum est plures Typos divinos classicos et insignes adsumtos atque adoptatos fuisse ex Aegypto Niliaca a Palaestinis, Syris, Assyris, Graecis, Italis, quod praeter ceteros tenuerunt et praedicarunt in recentissimo opere Creuzerus et Guigniautus.*

1. Primo quia attente considerata universa Hierographia Aegyptia Idioethnica, ita diversa a Hierographia singularum Gentium ceterarum illustrium deprehenditur, ut nulla aequa comparatio possit institui. Nec unus plane unus Typus divinus Syrus, Palaestinus, Graecus, Etruscus ex Symbolis, ex forma, ex characteribus Hierographicis plane similis factus et formatus ex Aegyptio potest haberi. Quod impossibile prorsus si hi Typi revera ab initio conditi et formati fuissent a Collegiis Sacerdotalibus Aegyptiorum.

2. Secundo quia nullae adsunt Traditiones historicae certae authenticae derivationis et originis Panthei sive Syri, sive Graeci, sive Romani ex Aegypto: et qui Colonias Pastorum Phoenicum ex Aegypto vel egressas vel eiectas inclamant, hi nesciunt a Pastoribus Phoeniciis, Syris, Javanidis et Argivis esse in Aegyptum inlata omnia sua Panthea, et ibi relicta et tradita, non Aegyptia rapta atque educta; Pantheum Memphitarum, et Canopitarum Cabiricum est Phoenicium a Pastoribus inductum, Pantheum Buticum est Apollineum ex Syria inductum, et ita porro.

3. Tertio quia Aegyptus sive Vallis Niliaca in

immenso Deserto posita, importuosa, inhospitalis, incommunicabilis, Regimini Sacerdotali asperrimo subiecta numquam esse potuit idonea et apta ad communicandos Deos suos ceteris Gentibus.

4. Caussae autem praeiudicii et erroris gravissimi sunt: 1. Casta Sacerdotalis vetusta, superba, mendacissima. 2. Panthea communia: Nam Aegyptus non ab unis filiis Mesraim occupata et habita; sed a plurimis Syris, Palaestinis, Arabibus, Argivis, Tyrsenis: Quorum Apogoni plurimi servarunt semper in ipsa Aegypto Panthea sua Protoplasiaca p. 247. Aegyptus Syra homonyma, vetustior, amplior Aegypto Niliaca usque ad tempora fere Mosaica. Nam *Cappadocia* magna est *Caphtor*, sive *Aegyptus*: *Cyprus Caphtor*, sive *Aegyptus*: et *Commagene* etiam *Capthor* sive *Aegyptus*: Ex qua *Aegypto* ipse *Osiris* et *Isis* proficiscuntur in *Aegyptum Niliacam*: Quem adventum etsi Mythice a Diodoro relatum ego ferme historicum habeo. Ex qua *Aegypto Syra*, Amanica, vel *Cappadocica* advenisse Diphyem *Cecropem*, et *Erechteum* Atticum, et fortasse *Danaum*, et partem saltem magnam *Cadmeorum* certo et explorate tenendum est.

LIBER SEXTUS

DE VERIS ET GENUINIS VETERUM PANTHEONUM ORIGINIBUS.

Sect. I. *Indicantur fundamenta et argumenta conservationis et custodiae Proto-Panthei Noachici penes plurimas Tribus Generis humani.*

1. Fundamentum et argumentum primum ipsa *Natura humana* Religionum indigissima, avidissima, et tenacissima, et quae patriam et veterem Religionem suam vel numquam deponit, vel aegerrime immutat.

2. Tum Imperium Nemrodi Chusitae circa Tigrim atque Euphratem statim a Babelica dispersione constitutum. Nam impossibile condi urbes, et constitui

civitates absque certo *Pantheo* et certa Liturgia: et *Pantheum* Nemrodi Chusitae non potuit nisi in paucissimis a *Noachico* discrepare.

2. Plures aliae Civitates constitutae in Syriâ et Palaestinâ, iam a Babelicâ Dispersione, et in quibus versantur Abraham et Isaac Hebraei quasi homiodoxae, vel saltem non gravissime heterodoxae undecima aetate post Diluvium.

3. Regimina Castica et Sacerdotalia Aethiopum Chusitarum, Cephenum Chaldaeorum ad Persicum sinum, Medorum, et Aegyptiorum: quae non possunt haberi nisi adsint Chiliades Ascetarum, Nazaraeorum, Philotheistarum asperrimam et durissimam vitam ducentium, et qui primum oriri, gigni, multiplicari non possunt nisi dato *Pantheo revelato* et *Noachico*.

4. Regimina Aristocratica severa Phoenicum, Philistaeorum, Lyciorum, Cretensium, Heraclidarum, Pelasgorum omnium, et singillatim Tyrsenorum Etruscorum, de quibus egimus in *Tentam. Herm. Etrusco* p. 18-32. Nam haec haberi non possunt absque *Pantheo* arcano, profundo, traditionali, vetustissimo, et adeo *Noachico*, ut ut Poetice et Hierographice transformato, et auoto.

5. Collegia Sacerdotalia Gentium clarissimarum et vetustissimarum, Phrygum, Lydorum, Cretensium, Samothracum: *Cabiri* scilicet, *Corybantes*, *Curetes*, *Dactyli Idaei*, *Telchines* etc. quos fuisse iam collectos et constitutos Abrahami et Isaaci Hebraeorum aetate dubitari non potest.

6. Ascetae et Nazaraei plurimi Syri et Palaestini docti *Enachim*, *Raphaim*, *Zuzim*, *Zomzommim*, *Churiim*, plerique *Trogloditae*, de quibus Cappellus, Norbergius, Michaelis Gottingensis disseruerunt, iam aetate Abrahami Hebraei clari et multi.

7. Tribus plane innumerae egressae e Sancto viro Abrahamo Hebraeo, eaeque cum plurimis Japeticis mixtae. Et quamvis nemo vel exspectabit vel flagitabit puram Orthodoxiam extra seriem Sanctorum Prophe-

tarum ex filiis Jacob, nemo tamen dubitabit, quin et *Proto-Panthei Noachici*, et *Panthei* ipsius Patris magni Abrahami fundamenta et elementa praecipua fuerint a plurimis acerrimâ curâ servata et custodita.

Sect. II. *Colliguntur argumenta, quibus demonstratur Panthea Veterum Gentium revera derivata et deducta fuisse ex Proto-Pantheo Noachico.*

1. *Cosmogonia Chaoarchica* : a qua omnes veteres Gentes initia prima Divinarum atque Humanarum Rerum ducunt : ut ex testimoniis et auctoritatibus iamdiu vel collectis vel indicatis a Grotio, Conringio, Vossio, Windeto, Burneto, Mazochio, et a nobis etiam in *Pantheo Etrusco* p. 52-80. abunde constat : Et quae constitui et haberi absque divina *Revelatione* non potest, ut ut postea per humanae mentis pravitatem possit deformari et corrumpi. Nullae enim vires Homini bruto sunt, nullae humanae necessitates, nullae sensiones, per quas in Animo Hominis barbarico *Cosmogonia Chaoarchica* gignatur atque effingatur. Quin si accedit superba meditatio, et philosophia humana facillime statuitur non *Cosmogonia* et recens, sed absoluta ipsius Mundi sempiternitas, quam revera, ut notum est, plerique Philosophi propugnarunt.

2. *Demiurgia Mundi* : Traditio scilicet dogmatica perennis et constans hanc Rerum universitatem per sapientiam potentiam artificium Dei magni conditam et formatam a plerisque veteribus Gentibus, quas ipsi literati viri modo laudati citant, et ipsi nos saepe indicavimus p. 64-80. recepta et probata, ut ut ponatur depravata, oriri primum et haberi absque divina Revelatione numquam potuit.

3. *Oligotheismus classicus*, Familia divina duorum, vel quatuor Typorum, *Gemellismus Cabiricus* fratriacus, nisi in *Triade Noachica* causas suas habere non possunt. Nam si falsum veteres Gentes fuisse *Monotheistas*, et *Monoarchicas*, si falsum Deos classicos fuisse Daemones; unum plane unum restat fuisse *fractiones* vel deformationes magnae *Triadis Noachicae*.

4. *Theandricismus*, *Incarnationismus*, sive filiatio humana Dei magni : recepta a pluribus veteribus Gentibus Syra, Graeca, Indica etc. non potest haberi nisi ex Divina *Revelatione*. Nam si ex idea tantum foecunditatis divinae *Filii Dei* essent, essent innumeri : quum contra Typi *Theandrici* prae Pantheonum numero sint plane pauci: *Baccho* et *Hercule* in Regionibus nostris tantum claris et late receptis.

5. *Cosmopsychismus*, *Gaeothemelismus* plurimarum veterum Gentium a nobis indicatus p.250. 251. non potuit oriri nisi a Dogmate *Noachici Panthei* depravato de reali omnipraesentia Dei O. M., de reali immensitate Dei. In nullo *Pantheo Barbarico* Deus est immensus, et plane unus infinitus in Mundo uno.

6. *Gaeoarchiae* et *Tartaroarchiae* plurimarum veterum Gentium, de qua egimus p.26-32.251.255 causa vera et genuina *Cosmopsychismus* et *Gaeothemelismus*, quem modo dicebamus : et adeo idem dogma Immensitatis et omnipraesentiae Dei O.M. et quod ille sit in quo Mundus universus et nos *vivimus movemur et sumus*, ut verbis Scripturae Sanctae dicamus *Actor.* cap. XVII. v. 28.

7. *Ascetismus* atrox, pertinacissimus, amplissimus, numerosissimus, qui olim maxime invaluit in Assyria, Syria, Palaestina, Aegypto, et modo maxime viget in India, et regionibus Trans-Gangeticis : ut ut modo sit heterodoxus et fanaticus, oriri tamen et nasci primum non potuit, nisi in *Pantheo revelato*, nisi per *Pantheum revelatum*, nisi ut coniungeretur Homo Deo vere optimo et vere maximo. *Ascetismus* atrox et *unitivus* est plane impossibilis in quocumque *Pantheo Brutogenito* et *Physiogenneto*.

8. *Liturgismus* gravis, multiplex, implexus, ut Indicus, Aegyptius, Parsus, Atticus, Romanus, Etruscus, etc. quo tota fere vita, et dies fere omnis in Deorum cultu, in ceremoniis sacris, in Ritibus religiosis insumitur et expenditur. Atqui, ut supra animadvertimus, omnes Populi Barbari non modo te-

nui et levi liturgia utuntur, sed etiam inconstanti et incerta, ut saepius inter Populos Atheos fuerint numerati.

9. *Prophetieismus*, *Sibyllismus*, *Cosmophthartismus* omnium veterum Gentium illustrium: nam ipsae *Sibyllae* decem numeratae, et earum aliqua singulis clarissimis Gentibus adtributa. Quae non potuerunt et oriri, et retineri nisi ex vera et Sancta Patriarcharum *Noachicorum Prophetia*, et Dogmate Mundi huius destruendi post certas aetates, unde *anni* illi *magni* et *maximi* veterum Gentium, et Spiritus ille *Cyclicus*, de quo docte Boulaugerius egit, et nos ex parte indicavimus in *Tent. Herm. Etr.* pag. 48-51. et hîc p. 94.

10. *Traditionalismus*: Solemnis nempe protestatio omnium illustrium et magnorum Virorum Veterum Popularem Religionem esse traditam, esse doctrinam Patrum suorum, esse Maiorum suorum Traditionem, Vide Ciceron. de *Nat. Deor.* III. c. 2. de *Divin.* II. c. 72. II. c. 33. I. c. 12. Xenophon. in *Memor. Socrat.* I. c. 3. Isocrat. in *Areopagit.* Aristotelem in Metaphys. libr. XIV. cap. 8. p. 483. Plutarch. de *Isid.* et *Osirid.* p. 369. 370. etc. etc.

Sect. III. *De Patria praecipuorum Pantheonum veterum Gentium.*

Hanc ipsam affirmamus et propugnamus esse Proto-Patriam praestantissimorum Noachidum, Regionem nempe potissimum Cadmonaeam, Gordiaeam, et Oronteam, ipsam quam indicavimus iam in *Fundam.* nostris *Glossogonic.* ad *Tent. Herm. Etrusc.* p. 301-304. Patriam Taauticorum, Zoroastricorum, Orphicorum, Musaicorum, et Samanaeorum temporibus priscis, ut recentioribus, Gnosticorum, Theurgicorum, Manichaeorum, Neoplatonicorum etc. etc. Vide Beausobr. *Histoir. du Manich.* I. p. 38-41-42. Nam conditum hîc fuisse 1. Pantheum *Cabiricum* vetustissimum et praestantissimum, et de quo pluribus egimus p. 1-30. etc. dubitari non potest. Nam ut etiam in *Tent. Osco a-*

nimadvertimus pag. 45. 46. Dardanus fundator est Gordiaeus. 2. Pantheum *Apollineum* latius etiam ac Cabiricum dilatatum et pluribus et variis formis expressum in Regione Assyra antonomastice ab ipso *Apolline* nuncupata ad *Lycum* et *Caprum* posita, unde *Lycius Apollo*, et inde Comanus vel *Comaeus*, et hinc *Commagenus* et Syrus. 3. Hîc ortum Pantheum *Baalis* et *Astartes*. 4. Hîc ortum Pantheum *Neithae* vel *Anaitidis* sive Armenae, sive Persicae, sive Aegyptiae. 5. Hîc Pantheum *Veneris Euphratensis*, sive *Atharae* sive *Athergatis*, sive etiam *Cybeles* Syrae. 6. Hîc Pantheum *Veneris* et *Adonidis*. 7. Hîc Pantheum *Isidis* et *Osiridis*: qui ipsi *Venus* et *Adonis*, ut per alia plura argumenta posset demonstrari. 8. Hîc Pantheum *Bacchi Cadmonaei* : nec alibi Lycurgus hostis sive Arabs sive Idumaeus. 9. Hîc etiam primum orta *Panthea Indica*: *Siviticum* enim est ipsum *Bacchicum*, ipsum *Bacchico-Apollineum* Syrorum , et *Cabiristarum*. 2. Pantheum *Visnuviticum* est ipsum Pantheum *Posidaonis* sive *Oannis* Chaldaei, cuius Epiphaniae plane similes Incarnationibus *Visnuvi* Indici . Pantheum *Buddisticum* habendum simile Pantheo Sacerdotali Taaticorum. Nam omnes doctas Tribus Indorum ex Asceetis et *Naziraeis* Syris, Assyris, Palaestinis ortas, quas in Bactrianam et Indiam ab anno circ. 750. ad 550. Prochristianum proiecerunt ad plurimas Chiliades Reges Assyrii et Chaldaei dubitari non potest. Hanc autem Syram originem Indicorum Pantheonum non demonstrat modo analysis accurata et comparatio Pantheonum ipsorum: sed magis etiam Historia pragmatica universae Civilitatis Indorum , quae in ipsa India non potuit esse nisi recentissima; constituta vera Chronologia Fluminum, Frigoris, Metallorum, et Monumentorum Hierographicorum, ut dicebamus etiam in *Tent. Herm. Etrusco* p. 310. 313. Atqui hanc civilitatem Brachmanicam esse in India ante septimum saeculum Christianum demonstrari non potest. Insignem partem Bibliothecae Samscriticae et Monumen-

ta Hierographica Cryptarum Indicarum Ellorae, Salsettae, Elephantae non esse anteriora saeculo secundo Christiano, et facta non a Brachmanibus Casticis, non a Buddistis Acasticis, sed a *Buddistis Semicasticis*, qui Regimen Imperii habebant, et qui non essent ex Gymnosophistis proiectis, horridis, et foetidis: sed contra Coenobitae honesti, Bibliophili, Glossopoei, Pantheopoei, Mythopoei, Agalmatopaei, ut fuerant antea in Graecia *Orphici* et *Homeridae*, plane certo et necessario tenendum.

Sect. IV. *Omnes magnos et Classicos Deos veterum Gentium referri facile ad Tetractyn Archicam omnium veterum Theologorum et Philosophorum, et fuisse inde revera sive derivatos sive depravatos est omnino tenendum.*

1. Nam primo, omnes Typi divini magni *Genesiurgi* et proprie *Zontocratici Zontomeletici*, ut *Fortuna* magna, *Ceres* Cabirica, *Venus* Genitrix, *Bavani*, *Isis*, *Athergatis*, *Cybele*, etc. tum *Eros*, *Amor*, *Mars* Italicus, *Jupiter* Helleniçus, *Apollo* Syrus sunt facti ex *Spiritu* divino *Chaocratico*, *Chaogonico* omnium veterum Gentium, et adeo *Naachico*, ut ut depravato, transformato, diviso, fracto.

2. Ad quem eumdem *Spiritum* divinum *Chaoeraticum* spectant omnes Typi divini *Gaeothemelici*, imo *Cosmothemelici*, et *Cosmopsychici*, sive iisdem nominibus modo indicatis, sive aliis et diversis; ut *Ephaisti*, *Vulcani*, *Mulciberi*, *Vestae*, *Gaeae*, *Statae matris*, *Posidaonis*, *Consi*, *Neptuni*, *Visnui* etc. etc. etc.

3. Typi porro divini *Idepegaei*, Spermatogonici, Seminiferi, Demiurgici, et Necrocratici, Elysiocratici omnes facti ex Typo divino secundo *Triadis Archicae*: ut *Osiris* Aegyptius, *Adonis* Phoenicius, *Bacchus* Cadmonaeus, *Athys* Phrygius, *Siva* Indicus, *Odinus* Scandinavus, *Budda* iterum Indicus etc. etc.

4. *Minerva*, Pallas, Athena Pelasgorum omnium, Graecorum, et Italorum omnium non potest esse nisi *Angelus*, nisi bonus *Angelus*, omnis *Angelus*, Chorus

Angelicus, Legio Angelorum. Nam collecta universa Hierologia huius Deae, omnibus Nominibus, et Cognominibus, omnibus officiis, potestatibus, muneribus, omnibus symbolis et figuris, omnibus gestis, factis, atque actionibus, paucissimis exceptis, in quibus profundiores Theologi Eam cum *Typo secundo Ideopegaeo* et *Ideogono* confuderunt data opera, in reliquis omnibus aperte *Angelus* est, *Minister* est, *Legatus* est Dei magni olympici, comes est., socia est Deorum etiam minorum sive *Theandricorum*: Virgo est, innupta est, quia Pneuma, quia Spiritus, quia nulli corpori organico et genitali coniuncta. p. 243. 267.

5. Ut *Minerva Angelus*, ita iisdem Gentibus *Anima humana Psyche* fuit *Proserpina* Romanis, *Feronia* plurimis *Oscis*, *Persephone* Graecis etc. *Anima* nempe ad efficiendum Hominem parata, imo peccatrix, rebellis, et adeo exsul eiecta, etsi *Sponsa Amoris Uranii*, Demiurgi divini: ut ex universa eius Hierologia potest facile quis et plenius demonstrare, si ea satis non sunt, quae nos iam attulimus hic prodata opportunitate.

6. Profundior etiam his Typus *Mercurii* Pelasgici, quem Graeci Italique adoptarunt, et ex parte Aegyptii, Syri, et Celtae. Nam *Mercurius* iste Mythicus nec proprie *Homo* est, nec proprie *Psyche*: Sed satius *Homo mortuus*, *Lar*, *Manis*, *Psyche defuncti* hominis: Imo omnis *Lar*, et *Pater magnus*, et Propator Psychotamias, in via Generationis et vitae humanae positus et constitutus. Ut *Typus Hominis* est inventor multarum artium socialium, et maxime Vocum et *Linguae* in Graecia et Italia, ubi praestantissimae Linguae Graeca et Latina conditae: Ut contra in Aegypto habitus auctor *Scripturae*, et factus Osiridis *Scriba*, quia Aegyptii *Scriptura Hieroglyphica* non eloquio clari.

7. Qui tandem aliqua cura et studio animadverterit et perspexerit quae de *Triade* vel *Tetracty Archica*, quae de *Principiis Usiopegacis* omnium veterum Gen-

tium et omnium Philosophorum sive inter veteres collegerunt et protulerunt Justinus, Eusebius, Theodoretus, Augustinus, imo plures doctissimi Neoplatonici; tum inter recentiores Raym. Martinius, Steuchus Eugubinus, Kircherus, Schedius, Marracius, Basnagius, Fabricius, Cudworthus, Moshemius, Witsius, Lamius, Maurice, Capycius-Minutulo, Chateaubriand; etc: Qui auctoritatem maximi Aristotelis in Libr. II. Metaphys. c. 4. p.499. scribentis: οι μεν περι Ησιοδον, και οσοι Θεολογοι. . . Θεους γαρ ποιουντες τας Αρχας, και εκ των Θεων γεγονεναι, etc. aequo in pretio habuerit; Clarius semper et evidentius perspiciet, nec extra hanc *Triadem*, nec ultra *Tetractyn Archicam Deos* Principes et Classicos veterum Gentium esse quaerendos et indicandos.

Sect. V. *Panthea illustria veterum Gentium per Poeticum Stilum, per duplicem Linguam, et potissimum per Lexeoschemata Linguae sacrae Noachicae condita fuisse tenendum est.*

Quod demonstrare disquisitione atque analysi pragmaticâ adnisi sumus:

1. Primo in *Tentamine* nostro *Hermeneutico Generali* edito ann. 1830. p. 1.-197.

2. Secundo in *Disquisitione Abraxea* Vol. citato: p. 198.-398.

3. In *Tabula Rosettanâ explicata*, et edita 1830.

4. In *Disquisitione* de *Obelisco Flaminio* ed. 1830.

5. In *Disquisitione de naturâ Hierographiae Etruscae* hîc p. 48. 49. etc.

6. In *Pantheo Etrusco*: hîc p. 52.-189.

7. In *Disquisitione* de *Vasis Pictis* et *Dramatographis* hîc p. 139-227.

TENTAMINUM ETYMOLOGICORUM

PARS PRIMA

ELEMENTA GLOSSOSOPHIAE ET GLOSSOGONIAE HUMANAE:
Haec indicata sunt Part. III. TENTAM. HERMEN. ETRUSCI *pag.* 252.-315. *et* PRAEFAT. *tum passim in* FUNDAM. HERMEN. SCRIPT. CRYPTICAR. VETER. GENT. *edit.* 1830. *et hic* PRAEFATIONE SECUNDA.

PARS SECUNDA:

SPECIMEN THESAURI ALPHABETICI GRAMMATODYNAMICI:

SIVE

DE POTESTATE IDEOGRAPHICA, AESTESEOGRAPHICA, ET PRAGMATOGRAPHICA PRAECIPUARUM LITERARUM ORIS HUMANI SECUNDUM ORDINEM ALPHABETI HEBRAICI.

1. *Alef* א, *A*, *Haa*: Significat: 1. Suspirium *exspectantis*, *desiderantis*, *optantis*. 2. *Paventis* timentis. 3. *Mirantis*, admirantis. 4. *Laetantis*, gaudentis. 5. *Dolentis* moerentis. 6. *Laborantis*, defatigati etc. 7. Et adeo potest indicare omnes substantias et opera *optata*, *desiderata*, *magna*, *insignia*, *ampla*, *lata*, etc. 8. Quin significabit etiam saepe res *tenues*, *leves*, *aereas*, *pneumaticas*, quia est flatus et spiritus *Ha*, *Haa*.

II. *Beth*, ב, B, *Ba-Be* etc. significat:

1. *Tumere*, *tumescere*, *inflari*; quia litera pronuntiatur inflatis buccis.

2. *Exire*, *prodire*, *egredi*; quia in huius literae pronuntiatione sonus et flatus quasi e ianua et ostio egredi exire et prodire videtur.

3. *Venire*, *advenire*, *accedere*; quia necessario exit, prodit, egreditur qui venit advenit accedit.

4. *Oriri*, *gigni*, *nasci*; quia quae oriuntur nascuntur, videntur egredi, prodire, erumpere quasi ex ostio et ianua.

5. *Aperire*, *discludere*; quia exiens et egrediens necessario aperit et discludit ostium et iannam, qua

occluditur ; et *Bua-Bu* ipsum ictum disclusionis oris nostri manifeste ostendit.

6. *Ponere*, *adponere* ; quia quod exit et egreditur ex uno loco necessario in alium locum ponitur et adponitur.

7. *Spuere*, *exspuere*, quia saepe ipso oris habitu , quo literam hanc pronuntiamus etiam *spuimus*, eamque *spuendo* necessario pronuntiamus.

III. *Ghimel* ג, G, *Gha Ghe* etc. significat :

1. *Pellere impellere propellere*. Nam vehementi Gutturis quasi impulsione litera *Gha-Ghe* gignitur : et proprie et satius sursum, in altum, quia is Gutturis motus, et elevatio.

2. *Saltare*, *exsultare*, *exsilire*. Nam pronuntiatur litera *Gutturis* subsultatione et motu violento: et quidem elevando se et subsiliendo , quod saltum facit.

3. *Superbire* , *extollere* se ; quia natura literae est elatione organi pronuntiari.

4. Res *celsas*, *sublimes*, *altas*, ex eadem ratione.

5. Res *gibbosas*, *convexas*: quia hae Gibbo eminent et prominent.

6. *Gemitus*, *lamentationes*, quae singultu et gutturis convulsivo statu *ghe ghe* fiunt.

7. *Canere*, magna et clara voce *occinere* , quia id Gutture potissimum fit; unde Itali dixerunt *Gorgheggiare*.

IV. *Daleth* ד, D, *Da-De* etc. significat:

1. Tenuem *mollem* et *levem ictum* ac *pulsationem* corporum ; quia tenuis et *mollis* est *ictus* Linguae ad dentes in huius literae pronuntiatione.

2. *Exire*, *prodire foras*, extra egredi: quia in huius Literae pronuntiatione Lingua septo Dentium inclusa videtur septum suum superare et foras egredi , et prodire extra.

3. *Dare*, *donare*, *tradere* ; quia quae traduntur et donantur *extra* et *foras*, et molli et *grato ictu* pelluntur et traduntur.

4. *Cadere*, *procidere* , *decidere* , tum quia Lingua

super dentes *cadere* videtur, tum quia quae concidunt extra locum suum exeunt, et quod exit de loco suo absque basi et firmamento necessario *cadit*, et praeceps ruit.

5. *Jacere*, *vibrare*, *iaculari*; quia Linguae vibratione ad Dentes Litera gignitur.

6. *Tendere extendere*: quia tenditur et extenditur Lingua in eius pronuntiatione, et extensio habetur, quum corpus hic et hic, *De* et *De* productum est.

7. *Vagari divagari exeurrere*, scilicet exire et prodire huc et huc.

V. *He*, ה, E, *Hhee* significat:

1. *Intimas*, et graves *curas*, *adfectus*, *sensus*, quia litera est intimae et profundae pronuntiationis adspiratae et vehementis.

2. Tum *dolores*, *aegritudines*, *anxietates*, *labores*, ob eamdem rationem.

3. *Affirmationem*, *adhaesionem* nostram rebus, quae audimus, et sentimus, quia curvato aliquantum capite Litera effertur, et probantes nos et aestimantes natura duce utimur voce *he he*.

4. *Vita*, *existentia*, actus vivendi, quae est quasi maxima *adfirmatio* nostra: Nec revera est alia litera potior, ut dicam et affirmem me *esse*, quam *Hhe*, *hhee*, *sentio*, *sum*.

VI. *Zain*, ז, Z, *za*, *ze*, etc. significat:

1. *Figere*, *infigere*, *adfigere*: Quia Lingua huius Literae pronuntiatione videtur se inter dentes *infigere*; et quia *zi-zi* est sonus frequens infixionis.

2. *Vulnerare ferire*, quia nullum est vulnus absque infixione corporis noxii.

3. *Caedere abscindere*; quia nulla infixio, nullum vulnus absque laceratione plus minus magna, et adeo abscissione contigui corporis.

4. *Dividere separare*: Nam corporis infixio *zi-zi* necessario *separat* partes et dividit.

5. *Spuere expuere*; ob homophoniam et similem oris habitum.

6. *Spernere*, *contemnere* : quasi *spuere* despuere eiicere proiicere, quod facere videtur lingua in literae pronuntiatione.

7. *Spargere* et *dispergere* res parvas et minutas *zzi-zzi* : Ob homiophoniam.

8. *Scintillationem*, *irradiationem* corporum luminosorum : quia adspersio tenuissimae lucis nulla fere alia litera quam *zzi-zzi* potest significari.

9. *Pravitatem malitiam* ; quia quae nocent et mala sunt quasi feriunt et vulnerant , et acute lacerant et dolores inferunt.

VII. *Chiet* ח , C , *Chia* , *Chie* : non *cha che* etc. significat :

1. *Adhaerere* , *inhaerere* ; Quia litera gignitur *adhaesione* linguae ad palatum.

2. *Sociari*, *adsociari*, *comitari* , *adiici* : ob adhaesionem , et adhaerentiam.

3. *Tegere*, *obtegere* , quia , quae inhaerent tegunt.

4. *Premere*, *deprimere*: quia quae inhaerent et tegunt etiam *premunt* et comprimunt.

5. *Curvari incurvari*: quia saepius adhaerentia absque *incurvatione* haberi non potest.

VIII. *Theth* ט, TH, *Tha The*, etc. significat :

1. *Ictus molles*, *lentos* , *fractos* , et proprie rerum mollium, vel in res molles et lentas , quia litera haec quam habent modo in Europa Graeci et Angli , etc. pronuntiatur inserta inter dentes lingua, habetque sonum manifesto mollem et fractum.

2. *Tangere* , *attingere* , quia id fit molli et lento ictu.

3. *Venire advenire* lento et placido gradu *the-the*: quia habet naturam literae *De* ; et adeo significat *exire*, *prodire*, *venire*.

4. *Pingere*, *adpingere*; quia *mollibus* ictibus , *molli* penicillo *molles* res nempe colores Tabulae *molliter the-the* adponuntur.

5. *Maculae*, *notae*, *sordes*; quae semper ex *mollibus*

rebus sunt, et saepe etiam *mollibus* rebus, ut vestibus impressae.

6. *Onera*, *pondera*, quae ponuntur imponuntur, non infiguntur et immittuntur.

IX. *Jod* י, *J*, *Ja-Je*, etc. significat :

1. *Fluere*, *effluere*, *spirare*, *manare*, *dimanare*, *excurrere*, quia est sonus *fluens*, *spirans*, *excurrens*.

2. *Gigni*, *generari*, *fieri*, esse, quia *generatio*, nativitas ex quasi fluxione et explicatione seminum fit.

3. *Dare*, *donare*, *tribuere*, quia omnino *Donum* est quasi effluxus Dantis, *de-de* emanat, prodit, fluit e donante.

X. *Kaf* כ, *K*, *Ka-Ke*, etc. significat :

1. *Cadere*, *procidere*, *decidere*; quia litera effertur hiante gutture, et capite aliquantum inclinato, adeo ut si qua essent in ore mobilia tum *caderent*.

2. Res *graves*, *ponderosas*; quia in huius literae pronuntiatione deprimimus et quasi degravamus Guttur.

3. Res *hiantes*; *patulas*, quia litera dilatato ore effertur.

4. Res *cavas*, *concavas*; quia ore quasi *concavo*, et in *cavam* figuram efficto pronunciatur.

5. Res *molestas*, *dolorificas*, *tristes*, quia litera aliquanto aegrius et molestius pronuntiatur, et graves res et ponderosas notat.

6. Res *calentes*, *calidas*, ferventes; quia litera calido flatu ex imo gutture prodeunte, non ex palato pronuntiatur.

7. *Premere*, *comprimere*; quia omnes res graves et ponderosae premunt et comprimunt.

8. *Tegere*, *obtegere*, *operire*; quia quae premunt et comprimunt etiam tegunt, et operiunt.

9. *Imprimere*, *signare*, *obsignare* : quia *signa* impressiones pressione compressione obtinentur.

10. *Exprimere*, *effingere*, *adsimilare* : quia com-

pressione, et impressione habetur Typus, similitudo, simulacrum Rei.

XI. *Lamed* , ל , *L* , *La-Le-Li* etc. significat :

1. *Elevare* , *attollere* ; quia in Literae pronuntiatione Lingua usque ad Palatum *elevatur* et adtollitur.

2. *Abscedere*, *recedere*, *elongare se* ; quia lingua e situ et loco suo horizontali recedit, et elongatur.

3. *Removere* , *reiicere* , *repellere* ; Nam Lingua eo motu id prorsus facere videtur, quod vere et physice faceret in eius literae pronuntiatione si esset aliquid Linguae impositum et superiectum.

4. *Tollere*, *auferre*, *rapere* : quia rapiendo , auferendo tollimus adtollimus removemus.

5. *Volvere* , *involvere* , *revolvere* : quia Lingua se volvit et revolvit in huius literae elatione.

XII. *Mem* מ , *M* , *Ma-Me* etc. significat :

1. *Premere* , *comprimere* ; quia labiorum pressione litera formatur.

2. *Claudere*, *occludere* ; quia oris ostium hac litera *claudimus* , et occludimus.

3. *Tacere*, *silere* ; quia nemo loquitur *clauso* ore.

4. *Mussitare*, *murmurare* : quod huius literae plane characteristicum.

5. *Mirari*, *admirari* , *obstupescere* ; tum quia plerumque silentes et muti *miramur* ; tum quia in vehementi *admiratione* graviter labia premimus.

6. *Capere* , *comprehendere*, quia qui premit etiam *capit* et comprehendit : nec capimus et tenemus aliquid nisi *premendo*.

XIII. *Nun* נ *N* , *Na-Ne* etc. significat :

1. *Nutationem* , *vacillationem* , *oscillationem* , motumque ambiguum intrandi , et exeundi , veniendi et abeundi : quia vera Linguae *oscillatione* ad Palatum Litera gignitur.

2. *Exire* , *egredi* , *educere* , *efferre* , *expellere*, *extrahere* : quia haec lingua videtur facere in Literae formatione.

3. *Negare*, *denegare*, quia qui negat expellit repellit adlata, et proposita.

4. *Tangere*, *pulsare*, *percutere*, quia Lingua Palatum pulsat.

XIV. *Samech* ס, S, *Scia-Sce-Sci*, non *Sa*, *Se Si* etc. significat:

1. *Fluere*, *effluere*, *profluere*: quia sonus et rumor liquorum fluentium est *scia*, *sce*, *scio*, etc.

2. *Res labentes prolabentes*, quia saepius is sonus et rumor.

3. Rumores generatim, *turbas*, *tumultus*: quia est litera rumorosa.

4. Res *mixtas*, *confusas*, quia litera non est intrinseca simplex; et nos Itali non penitus erramus, qui per plura elementa signamus et scribimus *scia*, *scio*,

5. Res *laeves*, *laevigatas*, *teretes*, *globosas*: quia hae facile et statim ruunt, volvuntur, et quasi fluunt: Et quia attactae et palpatae hunc vel similem sonum reddere videntur *scia-sce*.

6. *Palpare*, *attingere*, Italorum *lisciare*, ob eamdem rationem.

7. *Pandere*, *expandere*; quia sonus similis, et Grammatophonicus *scia-scia*.

8. *Tegere*, *obtegere*; quia quasi palpando et molliter attingendo tegimus et obtegimus.

9. *Pellere*, *expellere*, quia plura rumore et strepitu pellimus et tollimus.

XV. *Huain* ע, O, *Hhuo*: significat:

1. Res *depressas*, *humiles*, *prostratas*, *collapsas*; quia profunda Gutturis depressione pronuntiatur.

2. *Officia* et *servitia* humilia, abiecta, vilia, ob eamdem rationem:

3. Res *terribiles*, *timendas*, *horrendas*; quia est soni rauci, tristis, inamabilis.

4. *Strepitus graves intensos*, *profundos rumores*: quia litera profundi et gravis soni.

5. *Concidere*, *decidere*, *ruere*, *corruere*: quia vox

quasi decidere et corruere sentitur in literae prolatione.

6. Res *cavas*, *concavas*, *vacuas*, *latas* : quia dilatatur Guttur in eius pronuntiatione.

7. Res *profundas*, et *imas* : ob eamdem rationem.

XVI. פ, *F*, *Fa*, *Fe* etc. significat :

1. *Flare*, *adflare*, *spirare* ; quia similis aurarum et venti strepitus.

2. *Fluere*, *adfluere* ; quia similis rumor.

3. *Bullire*, *ebullire*, ob similem sonum.

4. *Irasci*, *indignari*, quia in ira spiramus et quasi flamus vehementer.

5. *Pellere*, *repellere*, *reiicere* ; quia prorsus hoc videmur facere literam hanc proferentes.

6. *Rapere*, *abripere*, *auferre* ; quia quae deiiciuntur, saepius deiiciuntur ut auferantur, et tollantur, et quae rapiuntur et auferuntur semper de loco suo et sede depelluntur, et removentur.

7. *Exire*, *erumpere*, *egredi* violenter : quia haec generatio literae.

XVII. *Tze* צ, TZ, *Tza*, *Tze*, etc. significat :

1. *Fractionem*, *fracturam* violentam ex violenta impulsione : Nam ex duabus fortibus literis coalescit, T et Z, quae haec significant.

2. Res ipsas *fractas*, *disruptas*, *minutas*, Synecdonice.

3. *Urgere*, *premere*, *penetrare*, *intrare*, *pervadere* : quia haec vis et potestas partim *Te* partim *Ze*.

4. *Spargere*, *dispergere*, res *minutas* vel *fractas*, et hic rumor sparsionis.

5. *Expellere*, *propellere*, violenter *deiicere*, ex singularum literarum potestate.

6. *Erumpere*, *exire* cum violentia, *disrumpi* violenter, crepare, ob eamdem rationem.

7. *Scintillare*, *irradiare*, quia parva et minuta corpuscula violenter proiiciuntur et longe disperguntur *Tzi-Tzi*.

XVIII. *Quof* ק, Q, *Qua*, *Que*, *Qui* etc. significat.

1. Res *tortas*, *distortas*, *curvas*, *incurvas*, *obliquas*, *pravas*, *torquere*, *intorquere*, *depravare*; quia Gutturis distorsione Litera pronuntiatur.

2. Res *depressas*, *subsidentes*, *mucidas*, *putrescentes*, *liquescentes*, quia depressione etiam Gutturis Litera effertur.

3. Res *cavas*, *concavas*, *vacuas*, quia Guttur huius Literae pronuntiatione inflatur, et fit *cavum*.

XIX. *Resch*, ר, R, *Ra*, *Re*, *Ri*, etc. significat:

1. *Radere*, *abradere*, *corradere* ob homiophoniam, et quia litera quasi rasurae linguae per palatum gignitur.

2. *Trahere*, *pertrahere*, quia quae trahuntur, quasi radunt loca per quae ducuntur.

3. *Currere*, *discurrere*, *ruere*, *proruere*; etiam ob homophoniam, et quia *excurrere* per palatum Lingua sentitur in literae pronuntiatione.

4. *Fluere*, *effluere*; ob homiophoniam, et quia quae fluunt excurrunt.

5. *Rapere*, *abripere*; quia qui rapit trahit et radit.

6. *Tremere*, *trepidare*, quia oscillat Lingua et tremit in pronuntiatione literae.

7. *Jacere*, *spargere*, *dispergere*: ob homiophoniam.

8. *Pluere*, *impluere*, ob homiophoniam.

XX. *Schin* ש, SCHA, *Sche*, *Schi*, etc. significat:

1. *Emergere*, *erumpere*, foras *prodire* ex abdito: Nam litera ex sibilo dentium ad pulsationem palatinam progreditur.

2. *Crescere*, *excrescere*, *augeri*: quia litera ex tenui sibilo ad magnum rumorem palatinum augetur.

3. *Eminere*, *prominere*, celsum fieri: quia litera palatina est, et maximam elationem habet.

XXI. *Schiain* ש, *Schia*, *Schie* etc. significat:

1. *Sternere*, *prosternere*, et prorsus nostrum *schiacciare*: quia omnino pressione linguae et maxillarum litera effertur.

2. *Exaequare*, *explanare*, *planum facere*; nobis

chianare, quia Linguâ explicatâ litera pronuntiatur.

3. *Crepare*, *sonum magnum dare*, disrumpi, nobis *schiattare*, ob homiophoniam : et quia litera magni et gravis est soni et rumoris.

XXII. *Tau*, ת, T, *Ta*, *Te* etc. non *Tha*, *The*, etc. significat:

1. *Ponere*, *imponere* firmiter, *statuere*, *constituere* ; quia firma linguae ad dentes appositione litera gignitur.

2. *Pulsare*, *percutere* ; quia dura linguae ad dentes pulsatione litera effertur.

3. *Figere*, *infigere*, *signare*, *designare*, quia signa ponuntur et figuntur certa pulsatione.

4. *Dilatare*, *pandere* ; quia id fit plura loca tangendo, attingendo; figendo, infigendo.

TENTAMINUM ETYMOLOGICORUM

PARS TERTIA

SPECIMEN LEXICI HEBRAICI GRAMMATODYNAMICI.

I. *Aleph* א HAA.

אב AB, *Haa-Be*: Pater, gignens: *Haa* suspirium mirantis sentientis fortiter, symbolum rei insignis, substantiae praestantis : *Ba-Be* positae, adpositae, datae, traditae : Pater est qui semen infert.

אבב ABB, *Haa-Ba-Be* : Spica maturescens, granis turgens ; quia *Spica* est *Haa* res substantia praestans, bona . *Haa* desiderata optata , quae hic illic granis *Bua-Bua turget* tumescit: ex qua *Grana optata Bua-Bua* erumpunt et oriuntur.

אבב ABB, אבובא ABUBA, *Haa-Bu-Bu*: fistula, tibia, calamus, qui inflatur spiritu, et sonat: non quia primae fistulae ex calamis, ut vulgo tenent: sed propria potestate : quia nempe spiritus et flatus *Haa*, in ea incessanter immittatur *Bua-Bua* per labia Hominis.

אבד ABD, *Haa-Be-De*: Perire , interire , decidere, perdi. Nempe *Haa* res bona optata; *Bua* exiit, egressa est; et *De-De* cecidit, decidit, abiit, periit.

אבה, ABE, *Haa-Be-Hhee* : desiderare, concupiscere, velle. Nempe : Ad *Haa* rem bonam substantiam praestantem: *Bu-Bu* ponere adponere: *Hhee* adfectum vehementem, cupidum animum.

אבל, ABL : *Haa-Be-Le:* Lugere, moerere, luctu affici. Nempe *Haa* suspiria, gemitus, *Be-Be* dare, efferre, emittere, *Le-Le*, et alte tollere, et alte *Le-Le* inclamare, quod lugentes faciunt.

אבן, ABN : *Haa-Be-Ne* : Perpendiculum, lapis pendulus, pondus funiculo suspensum : Nempe *Haa* res substantia gravis, quae *Bua-Bua* exit, prodit ex loco suo, et *Ne-Ne* nutat, vacillat, oscillat.

אבס, ABS : *Haa-Be-Sce* : Pinguis, pinguefactus, ipsum Latinorum *obesus* ; Nempe qui *Haa* substantia multa, *Bua-Bua* inflatus est tumens dilatatus ; et est *scia-scia* nitidus lucens, *liscio liscio*, ut nobis Italis.

אבק, ABQ : *Haa-Be-Que:* Pulvis, pulveris, qui facile convolvitur vento, et conglobatur. Nam est: *Haa* res tenuis et quasi aër, ventus, qui *Bua-Bua* inflatur tumet, *Bua-Bua* pellitur et propellitur huc illuc; et *Qua-Que* torquetur intorquetur vento et auris.

אבק ABQ *Haa-Be-Que:* est etiam luctari colluctari, non ut omnes Lexicographi putant, quia plerique in *fulva* vel alba *luctantur arena*; sed quod Luctatores atque Athletae *Haa* magno conatu et suspirio *Bua-Bua* eunt ruunt in se mutuo, et invicem membra *Qua-Que* torquent intorquent.

אבר ABR *Haa-Ba-Re*, Fortis robustus: Nempe qui *Haa* vi magna insigni; *Bua-Bua* exit, egreditur, procedit: imo *Re-Re* ruit irruit: quod fortis facit.

אבר, ABR, est etiam ala penna avium : non quod fortis sit et robusta, quum contra penna sit levis et debilis res: Sed quod penna et ala sit res *Haa* levis et tenuis, quae *Bua-Bua* eat transeat, *Ré-Re* celerrime, quae volet.

אגד AGD : *Haa-Ghe-De*: Fascis, sarcina, agmen : Nam quomodo *fascis* componitur? adsumendo scilicet certas res et substantias *Haa* ; easque *Ghe-Ghe* im-

pellendo, comportando, gestando, in definitum locum et cumulum *De-De*.

אגז, AGZ : *Haa-Ghe-ze* : Caedere, incidere, amputare : Nempe *Haa* est suspirium laborantis abscindentis vi *Ghe-Ghe* impellentis securim ferream, ut lignum ramus tandem *ze-ze* exsiliat, abscindatur, cadat.

אגל, AGL : *Haa-Ghe-Le* stilla, gutta, liquor guttatim fluens. Nempe *Haa* res substantia, quae *Ghe-Ghe* cogitur, unam in massam impellitur, et *le-le* longa longa exsilit et cadit. Haec *stilla* est.

אגמ, AGM : *Haa-Ghe-Me* : Lacus, stagnum, locus, in quo aquae colliguntur et manent, absque exitu : Locus nempe quo *Haa* aquae multae : *Ghe-Ghe* coguntur, colliguntur, et *Me-Me* circum circa premunt et insident, *Me-Me* occluso aditu.

אגן, AGN : *Haa-Ghe-Ne*: Phyala, Urceus, Vas : Illud nempe quo *Haa* res aqua liquor: *Ghe-Ghe* impellitur versatur, infunditur, ut inde *Ghe-Ghe* expellatur propinetur foras *Ne-Ne*, in usus varios. Et curiosum est animadvertere : Vasa angustioris colli sonum his literis plane similem emittere, ubi liquore, quo plena sunt inverso orificio evacuantur.

אגף, AGF : *Haa-Ghe-Fe:* Alae, pennae volucrum, quibus volant: Quia sunt *Haa* res tenues, leves, quibus *Ghe-Ghe* impelluntur, aguntur vi, ut *Fe-Fe* secetur et sulcetur aer.

אגר, AGR : *Haa-Ghe-Re* : Aggregare, aggerare, congregare: Nempe *Haa* vi conatu ; *Ghe-Ghe* res substantias pellere, propellere, *Re-Re* volvendo, trahendo, ruendo, adiiciendo.

אדמ, ADM: *Haa-De-Me:* Homo, Hominis: Etymon difficile. Mihi fit a דמה, DME imagine simulacro : quia factus sit Homo ad imaginem Dei *Beneseos* cap. I. v. 26.27. et cap. IX. v. 6. et אדמה ADME terra mihi proprie creta, argilla, humus plastica est, quae facile recipiat imagines et simulacra, facile fiat דמה DME : adeoque

אדם ADM est: *Haa*, substantia praestans, quae *De-De* ex Typo divino, et Imagine Demiurgi et Conditoris sit *Me-Me* expressa desumta.

אדן, ADN: *Haa-De-Ne*: Basis, columna, stilobates. *Haa* substantia: *De-De* extra foras eminens: et adeo *Ne-Ne* quasi nutans, pendens, prominens.

אדר, ADR: *Haa-De-Re:* Amplus, latus, magnificus: *Haa* res insignis, magna: *De-De* hic illic protensa lata, *Re-Re* discurrens, excurrens, lata, magnifica.

אדש, ADS: *Haa-De-Schia*: Triturare, pinsere, atterere, conterere. *Haa* vi, conatu magno: *De-De* tundere contundere: ut Res substantia *schia-schia*; *sia schia-ccia-ta*, ut nos Itali: tusa, contusa, fracta, contrita.

אהב AEB *Haa-Hhee-ba*, amare diligere. Nempe *Haa* multa vi, multa potentia: *Hhee* affectum cupiditatem animae: *be-be* ponere apponere.

אהל AEL *Haa-Hhee-Le*, tentorium, tabernaculum, quod scilicet sit *le-le* elevatum, altum, *Haa* latum, *Hhee* secretum tectum.

אוב AUB *Haa-ve-ba*: Uter Res inflata: quia *Bu-bua* tumet inflata est, *haa* multum late.

אול AUL, *Haa-u-le:* Robur: quo *Haa* pondus rem magnam: *le-le* attollimus, sursum ferimus, portamus.

אול AUL stultus, cui *Haa* substantia res insignis, mens, *le-le* abiit, avolavit, periit.

II. *Beth* ב, B, BA-BE-BI, etc.

באר BAR: *Be-Haa-Re*: Declarare, manifestare, ipsum Latinorum *aperire*, sono et re. Nam *bua-bua* est efferre proferre: *Haa* conatus, studium, vis: *re-re* educendi, eruendi, proferendi foras, extra, ex abdito et obscuro loco.

באש BAS: *Ba-Haa-Schia*: foetere, foetorem emittere, exhalare: *Bua-bu* ipsum emittere exhalare: *Haa* halitum, auram, spiritum: *Schia-schia*, *che schiaccia*, opprimentem prosternentem. Vulgus nostrum hac ipsa

periphrasi *foetorem* exprimit quotidie : *Te fa sciaffà de faccia 'n terra.*

בגד BGD: *Be-Ghe-De* : Praevaricari, fidem datam rumpere, perfidum et transfugam fieri. Nam perfidus et transfuga est qui *be-be* manens stans antea in certo loco et foedere, deinceps *ghe-ghe* prosilit, exsilit, proripit se, et *de-de* alibi, foras, alio locum et foedus deligit.

בגד BGD est etiam Pallium, stragulum, vestes, quibus lecti potissimum sternuntur : Quia hac Vestes *be-be* ponuntur apponuntur corporibus nostris : tum *ghe-ghe* pelluntur, impelluntur, aptantur, trahuntur manibus, brachiis, pedibus: *de-de* hic illic, et reiicuntur dimoventur, ut surgere possimus, et alia munera obire.

בדד BDD : *Be-De-De* : Solus, solitarius, separatus, quia *be-be* manet, moratur ; *de-de* longe ab aliis separatus, et adeo solus.

בדל BDL, *Be-De-Le* : Separare, segregare, discernere. Nempe ex pluribus rebus et substantiis aliquas *be-be* ponere, reponere; *de-de* certo loco certâ sede, et alias *le-le* auferre reiicere; aliis remotis; quod discernere est et secernere.

בדק, BDQ ; *Be-De-Que* ; investigare, inquirere, sedulo quaerere. Quid, cedo, facit, qui rem amissam quaerit, et iterum recuperare sperat ? Primum *be-be* manet in loco sperato; tum excurrit, procurrit, vagatur *de-de* huc illuc tentans et pertentans: Quin curvat sese incurvat se *qua-qua*, ut melius investiget, et lustret loca, ex quibus resumere possit amissam rem. Omnis autem investigatio etiam mentalis has tres operationes etiam mentales et intelligibiles expostulat.

בהל, BEL, *Be-Hhee-Le* : terrere, turbare, perturbare; unde *Bellum* Latinorum. Nempe *be-be* mittere, immittere : *Hhee* affectum gravem passionem vehementem tristem, qua quis *le-le* agitetur, moveatur, fugiat diffugiat. Est etiam celerare, accelerare, celeriter fugere : quia qui *bua-bua* exit egreditur : *hhee* magno affectu et contentione animi, ut eat *le-le* longe

longe, is necessario currit, et celeriter fugit.

בהמ , BEM : *Be-Hhee-Me* : Bestia , iumentum, pecus mutum; quod *bua-bu* exit, procedit, *Hhee* grave , ponderosum ; et *me-me* mutum.

בוא , BUA: *Bu-Haa*: egredi, existere, oriri, nasci, venire, advenire, prodire. Haec vox est huius literae characteristica:

בוב , BUB, *Bu-be*: cavus, excavatus, puforatus: Cui sunt *bu-bu* exitus, foramina plura; nobis *bu-chi* :

בוז , BUZ *Bu-ze* : spernere, contemnere, quia *bu-bu* est spuere , despuere , removere : et *ze-ze* est quasi fragmentum tenue et nihili eiicere.

בון , BUN ; Bu-Ne, animadvertere , intelligere : et בינה BINE intelligentia, sollertia animi, quia animadvertimus et intelligimus tum manendo in Idea selecta, *Bua-Bu*, et illam capientes; tum *Ne-Ne* quasi oscillando et nutando alias cum quibus est adnexa scrutantes , et examinantes.

בוס BUS *Bu-scia* ; calcare, conculcare: Scilicet pedem ponere *bu-bu* , et *scia-scia* premere trahendo , plane *stri-sciando*.

בוץ BUTZ, *Bu-tze*: lutum coenum: quod *bu-bu* calcatum pede , pressum calce , *tze-tze* disiicitur : Italis *schizza*.

בוש BUS : *Bu-Schia* : Erubescere, pudore suffundi. Quid pudor ? Color suffusus ori nostro, quo erroris vel facinoris arguimur et opprimimur. Nempe est quod *bua-bu* egreditur erumpit ex corpore nostro, ex facie; quo *schia-schia* pressi afflicti sumus, quasi *schiacciati*.

בית BIT *Bi-te* Domus, aedes, habitatio: Nempe qua *be-be* manemus moramur: *te-te* fixi, firmiter, aedes fixa, posita, infixa.

בזז BZZ, *Be-ze-ze*: Praedari, diripere, rapere. Scilicet quae aliquo loco sunt *be be* posita collocata ; *ze-ze* carpit, decerpit , arripit Fur. Hanc Semiticam vocem , sed ut ego puto originali facultate Vulgus nostrum habet in *zamboliare*.

בזק BZQ, *Be-ze-que:* Fulgur, fulmen ex tonitru discurrens : Quia Fulgur *bua-bu* exit , erumpit : *ze-ze* feriens disrumpens, et *ze-ze* discurrens hac illac; *quaque* tortuosus, vario modo curvus. Haec vox characteristica.

בזר BZR, *Be-ze-re:* Spargere, disseminare, serere : Nempe *bu-bu* ponere, iacere, proiicere: *ze-ze* minutas, fractas, parvas, res: *ze-ze* hic illic: *re-re* rotando , ruendo: quod spargere est et serere.

בחל BCL: *Be-chie-le* : Fastidire, aspernari, aversari: Scilicet *be-be* apponere se , os: *chie-chie* tangere attingere: *le-le* reiicere, removere, fastidire.

בחן BCN *Be-chie-ne* : Probare, explorare: *be-be* apponere se: *Chie-chie* inhaerere: *Ne-ne* repetere, recipere , probare.

בחר BCR *Be-chie-re :* Eligere, seligere: *be-be* apponere se : *chie-chie* adhaerere : *re-re* abstrahere, retinere , auferre.

III. *Ghimel* , ג , *GH* , *GA* , *GHE* , *etc.*

גאה GAE *Ghe-haa-hhee* erigere sese , elevare se , superbire, extollere, magnificare. Nam *gha-ghe* est impellere sursum , urgere in altum, ut quid extollatur, *haa* multum , plurimum : *hhee* cum magno affectu , amore conatu voluntate.

גאל GAL; *Ghe-haa-le*: vindicare, redimere, salvare. Nam *ghe-ghe* est urgere , repellere oppressorem: *Haa* multa magna vi : *le-le* removere reiicere longe facere: Hoc redimere oppressum est.

גאל GAL : etiam pollutio , contaminatio, macula : Sed ג G hîc non est *gha*, sed Italicum *ghia*, cuius potestas alia : nempe inhaesionis, adhaesionis, ut *Chia*; unde Plebi nostrae facta vox: *no nghiacco, s' è nghiaccato*: quae macula *ghia-haa* mala non bona est *le-le* tollenda auferenda.

גבב GBB *Ghe-bu-bu*, Gibbosus, Gibbus, dorso convexo. Nam *ghe-ghe* est quod sursum elevatur , eminet, prominet: *bua-bu* significat quod tumet, tumescit, Gibbum. Vox characteristica.

גבח GBC *Ghe-be-chie* : Calvus, recalvus, carens capillis anteriore capitis parte. Nempe *ghe-ghe* pars eminens, cranium, sinciput: *bua-bu* rebus, quae solent oriri, nasci, erumpere, capillis: *chia-chia* caret, privatur, in plano est: è *chiano chiano*.

גבל GBL *Ghe-be-le* ; Terminus, limes, finis. Nam terminus est quod *ghia* figitur infigitur, et *ghe-ghe* eminet prominet: *be-be* stat manet ; *le-le* altus elevatus sublimis.

גבע GBO *Ghe-be-Hhuo* : Scyphus, Poculum, Cyathus : Quia Scyphus est *ghe-ghe* gibbosus, convexus, ventricorus, *bua-bu* tumens : et *Hhuo* profundus, depressus, ut ad recipiendos liquores sit idoneus.

גבר GBR *Ghe-be-re* ; Fortis, robustus, praevalidus: Qui *ghe-ghe* violenter impellit se: qui *bua-bu* procedit, exit: *re-re* ruit irruit.

גג GG, *Ghe-ghie*: Tectum, quod tegit. Nempe *ghe-ghe* res eminens, alta, sublimis, ut tectum, sed *ghie-ghie* strata constrata; *ghia-ghia* complanata plana, ut tecta sunt.

גדד GDD, *Ghe-De-De*; Succidere excidere abscindere: Nempe violento Securis vel Mallei impulsu *ghe-ghe* fragmenta et fragmina succisa *de-de* decidunt cadunt.

גדד GDD, *Ghe-de-de:* Agmen, turma. Quia Milites ad faciendum Agmen ex pluribus locis *de-de*; coguntur: *ghe-ghe* in unum: et coniuncti impellunt se *ghe-ghe* ad certum locum *de-de*.

גדה GDE *Ghe-de-Hhee :* Capra, Capella : quia Caprarum natura est salire, impellere se in praeruptas et celsas rupes, et inde despicere *de-de*, et decerpere, quae possunt: *Hhee* audacia multa et admiratione spectantium.

גדל GDL, *Ghe-de-le*: Crescere, augeri, fieri magnum: Nempe *ghe-ghe* sursum impelli, quod crescere est, *de-de* foras extra prodire, quod crescere: *le-le* prolongari, longiorem fieri, quod crescere etiam est.

גדל GDL fasciae etiam et taeniae, quibus solent pueri involvi, et circumdari: Quia Fascia est supellex, quae *ghe-ghe* pellitur, impellitur, ducitur circa corpus: *De*

de huc illuc, circum: *le-le* longa longa, iterum iterumque *le-le* volvitur, et involvit.

גדף GDF *Ghe-de-fe*; Contumelia et probris aliquem adficere. Scilicet violenter in aliquem *ghe-ghe* adsurgere insurgere: et *de-de* efferre proferre: *fe-fe* foeda verba, contumelias, probra.

גדר GDR *Ghe-de-re*; Sepire, septo claudere, murum struere: Nempe est ponere infigere *ghie-ghie* res firmas fortes eminentes *ghe-ghe*: quae *de-de* hic et hic, circum circum currant, et gyrent *re-re*.

גדש GDS *Ghia-De-Scha*: Meta Frumenti, Cumulus Manipulorum demessorum: Nempe Manipuli demessi *ghe-ghie* falce proiecti, *de-de* ex variis locis collecti, *scha-scha* eminentiam cumulum efficiunt.

גהה GEE *Ghe-Hhee-Hhee*: mederi, curare proprie vulnera: Quae plerumque curantur immittendo in vulnus *ghe-ghe* aliquod medicamen magnae virtutis *Hhee*, et multa cura adfectu attentione *Hhee*.

גהר GER *Ghe-Hhee-Re*: Extendere, expandere, prosternere: Nempe *ghe-ghe* impellere propellere; *Hhee* magna vi, cura, labore: *re-re* ducere trahere ruere proruere.

גוב GUB *Ghu-be*, Locustae, Insecti nempe genus, quod per saltus et quasi impulsus *ghe-ghe* venit *bua*, et ponit se *bu*.

גוח, GUC, *Ghu-chie*: erumpere, prodire foras, emergere: Nam *ghe-ghe* est sursum attolli emergere; et *chie-chie* fluere profluere.

גול GUL *Ghu-le*; exsultare saltare. Nam *ghe-ghe* est ipsum saltare impellere se sursum: *le-le* longe, late, circum.

גוף GUPH *Ghu-Phe*: Claudere, occludere: Scilicet *ghe-ghe* pellere impellere trudere cuneum in *Phe* os, foramen, ostium: Unde מ-גוף M-GUPH operculum: quod truditur in orificium.

גור GUR *Ghu-re*: Peregrinus, qui diversatur, hospitatur: Qui *ghe-ghe* trudit se, ducit se huc illuc: *re-re* currendo excurrendo obeundo.

גזז GZZ *Ghe-ze-ze* : abscindere resecare: Nempe *ghe-ghe* trudere ferrum ; et inde *ze-ze* excindere truncum. Unde גז GZ etiam lana detonsa vellus.

גזל GZL *Ghe-ze-le* : Rapere abripere : Nempe *ghe-ghe* ruere irruere in aliquid; *ze-ze* acutas et penetrantes manus iniicere; et *le-le* auferre, longe longe rem abducere.

גזמ GZM *Ghe-ze-me*: Eruca, brucus: Qui *ghe-ghe* saltando, urgendo se: *ze-ze* attondit abscindit Herbam segetem: *me-me* circum circa totam.

IV. *Dalet* ד, D, DA, DE, DI etc.

דאב DAB *De-Haa-Be* ; Dolere, dolore affici, moestum esse. Nempe extrinsecus *de-de* venit, *Haa* malum, et *be-be* manet.

דאג DAG *De-Haa-Ghe*: anxius sollicitus timens. Qui *de-de* hac illac vagus errans: *Haa* magno pavore: *Ghe-ghe* impellit et propellit semetipsum.

דבב DBB *De-be-be*; loqui, proloqui, verba efferre: Quia *de-de* est foras extra proferre; *bua-bu* symbola labiorum, per quae potissimum loquimur, et labiorum motu, et loquentem noscimus, et loquentem indicamus.

דבל DBL, *De-be-le*: Series ordo ficuum, vel fructuum siccorum colligatorum; quia est *le-le* longa longa catena series: *bua-bua* fructuum proventuum: *de-de* decidnorum sumtorum decerptorum.

דבק DBQ, *De-Be-Que*: Adhaerere inhaerere adglutinari: Quia res inhaerens est res antea *de-de* desumta decerpta aliunde *de-de* alia re, et quae *bu-bu* ponitur apponitur alteri, cui *qua-qua* adhaereat.

דבר DBR *De-be-re*. Verbum, sermo, loqui. Nam verbum, sermo est quod *de-de* foras extra: *bua-bua* exit per labia, et *re-re* excurrit ad aures aliorum.

דבר DBR *De-be-re*: Apis mellifica: Quia Apis natura sua *de-de* vagatur hic illic ; *bua-bua* venit, advenit , it: et *re-re* redit ruit incerta irrequieta inconstans.

דבד DBR Rates ratis, navicula, quia inconstans et vaga mobilis, ut Apis, vagatur *de-de*; *bua-bu*, it venit; *re-re* ruit currit excurrit per aquas.

דבר DBR Caula ovium, quia oves in eam *de-de* ex multis locis *bua-bu* veniunt, ut inde paulo post *re-re* ruant exeant.

דבר DBR Pestis pestilentia, quae *de-de* extra aliunde nata, adfertur infertur *bua-bua*, et exit progreditur ultra excurrit *re-re*.

דבש DBS; *De-be-scha*, Mel Mellis. Nam Mel est substantia, quam Apis ex multis floribus foris *de-de*, veniens *bua-bu*, cogit et accumulat *scha-scha*.

דג DG, *De-ghe*, Piscis, quia Piscis non potest movere se, et agere nisi capite et anteriore parte corporis *de-de* hic illic mota et agitata, et vehementi impulsione et verberatione *ghe-ghe* Caudae; quae Piscis characteristica iure nomen suum Grammatodynamicum constituunt.

דגה DGE *De-Ghe-Hhee* foecundare, foecundam facere, augere, multiplicare; non quod Piscis דג DG sit foecundus: Sed quia est extrinsecus *de-de*; *ghe-ghe* impellere adponere alteri rem; ut *Hhee* intime inhaereat, et foecundatio fiat.

דגל DGL *De-ghe-le*; Vexillum, nempe signum quod foras extra *de-de*, ponitur, infigitur *ghe-ghe*, et *le-le* alte sublimiter elevatur.

דגן DGN *De-ghe-ne*: Frumentum cribro purgatum: Nempe frumentum *de-de* huc illuc cribro *ghe ghe* actum agitatum, et diu *ne-ne* oscillans, huc illuc projectum. Quae purgatio per cribrum est.

דד DD *De-de* Mamma uber: quia mollis et spongiosa substantia, et quasi *de-de* hic illic fluctuans et oscillans.

דדה DDE *De-De-Hhee* vagari, divagari, huc illuc ferri. Vox characteristica: *de-dv* est quasi attingere plura, esse perpetuo extra, foras, quod *vagari* est.

דוד DUD *Du-de*, charus, amatus, quasi osculis et suaviis adpetitus *de-de*; et Donatus *de-de* muneribus donis.

דוה DUE; *Du-ve-Hhee*: languidus, debilis, infirmus; cui *Hhee* vis, robur, *ve-ve* avolavit, et *de-de* decidit decessit.

דוח, DUC, *Du-Chia*; lavare, abluere sordes : Nempe foras extra, *de-de* eiicere expellere, *ohia-chia* maculas, sordes, nobis *ma-cchie*.

דוך , DUK , *Du-Ke* , tundere contundere : Nempe *kd-ka* ponderoso malleo pistillo ; *de-de* percutere verberare : quod tundere est.

דום , DUM ; *Du-Me* , silere, tacere : Nempe *me-me* premere comprimere labia, ne *de-de* extra aliqua vox prodat : suppressio vocum: Hoc silere.

דון , DUN , *Du-Ne* ; Iudicare, disceptare ; Nempe *ne-ne* agitare , et quasi nutando oscillando pluribus modis vertere rem causam : *de-de* externam extra positam.

דוצ , DUTZ , *Du-Tze*, exsilire exsultare: *du-du* est quasi foras extra , *tze-tze* saltare exsilire: vox characteristica.

דור DUR, *Du-Re*; Habitare, Domi se recipere: Nempe *de-de* attingere habere, quo *re-re* ruat quis, intret, excurrat, recipiat se : DUR aetas aevum generatio, quae excurrit procurrit: *de-de* extra: et ruit *re-re*.

V. *He* , ה , E , *Hhee* :

הבל, EBL, *Hhee-Be-Le* : Evanescere , abire, disperire. Nempe *hhee* essentia, substantia intima *bua-bua*, exiit ivit, *le-le* longe longe evanuit periit.

הגה, EGE, *Hhee-Ghe-Hhee*, Gemere, ingemere. *Hhee* suspirium profunde dolentis: *Ghe* symbolum singultus gementis: *Hhee* ciulatus longi: Vox characteristica.

הגה, EGE, loqui etiam, proloqui, voces proferre : Vox etiam characteristica, sed Orientalium et Semitoglossorum , quibus usus Literarum Gutturalium est multus.

הגן, EGN, *Hhee-Ghia-Ne*: Congruum , conveniens , decens. Quod *hhee* pulere decenter: *ghia* iacet, adiacet , congruit : sed *ne-ne* ut auferatur , non ut inhaereat.

הדה, EDE, *Hhee-De-Hhee* mittere , iacere: *Hhee* significat vim, laborem iaciendi: *de-de* est foras emittere

extra ponere : *hhee* indicat curam et studium percu tiendi et feriendi scopum.

הדמ, EDM, *Hhee-De-Me:* Membrum, pars corporis Quae scilicet sit *hhee* essentialis et necessaria par sumta *de-de* de ex , *me-me* toto integro circumposit Corpore.

הדפ, EDF, *Hee-De-Fe*, pellere, expellere, depellere. Nam *hhee* est symbolum laboris, conatus laborantis; *de-de* extra , foras : *Fe-fe* pellendi expellendi : unde nostrum : *fora-fo.*

הדר, EDR, *Hhee-De-Re*: Honorare, honorem exhibere: Nempe *hhee* magno adfectu, cura , honore: *de-de* extra, alteri: *re-re* procidere , ruere , ut in Oriente, vel utcumque sese inclinare.

הוה, EVE, *Hhee-Ve-Hhee* existere esse vivere; vox characteristica. Nam haec litera Gutturalis *hhee* natura sua, ut innuimus p. 287. existentiae, veritatis, realitatis intimae est symbolum.

הון, EUN, *Hhee-Ve-Ne:* Res substantiae, proventus, opes. Nempe sunt *hhee* res substantiae bonae utiles, quae *ve-ve* exeunt, et *ne-ne* produnt foras, vel generatione, vel usu.

הין, EIN, *hhee-ji-ne*; paratus, promtus ut veniat adcurrat. Nempe *hhee* multo adfectu, alacritate paratus *je-je* ire currere: *ne-ne* adcurrere, advenire.

הכל, EKL, *Hhee-Ka-Le*: Palatium, templum, aedes. Nempe *hhee* res magna, insignis : *ka-ka* gravis , imposita, adfixa: et *le-le* sublimis, celsa, alta, quae aedes est.

הכר, EKR , *Hhee-Ka-Re*: Obfirmare se , confirmare sese in proposito: Nempe *hhee* magno animi adfectu vi, *ka-ka* incumbere, et quasi aggravare se , et *re-re* ruere totum in aliqua re cogitatione consilio.

הלא, ELA, *Hhee-La-Haa:* ultra, ulterius: vox characteristica.

הלך, ELK, *Hhee-La-Ka*; incedere, ambulare: Quomodo, cedo , omnes ambulamus? Nempe *hhee* certo studio, cura, labore: *le-le* elevando adtollendo modo

hunc, modo alterum pedem: et demittendo atque deprimendo *ka-ka* modo hunc modo alterum pedem.

הלל, ELL, *Hhee-Le-Le* ; laudare, collaudare; nempe *hhee* voces adfectuosas, voces animi vehementer commoti, *le-le* tollere adtollere, *le-le* elevare ingeminare.

הלל, ELL, Lucere splendere: *Hhee* Res charissima pulcherrima, quae rapidissime *le-le* excurit volitat spargitur circum, *lux* est.

הלל, ELL, insanire, mentem amittere, furere; Tum quia *hhee* pars hominis praestantissima mens longe abiit recessit *le-le*: tum quia reliquus homo *hhee* tristissimo et gravissimo casu *le-le* volutatur, et quasi rotatur et furit.

הלם, ELM, *Hhee-Le-Me ;* tundere contundere malleo: Nempe *hhee* multa vi, rem magnam, malleum: *le-le* tollere adtollere: et *me-me* deprimere, percutere, Italis *ammaccare*.

המה, EME , *Hhee-Me-Hhee* strepere , perstrepere , murmurare. Nam *me-me* egregium symbolum murmuris mussitationis, et *hhee* profundae potestatis Litera, et sonum significans ex gravi adfectu et voluntate procedentem.

המם, EMM, *Hhee-Me-Me* ; terere, adterere, conterere: Nempe *hhee* multa vi, conatu magno: *me-me* premere, comprimere.

המן, EMN, *Hhee-Me-Ne* ; augere, accrescere, multiplicare. Scilicet *hhee* res magnas bonas insignes; *me-me* collectas, adlectas ; *ne-ne* dare, addere, adiicere.

הן, EN , *Hhee-Ne*. Ecce, en: Nempe *hee* suspirium indicantis, admirantis: *ne-ne* significat res quasi pendulas oscillantes venientes advenientes, et quod non aderat, vel non discernebatur.

הפך EPHK, *Hhee-Phe-Ke*: vertere , convertere , immutare: Nempe quod *hhee* est, subsistit ; *phe-phe* vi pellere , propellere ; ut *ka-ka* cadat percat : Quod immutare et invertere est.

הרס ERS: *Hhee-Re-Scia:* Diruere, destruere, demoli-

ri: Nempe multa vi studio labore *hhee*; *re-re* evertere eruere; et *scia-scia* solo aequare, explanare.

VI. *Zain*, ז Z, *za*, *ze*, *zi*, etc.

זאב, ZAB, *Za-Haa-Be*: Lupus, Lupi: Animal rapax et vorax: Qui acutissimos dentes *ze-ze*: cum magno malo *haa*: *be-be* apponit infigit.

זבב, ZBB, *Ze-Be-Be*; Musca, Muscae; quae *ze-ze* infigit adfigit aculeum suum, vel suam proboscidem: *bua-bua* veniens, adveniens, advolans, et ea quidem instabilis vaga *be-be*.

זבד, ZBD, *Ze-Be-De*; Donum munus, quod alteri mittitur: quia munus est substantia, quae certo vasi *ze-ze* imponitur adfigitur inseritur: et ponitur *be-be*: ut *de-de* foras extra alteri deferatur adportetur.

זבח, ZBC, *Ze-Be-Chie* victimam mactare, sanguinem hostiae effundere: Nempe *ze-ze* ferire, transfodere victimam, *be-be* positam impositam arae, et *chia-chia* fluentem sanguinem excipere.

זבל, ZBL, *Ze-Be-Le*; Habitare, habitaculum sibi ponere: Scilicet Axes, Palos, Columnas *ze-ze* figere, infigere, ponere; stantes firmas *bu-bu*; et *le-le* altas elevatas sublimes. Tum *bua-bua* possunt esse Tentoria inflata tumentia, hanc enim vocem Scenobiorum propriam arbitror.

זבן, ZBN, *Ze-Be-Ne*: Emere, coemere. Quid, cedo, facit qui emit? Ponit et quasi infigit, immittit *ze-ze* manui vendentis possessoris pretium *bua-buu*; ut ipse rem concupitam *ne-ne* tollat, sumat, habeat.

זג, ZG, *Ze-Ghe*: Cortex, corticis: qui *ze-ze* abscinditur, reciditur, aufertur; *ghe-ghe* opere, impulsione, arte, vi.

זג, ZG, coniunctus, adhaerens, adsociatus, coniux. Nempe *ze-ze* intime adfixus, infixus, *ghe-ghe* vi robore amore adfectu.

זה, ZE, *Ze-Hhee*: Hoc istud: Vox characteristica.

זהב, ZEB, *Ze-Hhee-Be*; Aurum, auri: quia *zeze* scintillae, radii, splendor: *Hhee* pulcher, insignis, praestans: ex eo *bua-bua* exit, et manat.

זהם, ZEM, *Ze-Hhee-Me*; Fastidire, respuere, recusare, detestari: quia *ze-ze* est spuere, despuere; *hhee* notat quamcumque rem graviter animum adficientem: *me-me* labia premere, claudere os: quod facimus de amaris et odiosis cibis.

זהר, ZER, *Ze-Hhee-Re:* Splendescere, fulgere, radios emittere: Nempe *ze-ze* res minutas tenues spargere: Sed *hhee* pulcras, praestantes, nitidas: *re-re* rapide, celeriter irradiantes.

זוב, ZUB, *Zu-Be*, fluere, effluere: Ipsa radix Italici *zampillo*, nasali inserta, et voce producta: Quia *za-ze* quasi per rimam et foramen erumpere prodire: *bua-bua* tumens, et prodiens.

זוד, ZUD, *Zu De*: Petulanter agere, proterve se efferre: Nempe *ze-ze* lacerando, feriendo, pungendo: *de-de* alios aliena iura invadendo: *de-de* exire, operari, agere.

זול, ZUL, *Zu-Le:* Res vilis abiecta: quae *ze-ze* exspuitur, et eiicitur *le-le* longe.

זון, ZUN, *Zu-Ne*; Alere, cibare, alimenta dare: Nempe *zu-zu* indere, ingerere, inserere, cibos escas: *ne-ne* in os in gulam alicuius: Proprie de pullis avium quos Matres vel Nutritores ingesto cibo alunt.

זוע, ZUO, *Zu-Hhhuo*, moveri, commoveri, turbari. Quia *zu-zu* symbolum mali ferientis, penetrantis, lacerantis: et *hhhuo* mali opprimentis, deiicientis, consternantis.

זר, ZR, *Ze-Re*; alienus extraneus: Qui *ze-ze* penetrat, immittitur, quasi per rimam et rupturam in domum alterius, et *re-re* intrat et ruit.

זחח, ZCC, *Ze-Chia-Chia*; arripere, auferre, tollere: Quia *ze-ze* est carpere decerpere adsumere: *chia-chia* tenere, capere.

זחל, ZCL, *Ze-Chia-Le*: Timere, pavere: Nempe mala Res *ze-ze* penetravit, pupugit, laceravit: *chia-chia* inhaesit, adhaesit: *le-le* agitavit, commovit, perturbavit animum.

זחל, ZCL, reptare, perreptare, serpere: quia anima-

lia *Reptilia*, quae reptant caput impellunt hîc illîc *zi-ze za-zi*; corpus trahunt *chia-chie strisciando*; et ita *le-le* procedunt, incedunt, locum mutant.

זיק, ZIQ, *Ze-Je-Que*; scintilla, favilla, quae ex Igne et foco exsilit, et prosilit extra : Quia est parva et minuta res *ze-ze* ; quae exsilit *ze-ze* ; quae scintillat *ze-ze*; quae excurrit *je-je*, et vario modo curvatur et intorquetur *que-que*.

VII. *Chiet* ח, Cr *Chia*, *Chie*, *Chi*, etc.

חבא, CBA; *Chie-Be-Haa*: Tegere, obtegere : Quia *chia-chia* est quod adhaeret inhaeret, et plano modo: *bua-bu* quod ponitur adponitur manet: *haa* late bene congruenter.

חבב, CBB, *Chia-Be-Be* : Amare, diligere : Nempe *chia-chia* adhaerere, inhaerere animo adfectu: Et *bu-bu* quasi osculando apponere sese alicui. Hoc amare est, diligere est.

חבט, CBTH, *Chia-Be-The* excutere, decutere, et proprie fructus maturos ex calamo, arbore, planta: Nempe est mollem ictum *chia-chia:* Plantae dare apponere *bu-bu*: Ut fructus proventus *bua-bua*, molliter decidat *the-the*, non fractus, contusus, inutilis.

חבצ, CBTZ; *Chia-Be-Tze* : Rosae, et Flores polyphylli ; quorum folia antea clausa et omnia una adhaerentia *chia-chia*: sensim *bua-bua* erumpunt emergunt: et tandem *tze-tze*, quasi *schizzando* expandunt et explicant sese.

חבק, CBQ, *Chia-Be-Que*; amplecti, complecti: Nempe circa amicum Brachia nostra *chia-chia* adhaerentia inhaerentia facere, ponere *bu-bu*; et supra eum sese curvare et incurvare *qua-qua:* hoc complecti est.

חבר, CBR, *Chia-Be-Re* socius, adsociatus, coniunctus operi : Nempe qui *re-re* agit, operatur ; *bu-bu* manens stans: *chia-chia* una simul adhaerens inhaerens alteri.

חבר, CBR, livor, plaga livens: quia facta ex *chia-chia* ictu percussione, quae *chia-chia* adhaesit mansit

et quae *bua-bua* intumuit, in eam *re-re* ruens et adcurrens sanguis livens.

חבש, CBS, *Chia-Be-Scha*; adligare aliquid, clitellas iumentis imponere, et ligare: quia *chia-chie* est ligare adhaerentes facere, quae *bua-bu* maneant, stent, *scha-scha* eminentes prominentes, ut natura sua fert; ut clitellae iumentorum.

חגב, CGB, *Chia-Ghe-Be*; Locusta, cicada, et omne insectorum genus, quod pluribus et uncinatis pedibus adhaeret plantae cui insidet *chia-chia*; quod incedit *ghe-ghe* saltans, et per volatus saltuosos impellit se; et *bu-bua* manet aliquamdiu immotum.

חגג, CGG, *Chia-Ghe-Ghe*: Tripudiare, tripudium facere, et adeo Festum agere: Nempe *chia-chia* pedes humi apponere, pulsare humum pedibus, et sese attollere extollere *ghe-ghe*.

חגה, CGE, *Chie-Ghe-Hhee*: Rima, fissura: quae tum habetur, quum ea quae pridem erant *chia-chia* adhaerentia, cohaerentia, violenta impulsione *ghe-ghe* aperiuntur et Rimam faciunt, *hhee* tristem malam. Plebi nostrae *chia-ga* est vulnus saniosum, *Plaga*: sed hoc est a פלג PLG, quo etiam scissura et ruptura significatur.

חגר, CGR, *Chie-Ghe-Re*, cingere. praecingere, cingulum corpori advolvere: Nempe circa circum *re-re*; impellere adponere *ghe-ghe*; Quod adhaereat inhaereat *chia-chia*; quod cingulum est.

חדד, CDD, *Chia-De-De*: Acui, acutum esse: nempe esse aptum ut infigatur, adfigatur, inhaereat *chia-chia*, externae alteri substantiae *de-de*, quod praestant acuta.

חדה, CDE, *Chie-De-Hhee*, laetari, laetitia adfici: quia *hhee* pulcra praestans res: *de-de* extrinsecus veniens: *chia-chia* adhaesit animo, unde laetitia oritur.

חדל, CDL, *Chia-De-Le*; Cessare, desistere, quiescere: Nempe *le-le* tollere, auferre, *de-de* de opere labore manus: *chia-chia* inhaerentes adhaerentes.

חדק, CDQ, *Chia-De-Que*, spina, sentis, dumus:

quibus sunt *chia-chia* acumina res acutae, spinae: *de-de* hic illic ; et Rami *qua-qua* tortuosi, distorti. Hic Dumus.

חדר, CDR, *Chia-De-Re*, cubiculum penetrale, pars Domus interior : ea nempe qua quis *chia-chia* manet qua inhaeret, cubat, dormit, sed seposita, posita *de-de*, peculiari et separato loco, et ad quem *re-re* excurrendum est, quia interior et penetrale.

חדש, CDS, *Chia-De-Schia*: instaurare, restaurare, renovare: Nempe Rei *schia* non *scha*, fractae, ruptae oppressae, veteri, ineptae; *de-de* dare, addere, superaddere alia meliora ; quae *chia-chia* adhaereant, inhaereant, maneant. Haec restauratio est.

חוב, CUB, *Chiu-Be;* Debitum, quod debetur alteri; Nempe quod adponendum est *bu-bu* tribuendum alteri, ut *chia-chia* maneat, inhaereat, ut propria res.

חוג, CUG, *Chiu-Ghe*; Circinare, circulum describere, in gyrum verti: Nempe *chia-chia*, *cia-ce* est figere infigere ponere crus circini, vel pedem nostrum, et inde *ghe-ghe* impellere alterum crus in gyrum quo circulus peragatur.

חוח, CUC, *Chiu-Chia*, Spina, hamus, uncinus, vox literae characteristica, adhaerentiam et inhaerentiam notans, quam facit uncinus et hamus.

חוט, CUTH, *Chiu-The:* Filum funiculus: Quo *chia-chie* adhaerent inhaerent coniunguntur res disiectae; et mutuo adpositae *the-the*.

חול, CHUL: *Chiu-Le:* Dolere, timere : vocem *le-le* tollere, quia inhaesit *chiu* dolor. חול CUL parere foetum edere: Nempe *le-le* eiicere proiicere quod utero *chia-chia* adhaerebat inhaerebat.

חול CHUL arena pulvis arenosus: qui *chia-chia*, et premitur pedibus, et inhaeret: et *le-le* proiicitur eiicitur ambulando et movendo.

חוס CHUS ; *Chiu-Scia* : Misereri parcere : Nempe *chia-chia* inhaerere adhaerere alicus: *scia-sce* suaviter, molliter, amice, quae pietas et misericordia est.

חוץ, CHUTZ; *Chiu-Tza* : Foris extra: Age quod intra est quod adhaeret inhaeret *chia-chia:* pellamus expellamus etiam frangendo et disrumpendo *tza-tze*.

חוש, CHUS , *Chiu-Scha :* Festinare celerare : Quia *scha-sche* est erectum stare , promtum manere ad agendum : *chia-chia* significat inhaerentiam roboris et potestatis ad opus peragendum.

חזה, CHZE, *Chia-Ze-Hhee*: videre , cernere , contemplare. Nempe *chia-chia* adhaerere, inhaerere alicui subiecto: *za-ze* infigere immittere aciem oculorum: *hhee* gravi cura studio.

VIII. *Theth* ט TH *Tha*, *The*, *Thi* etc.

טאט, THATH, *The-Haa-The*; verrere , scopis purgare. Vox characteristica: Nam *thia-the* est percussio rerum mollium, ut scopae.

טבח, THBC , *The-Be-Chie* , Coquus , Coqui : Qui Rem mollem *the-the* ut carnem, in rem mollem , ut aquam ponit proiicit *the-the* ; vel etiam pulsat caedit: eamque *bu-bu* ponit collocat, ut *chia-chia* dissolvatur, nempe coquatur : Is *coquus*.

טבל, THBL, *The-Be-Le*, tingere, intingere, immergere: Nempe res molles, lanam, linum *the-the*: in aquas coloratas *bu-bu* ponere immittere : *le-le* intime alte, ut penitus colorem imbibant.

טבע, THBO, *The-Be-Hhhuo* demergere, submergere, in profundum mergere: Quia *the-the* est mollis aqua: *bu-bu* proiicere immittere: *Hhuo* symbolum depressionis, altae profunditatis.

טבר, THBR, *The-Be-Re*, umbilicus, funiculus umbilicalis: Nempe res mollis *the-the*, quae tamen *bua-bu* manet et eminet; et *re-re* ruit fluctuat circum.

טהר, THER, *The-Hhee-Re*; Purgare, mundare, purificare: Nempe *the-the* maculas, sordes, res molles in rebus mollibus, ut vestes sunt, impressas; *Hhee* curâ studio attentione; *re-re* auferre, tollere : Hoc *purgare* est.

טוב, THUB, *Thu-Be*, bonum res bona utilis quae *the-the*, suavis, mollis, bona; *bua-bu* venit accedit ad nos.

טוה, THUE, *Thu-Hhee*, nere, fila ducere, filare: Nempe *thu-thu* res molles lanam linum premere comprimere torquere: *Hhee* labore, cura, studio.

טוח, THUC, *Thu-Chia*, linire, oblinire, pingere: Nempe *the-the* res molles, ut colores: *chia-chia* apponere, ut inhaereant.

טול, THUL, *Thu-Le*: Jacere, proiicere: Scilicet in aerem mollem *the-the* iacere aliquid, ut *le-le* longe eat.

טור, THUR, *Thu-Re*: Ordo series catena rerum: quae *tha-tha* attingunt se mutuo: et *re-re* gyrum seriem *re-re* procurrentem faciunt.

טוש, THUS, *Thu-Schia*; volare, evolare: Nempe *the-the* res molles leves, ut alae, tendere protendere *the-the*; et *schia-schia* explicare, pandere. Nostri *schianare*, etsi alio sensu.

טחן, THCN, *The-Chie-Ne:* molere, semina molâ frangere in farinam: Nempe res non natura duras: *the-the* percutere frangere molà: ut *chia-chia* conterantur: et ita *ne-ne* exeant foras.

טיט, THITH, *The-Je-The:* Coenum, lutum: Quia res mollis molliter premitur, et *je-je* diffluit, et *the-the* maculat.

טחר, THCR, *The-Chie-Re*. Mariscae, tuberculi haemorrhoidales, ex quibus saepe sanguis fluit: Quia sunt *the-the* res molles prominentes: *chia-chie* adhaerentes inhaerentes: ex quibus *re-re* fluit saepe sanguis.

טלא, THLA, *The-La-Haa:* Maculosus, latis maculis respersus: Nempe *the-the* symbola macularum; *le-le* latarum, longarum, plurium.

טלל, THLL, *The-Le-Le;* Tegere, operire: Nempe *the-the* res molles, stragula, pallia: *the-the* molliter pandere expandere; et *le-le* late late adponere imponere: quod operire et obtegere est.

טל THL, *The-Le*, ros, roris: quia ros est *the-the* res mollis, *the-the* molliter et suaviter decidens: ex alto *le-le*, de Coelo.

טמא, THMA, *The-Me-Haa:* Impurum pollutum esse:

Nempe *the-the* maculis, sordibus; *me-me* captum pressum; *Haa* multis malis.

טמן, THMN, *The-Me-Ne*, condere occultare: Scilicet *the-the* molliter suaviter reponere; *me-me* operire occludere; ut inde possis; *ne-ne* iterum educere et emittere.

טעם, THOM, *The-Hhuo-Me*: Gustare degustare: Nempe *the-the* molliter applicare labia ad cibum: ut *hhuo* deglutiatur, et in Guttur proiiciatur cibus: *me-me* captus pressus.

IX. *Jod*, י, J, *Ja*, *Je*, *Jo*, etc.

יאב, IAB, *Je-Haa-Be*: Desiderare, concupiscere: Nempe quia *ja-ja* fluxit effluxit: *Haa* adfectus voluntas: *Bua-bua* extra in aliquid, et *bu-bu* mansit.

יאה, IAE, *Je-Haa-Hhee*: convenire, congruere: scilicet quod *je-je* fluit, procedit; ex *Haa* causa praestanti: *Hhee* quod bene convenit congruit.

יאל, IAL, *Je-Haa-Le*: velle aliquid, ferri voluntate in aliquid: Nempe *je-je* fluit fertur: *Haa* voluntas adfectus: *le-le* ad illud, ad aliquid, ad signum constitutum.

יאר, IAR, *Je Haa-Re*: Fluvius, flumen; quia fluvius *je-je* fluit effluit, *haa* latus magnus, et *re-re* currit, ruit.

יאש, IAS, *Je-Haa-Schia*: Desperare, animum despondere, spem amittere: quia *ja-ja* fluxit defluxit: *Haa* vis animi: Et spes decidit oppressa *schia-schia*.

יאת, IAT, *Je-Haa-Te*, consentire adquiescere: quia *je-je* fluxit: *Haa* vis animi spes, et *Te-Te* mansit fixa immota.

יבל, IBL, *Je-Be-Le*: adducere, portare: *Je-je* fluere adferre: *bua-bu*, ut apponatur tradatur: *le-le* alteri alio.

יבש, IBS, *Je-Be-Schia*, arescere, exarescere, exsiccari: quia *je-je* fluxit effluxit: *bua-bu* vis intumescens implens accrescens: et adeo *schia-schia* concidit, oppressa est.

יגב, IGB, *Je-Ghe-Be*, agrum colere, et proprie irrigare, foecundare aquis: Nempe *je-je* fluxus effluxus

aquarum: *ghe-ghe* impellere, trahere; *be-be* huc illuc.

יגה, IGE, *Je-Ghe-Hhee:* affligere, moerore adficere: Nempe *je-je* affatim dare tribuere : *ghe-ghe* singultus gemitus: *hhee* graves molestos.

יגע, IGO , *Je-Ghe-Hhuo:* fatigari , labore opprimi. *Je-je* multo plurimo adfluenti : *ghe-ghe* labore exercitio; *hhuo* opprimi, prosterni.

יגר, IGR, *Je-Ghe-Re:* Timere, pavere, tremere: quia *je-je* fluxit penetravit cepit : *ghe-ghe* vis mala: *re-re* ruens opprimens sternens.

יד, ID, *Je-De*, manus, latus, ripa : quidquid *je-je* excurrit procurrit: *de-de* longe late.

ידד, IDD, ידה, IDE, *Je-De-Hhee*: iacere, proiicere: Nam *je-je* est ipsum jacere , dare extra : *de-de* , ad signum.

ידיד, IDID, *Je-De-Je-De*: Amatus, charus, dilectus: quia in eum *de-de:* fluit effluit *je-je*: amor adfectus.

ידע, IDO, *Je-De-Hhuo*; noscere pernoscere intelligere: Nempe vis animi mens adfluit *je-je* adest: *de-de* certo obiecto certae notitiae; et *hhuo* profunda rimatur, intima investigat.

יה, IE, *Je-Hhee*: Nomen Dei Magni, quia ex Deo *je-je* fluit effluit, omnis *hhee* essentia Rerum.

יהב, IEB, *Je-Hhee-Be*: Dare, donare, tribuere: Nempe *je-je* dare, donare: *hhee* rem bonam magnam insignem: *be-be* alteri externo.

יום, IUM, *Ju-Mo* dies lux diurna : quia *je-je* fluit effluit *lux*: et *me-me* implet et premit omnia.

יזם, IZM, *Je-Ze-Me* cogitare meditari: Nempe *je-je* affluit adcurrit vis animi: ut penetret *ze-ze* ignotam ideam: et *me-me* comprehendat arripiat.

יזע, IZO, *Je-Ze-Hhuo* sudor, sudoris, qui *je-je* fluit, effluit: *ze-ze* exprimitur exsudat: ex *hhuo* labore magno defatigatione.

יחד, ICD, *Je-Chie-De*, adiungi adunari: Nempe *je-je* fluere quid excurrere: ut *chia-chie*, adhaereat inhaereat : *de-de* alteri obiecto, externae Rei.

יחל, ICL , *Je-Chie-Le*: morari, exspectare, sperare:

Desiderium, spes *je-je* fluit excurrit: ut *chie-chie* adhaereat: *le-le* Rei adhuc longinguae non praesenti, unde exspectas et praestolaris.

יחם, ICM, *Je-Chie-Me*: Calescere incalescere: Nempe *je-je* res fluens subtilis penetravit: *chie-chie* adhaesit; et *me-me* totum pervasit corpus, qui Calor est sese aequilibrans.

X. *Kaph*, כ, K, *Ka-Ke-Ki* etc.

כאב, KAB, *Ka-Haa-Be*, dolere, moerere: quia *ka-ka* gravis molesta res: *haa* animum: *bua-bua* pulsat tangit.

כאה, KAE, *Ka-Haa-Hhee* aeger, infirmus, oppressus: Nempe *ka-ka* magno pondere pressus: unde *haa*, et *hhee* gemitus et ululatus.

כבד, KBD, *Ka-Be-De*; Ingravescere, magis gravem et ponderosum fieri: Nam tale pondus *ka-ka*, additum *bu-bu*, ut Bilanx *de-de* deorsum vergat aequilibrio amisso, et ob pondus praecipitet.

כבה, KBE, *Ka-Be-Hhee* extingui, vitâ privari, vitâ oppressâ: Nempe magno pondere *ka-ka*: premere opprimere *bu-bu:* vitam, fomitem *hhee* vitae.

כבל, KBL, *Ka-Be-Le* compes, compedis; quia compes est *ka-ka* gravis ponderosus; *bu-bu* manet permanet; et *le-le* volvitur advolvitur, et tolli potest.

כבס, KBS, *Ka-Be-Scia:* lavare, abluere sordes, mundare vestes: quae ut purgentur necesse est ut *ka-ka* dimittantur in aquis, et fiant *ka-ka* graviores, et in eis *bu-bua* intumescant, et inde *scia-scia*, ancillis nostris *sciac-quare*, laventur et torqueantur.

e כבע, KBO, *Ka-Bu-Hhuo* galea cassis; quia cassis Pst *ka-ka* gravis ponderosa: *bua-bu* tumens: et *hhuo*, rofunda, alta, vacua.

כביר, KBIR, *Ka-Bi-Re* validus, potens: qui ingens magni ponderis *ka-ka: bua-bua* incedit: et *re-re* ruit, irruit.

כבש, KBS, *Ka-Be-Schia* domare subigere, nempe *ka-ka* gravi pondere: *be-be* imposito: *schia-schia* opprimere, *schiacciare*.

כבש, KBS, scabellum, suppedaneum; quia est *ka-ka* res ponderosa; quae *be-be* ponitur; ut pedibus *schia-schia* prematur.

כדד, KDD, *Ka-De-De* favilla scintilla : quae *ke-ke* calens, ignea: *de-de* iacitur vibratur.

כד, KD, *Ka-De*; Cadus, Haustrum, vas, quo aqua hauritur, quod *ka-ka* cadendo demittitur in aquis, ut eas inde, *de-de* desumat et hauriat.

כדר, KDR, *Ka-De-Re*, acies militaris, agmen, Phalanx: quae *ke-ke* gravis compacta unita: *de-de* ad locum statutum: *re-re* ruit pergit.

כהה , KEE , *Ke-Hhee-Hhee*; Reprimere coercere. Premere nempe quasi gravi pondere *ke-ke*: et multa ac pertinaci vi *hhee-hhee*.

כהן, KEN, *Ke-Hhee-Ne*; Sacerdos sacris praepositus, qui *ke-ke* gravia, insignia: *hhee* magnâ curâ, sollicitudine animi; *ne-ne* expendit considerat.

כוה, KUE, *Ku-Hhee*; uri aduri; quia *ku-ku* ex calore halitus, quo Litera gignitur, est opportunum symbolum caloris et ignis, ut loco suo adnotavimus: *Hhee* vim ignis indicat.

כוח, KUCH, *Ku-Chi*; vis, potentia, robur : Nempe *ka-ka* gravitas pondus symbolum aequum omnis potestatis et activtatis: *chia-chia* adhaeret inhaeret est. i

כול, KUL, *Ku-Le*, capere , complecti : Quia *ka-ka* est symbolum aequum capacitatis et capientiae: et *le-le* symbolum captionis et comprehensionis : nemo enim capit nisi se extendit *le-le*.

כון, KUN, *Ku-Ne*; aptare disponere: Nam *ka-ka* est ipsum aptare, apponere , applicare : et *ne-ne* indicat oscillationem illam mentis, et manuum in rerum aptatione et dispositione, ex ipso rerum defectu ortam.

כוס, KUS, *Ku-Scia*, Calyx Poculum Scyphus : qui *ka-ka* capax est, *scia-scia* levis plerumque, rotundus, convexus.

כזב, KZB , *Ke-Ze-Be* ; mentiri , mendacia fingere : Nempe *ke-ke* gravia molesta : et *ke-ke* similia veris ,

imagines falsae veritatis: *ze-ze* serere apponere: *be-be* ut maneant.

כזר, KZR, *Ke-Ze Re*; Crudelis, ferox, saevus: qui *ke-ke* graviter, moleste: *ze-ze* ferit, lacerat, nocet: *re-re* ruit irruit.

כחד, KCD, *Ke-Chie-De:* abscondere, celare: nempe *ke-ke* cavo secreto loco: *chie-chie* immittere inserere: *de-de* intus intra.

כחל, KCL, *Ke-Chie-Le:* Fucare, stibium apponere: Nempe *ke ke* rem gravem ponderosam: *chie-chie* apponere adhaerere facere: *le-le* loco elevato sublimi in facie oculis; vel quae facile exsiliat et excidat *le-le.*

כיס, KIS, *Ke-Je Scia:* Crumena Marsupium: scilicet *ke-ke* Res Cava concava, qua *je-je* quasi fluant excurrant Nummi, vel Gemmae immissae; Et *scia-scia* molliter strepant.

XI. *Lamed*, ל, L, *La-Le-Li*, etc,

לא, LA, *Le-Haa*, non, minime: Nam *le-le* est longe longe. Nos Itali *leva-leva.*

לאב, LAB, *Le-Haa-Be:* sitire, sitim pati: Nam in siti frequenter labia *be-be*: diducimus aperimus *le-le*, et spiritum *haa* in arentes fauces ducimus.

לאה, LAE, *La-Haa-Hhee:* Fatigari, defatigari, labore deficere: Nempe *le-le* abiit longe avolavit defecit; *haa* animi: *Hhee* vis, robur, potentia.

לאט, LATH, *Le-Haa-The* involvere, obtegere: Nam *le-le* est ipsum volvere, obvolvere: *haa* curam laborem significat: *the-the* res molles quae advolvuntur, sed molli adtactu.

לאך, LAK, *La-Haa Ke*; Mlak missus, legatus, Angelus, qui *le-le* longe extra mittitur: *Haa* gravibus rebus exsequendis: *ka-ka* aptandis, disponendis.

לבב, LBB, *Le-Be Be*; Cor cordis; quia *le-le* extollitur elevatur; et *bua-bua* inflatur tumescit, et *bua-bua* emittit congesta: nempe palpitat.

לבנה, LBNE, *Le-Be-Ne:* Luna Lunae; quae *le-le* longe alte in Coelo: *bua-bu* rotunda, tumens: *ne-ne* pergit procedit.

לבנה, LBNE, Thus Thuris: Quia fumus thuris *le-le*

alte sublimiter longe fertur elevatur: *bua bua* inflatur tumet: et *ne-ne* oscillat discurrit per aerem.

לבש, LBS, *Le-Be-Schia;* vestire se, induere vestem: Scilicet *le-le* iacere proiicere volvere involvere: *be-be* ponere apponere : *Schia-schia* , premere comprimere aptare corpori. Nam plures veterum Vestes erant fluxae, amplae, fluctuantes, et fere informes, ut pallia, ch*l*amydes, claenae, togae etc.

להב, LEB, *Le Hhee-Be*, Flamma ignis, flamma foci; quae *le-le* alte attollitur elevatur; et *hhee* clara , insignis, praestans res; et *bua-bu* tumens, intumescens, conica.

להג, LEG, *Le-Hhee Ghe* lectio, studium, cura gravis in aliqua re, qua vires animi colliguntur et coadunantur *le-le*; attento studio *hhee*; apponuntur *ghe-ghe* alicui meditationi.

להט, LETH, *Le Hee-The:* Ardere, incendi : Quia flamma, *le-le* alte extollitur; *hhee* clara lucida; *the-the* mollisa tenuis, fluida.

להק, LEQ, *Le-Hhee-Que*, congregatio, coetus, conventus, qui *le-le* longe ex pluribus locis; *hhee* multo labore; *qua-qua* cogitur colligitur.

לוה, LUE, *Lu-Hhee:* Adhaerere, adiicere: scilicet *le-le* alteri externae rei: *Hhee* esse, adesse, coniungi.

לוז, LUZ, *Lu-Ze:* Recedere abscedere: Nempe *le-le* longe longe: *ze-ze* recedere per aliam viam.

לוח, LUC, *Lu-Chia*; Tabula tabulatum; quia est *la-la* latum: et *chia-chia* planum aequatum ; nostra plebs *chiano-chiano*.

לול, LUL, *Lu-Le* Cochlea, scala spiralis; quia tota facta per *le-le*, *le-le* ; sive convolutionem se se elevantem.

לון, LUN, *Lu-Ne*; Hospitari, divertere, scilicet *le-le* longe in externo loco: *lu-lu* adhaerere inhaerere et *ne-ne* se se immittere , ut inde possit *ne-ne* proficisci abire.

לוע, LUO, *Lu-Hhuo*; Deglutire, absorbere ; *Nempe le-le* iacere proiicere *Hhuo*: in profundam cavitatem , quae hic stomachus est.

לוץ, LUTZ, *Lu-Tze*; Deridere ludificare: Scilicet *le-le* iacere proiicere alteri: *tze-tze*, aculeos, res pungentes molestas, ipsosque crepitus, strepitus, risus, irrisiones *tze-tze*.

לוש, LUS, *Lu-Schia*; Depsere, pinsere: Nempe *le-le* massam volvere, advolvere: et *schia-schia* premere vario modo: Hoc *depsere*.

לחה, LCE, *Le-Chia-Hhee*: Maxilla, Gena: quae *le-le* elevatur attollitur; et *chia-chie* adhaeret comprimitur: *hhee* insigni studio et utilitate: Nam per istum motum et loquimur et comedimus.

XII. *Mem*, מ, M, *Ma*, *Me*, *Mi*, etc.

מאד, MAD, *Me-Haa-De*; Multum, valde, copiose. Nempe *me-me* multa plura; *haa* bona praestantia; *de de* addita adiecta.

מאן, MAN, *Me-Haa-Ne*; abnuere renuere denegare; scilicet quod *me me* tenetur habetur: *haa* animo: *ne ne* eiicitur proiicitur.

מאס, MAS, *Ma-Haa-Scia*, spernere reprobare: scilicet *me-me* arreptum: *haa* animo: *scia-scia* pellere expellere.

מאר, MAR, *Me-Haa-Re*; Pungere, lacerare: Nempe *me me* arreptum: *haa* gementem: *re-re* lacerare aperire utcumque ferire; et quidquid exarare, quasi aratro, scalptro lacerare.

מגד, MGD, *Ma-Ghe-De*; Res pretiosa, quae in tutissimo loco servatur, quae nempe *me-me* custoditur servatur: *ghe-ghe* immissa inlata; *de-de* certo loco, tutae sedi.

מגל, MGL, *Me-Ghe-Le*: Falx Falcis; quia *me-me* tenetur manu: *ghe-ghe* magna vi impellitur: et *le-le* longe extra; câque seges, herbae, rami *me-me* arrepti; *ghe-ghe* magna vi: *le-le* auferuntur abscinduntur.

מגן, MGN, *Me-Ghe-Ne*; dare, tradere; Nempe quod *me-me* habetur manu; *ghe-ghe* motu actione brachii et manus; *ne ne* alteri extraneo datur traditur.

מגר, MGR, *Me-Ghe Re*; Detrudere, deiicere; Nempe

me-me arreptam rem: *ghe-ghe* multa vi ; *re-re* ruere proruere.

מדד , MDD , *Me-De De*, metiri, mensuram metrum aptare: Nempe *me-me* est premere comprimere aliqua re , normâ , puta, amussi , mensurâ, ut inde: *de-de* Typus desumatur et notitia.

מהה, MEE , *Me-Hhee Hhee* morari immorari ; Quia *me-me* est locum premere tenere: *hhee hhee* et tempus, et curam, et vacuitatem operis significant.

מהל, MEL, *Me Hhee-Le* miscere permiscere: Nempe *me-me* premere occupare: et *hhee* magno labore curâ: *le-le* volvere intorquere ut mixtio fiat.

מהר, MER, *Me-Hhee-Re* celerare festinare ; Nempe *me-me* arreptam correptam viam : *hhee* labore cura magna: *re-re* percurrere.

מוג, MUG, *Mu-Ghia*; liquefactus, dissolutus, quasi metallum ab igne *me-me* captum penetratum, quod tandem *ghia* non *gha* liquescit deprimitur concidit solutum.

מוח, MUC, *Mu-Chia*, Medulla , pinguedo tenera , quae *me-me* adhaeret; *chia-chia* inhaeret, et quae *me-chia* facile comprimitur et solvitur.

מוט, MUTH, *Mu-The* motus dimotus inclinatus; Nam qui movet se ex loco *me me* occupato presso: *the the* inclinat se pergit in alium.

מוך , MUK, *Mu-Ka ;* Tundere contundere: scilicet *me-me* premere comprimere tundere: et *ka ka* magno pondere gravi malleo ipsum nostrum *ammaccare*.

מול, MUL, *Mu-Le*: caedere abscindere circumcidere: Nempe rem cutem *me-me* comprehensam ; *me-me* circum circa; *le le* auferre tollere abscindere.

מום, MUM, *Mu-Me* : Macula , nota , sordes ; et quae *me me* capiuntur agendo operando ambulando.

מון, MUN, *Mu-Ne;* Imago simulacrum: quod nempe *me-me* impressione capitur; et inde *ne-ne* abstrahitur et recipitur.

מוץ, MUTZ, *Mu-Tza*; Gluma cortices frumenti: qui

nempe Cerealia Grana *me-me* involvunt; et inde *tze-tze* excutiuntur, decutiuntur.

מוק, MUQ, *Mu-Que;* Mucus, mucor, tabes: Quae loco *mu-mu* adhaeret; et *que-que* liquescit solvitur.

מזג, MZG, *Me-Ze-Ghe*: Miscere admiscere : Nempe *me-me* capere adsumere Rem miscendam; et *ze-ze* spargere iniicere dividere in Vase mixtionis : et *ghe-ghe* manu spatula ferro versare et miscere.

XIII. *Nun*, נ, *Na*, *Ne*, *Ni*, etc.

נאד, NAD, *Ne-Haa-De*; Uter, Pellis clausa, qua liquores gestantur : Qua nempe liquor immissus gestatione *ne-ne* oscillat fluctuat: *haa* strepit crepitat: *de-de* huc illuc excurrens et fluens.

נאם, NAM, *Ne-Haa-Me*; Loqui proloqui dicere: scilicet *ne-ne* :efferre proferre ; *haa* voces sonos; *me-me* labiis, per labia.

נאץ, NATZ, *Ne-Haa-Tze*, spernere contemnere; Nempe *ne-ne* foras extra eiicere; *haa* suspirium spernentis irridentis; *tze-tze* etiam risus et irrisionis symbolum, et rerum minutarum et plane contemtibilium.

נאץ, NATZ, provocare irritare ; scilicet *ne-ne* iniicere immittere; *haa* animo, quae iram faciant: *tze-tze* erumpere emittere.

נאר, NAR, *Ne-Haa-Re*: Detestari, abhorrere: scilicet *ne-ne* foras extra: *haa* malum: *re-re* proruendum: vel *ne-ne* non, minime: vult *haa* animus mens: *re-re* accedere adsentiri.

נביא, NBIA, *Ne-Bi-Ja* Propheta, vates, futurorum nuntius: qui scilicet *ja-je* eloquitur dicit : *na-ne* postea deinceps : *bua-bua* venientia ventura.

נבח, NBC , *Ne-Be-Chia* Latrare , Baubare Canum : Quia Canes baubando et latrando: *ne-ne* arcent prohibent: *Bua-bu* venientes advenientes: *chia-chie* accedere inhaerere Domui Domini sui.

נבט, NBTH, *Ne-Be-The* intueri contueri: Quia Veteres putabant ex ipsis oculis nostris *ne-ne* egredi exire : *bua-bua* radios, lucem, vim quamcumque, qua *the-the*

molliter apposita obiectis ea nos sentiremus, et perciperemus.

נבל, NBL, *Ne-Ba-La:* Cadere flaccescere: scilicet *ne-ne* vacillare nutare, et *bua-bu* ire; *le-le* longe, et cadere.

נבע, NBO, *Ne-Be-Hhuo*; Scaturire, eructare aquam liquores; Nempe ex profundo *hhuo*; aquae *ne-ne* educuntur; et *bua-bu* exeunt.

נגד, NGD, *Ne-Ghe-De* contra, adversum, coram. Quasi quis *ne-ne* exiens e loco suo; *ghe-ghe* impellit se; *de-de* ad alium locum.

נגח, NGC, *Ne-Ghe-Chia;* Petere cornibus, ferire cornu; Nempe procurrere *ne-ne*; impellens *ghe-ghe;* quod *chie-chie* inhaereat et vulnus faciat.

נגן, NGN, *Ne-Ghe-Ne*; Pulsare organa musica, Fidicen; qui nempe *ghe-ghe* pulsat impellit pectine chordas musicas, ut *ne-ne* oscillent et sonos gignant.

נגע, NGO, *Ne-Ghe-Hhuo*; Percutere plagis affligere; scilicet *ne-ne* dare: *ghe-ghe* plagas verbera: quae *hhuo* sternant affligant.

נגף, NGF, *Ne-Ghe-Fe*; verberare verberibus afficere. Nempe *ne-ne* alteri; *ghe-ghe* vi dare infligere; *fe-fe* plagas verbera.

נגר, NGR, *Ne-Ghe-Re* fluere effluere, et proprie ex secreto et profondo loco: scilicet ex *ne-ne* interiore et secretiore parte: *ghe-ghe* emergit exsurgit: et *re-re* ruit, fluit: unde duobus fluviis nostris Oscis nomen egregium *Niger*, et *Tanager*.

נגש, NGS, *Ne-Ghe-Scha* accedere propinquare ad aliquem, nempe *ne-ne* venire accedere, *ghe ghe* quasi contra adversus, *scha-scha* stans manens.

נדב, NDB, *Ne-De-Be*; venire libenter ultro sponte accedere: scilicet *ne-ne* venire accedere: *de-de* ad alterum: *bua-bu* quasi osculans.

נדד, NDD, *Ne-De-De*; vagari, divagari, errare. Nam *ne-ne* est ire venire abire: *de-de* huc illuc.

נדה, NDE, *Ne De-Hhee*; Separare, elongare; Nam *ne* et *de* possunt iure et merito designare loca mutuo di-

versa; et si *ne-ne* indicat orientem, *de-de* indicabit occidentem; unde qui est NDE, est separatus et elongatus.

נדח, NDC, *Ne-De-Chia*: Impellere vibrare: *ne-ne* oscillando vibrando; *de-de* mittere emittere aliquid; ut *chia-chia* adhaereat inhaereat.

XIV. *Samech*, ס, *Scia*, *Sce*, *Sci*, etc.

סאן, SAN, *Scia-Haa-Ne;* Praeliari confligere: *scia-scia* turbatio, motus, confusio: *haa* gravis tristis: *ne-ne* impellens agitans.

סבא, SBA, *Scia-Be-Haa*; Potare bibere vinum: *scia-scia* est sonus liquorum fluentium, et adeo qui multum bibit facit multum *scia-scia*; *bua-bu* est tumere implere : *haa* multum valde.

סבב, SBB, *Scia-Be-Be*; circum ire circumdare; *scia-scia* symbolum rotunditatis circulationis: *bua-bua* est ire venire ferri.

סבך, SBK, *Scia-Be-Ke*; implexus perplexus confusus ; quia *scia-scia* confusionem et mixtionem rerum notat : *be-be* inhaerentem: *ka-ka* gravem molestam.

סבל, SBL, *Scia-Be-Le*, Portare gestare, proprie trahere, quia *scia-scia* sonus rerum tractarum: et quae *bua-bu* ducuntur: *le-le* longe.

סגד, SGD, *Scia-Ghe-De* ; Adorare venerari, proprie procumbere humi, et ita quasi *stri-sciando scia-scia* : *ghe-ghe* impellere se: *de-de* ad adorandum venerandum alium.

סגל, SGL, *Scia-Ghe-Le*; Peculium res pretiosa, quae secreto et arcano loco reponitur intromittitur, et quae nempe *scia-scia* molli manu: *ghe-ghe* impellitur: *le-le* intus in interiora, ut tutius servetur.

סגר, SGR, *Scia-Ghe-Re*; Claudere occludere pessulis obserare: *scia-scia* est rumor Pessulorum, qui multa vi: *ghe-ghe* ducuntur: et ruunt *re-re*.

סדר, SDR, *Scia-De-Re;* ordo series catena; quia *scia-scia* sonus Globulorum, sphaerularum ordinatarum , quae *de-de* hîc et hîc: *re-re* ruunt et excurrunt.

סג, SG, *Scia-ghe* avertere se convertere se alio: Vox

characteristica, quia *scia* et *ghe* motus prorsus contrarios et adversos significant.

סד, SD, *Scia-De;* Cippus compes; quia compes *scia-scia* sonat strepit: *de-de* huc illuc gyrans circa pedes.

סדן, SDN, *Scia-De-Ne*, sindones, lintea, quae *scia-scia* expanduntur explicantur, *de-de* huc illuc, et *ne-ne* et pendent adposita in varios usus.

סהר, SER, *Scia-Hhee-Re*; rotundus globosus teres; *scia-scia* lacvis rotundus: *hhee* pulcher: *re-re* ruens, volubilis.

סוח, SUC, *Su-Chie*; velum velamen; quia velum *scia-scia* panditur extenditur: et *chie-chie* adhaeret inhaeret corpori.

סוך, SUK, *Sciu-Ke*; ungere inungere: *scia-scia* sonus unctiotis inunctiotis; *ka-ka* indicat manum prementem, qua unctio peragitur.

סוס, SUS, *Sciu-Scia* equus equi: qui *strigili* et laevigatione *scia-scia* maxime distinguitur.

סוף, SUF, *Sciu-Fe* deficere desinere consumi: *Scia* sonus rei fugientis: *fe-fe* exeuntis et abeuntis.

סחב, SCB, *Scia-Chia-Be* trahere raptare per terram: Nam *scia-scia* sonus rei raptatae: *chia-chia* symbolum rei telluri adhaerentis: *be-be* rei ductae et tractae.

סחה, SCE, *Scia-Chie Hhee*, radere abradere purgare: Scilicet *scia-scia* sonus Rei, quae raditur, quia aliquid adhaerebat *chia-chia*: certâ curâ *hhee*.

סחף, SCF, *Scia-Chia-Fe* everrere abripere: *scia-scia* trahere raptare, quae *chia-chia* inhaerebant; et *fe-fe* abducere auferre.

סחר, SCR, *Scia-Chia-Re;* Circuire, circumgyrare commercii causa: *scia-scia* trahere lente sensim ut Mercator et Negotiator facit; *chia-chia* adhaerendo inhaerendo hîc illic pro natura lucri et negotii: et *re-re* obeundo gyrando circumcursando.

סחש SCSC: *Scia-Chia-Scha*: Sponte renatum, quod sponte renascitur ex seminibus deciduis; Quae semina quum molliter *scia scia* decidissent, et leniter delapsa et recepta fuissent Tellure; et adhaesissent *chia-chia*

tandem *scha-scha* eruperunt in calamum et plantam, et steterunt eminentes.

סיג , SCIG , *Scia-Je-Ghe*: Scoriae ferri; quae *scia-scia* quasi pellis et membrana eiiciuntur ; et *je-je* fluunt : et *ghe-ghe* vibrantur expelluntur vi. •

סיר , SIR , *Sci-Je-Re*: Spina, Dumus: quae *scia-scia* trahunt , attrahunt ; *je-je* veniunt ducuntur ; et *re-re* radunt pungunt acumine.

סכך , SKK , *Scia-Ke-Ke*: Tegere obtegere : Nam mollis actio tendendi pandendi *scia-scia* super aliqua Re tegumentum, quod *ke-ka* premat et occupet.

XV. *Huain*, ע, O, *Hhuo*.

עבב , OBB , *Hhuo-Be-Be*, Trabes, tignum; Res dura densa gravis est *hhuo*; *be-be* tumens rotunda , et longa longa.

עבד , OBD , *Hhuo-Be-De* , Servus minister ; Qui *hhuo* profunde incurvat se in ministerium ; *be-be* manet exspectat ; et *de-de* currit excurrit : Haec servus facit.

עבט , OBTH , *Hhuo-Be-The*: pignorare, res pretiosas pignori tradere : Nempe *hhuo* res graves secretas : *be-be* adponere : *the-the* molli et securo loco.

עבר , OBR , *Hhuo-Be-Re*; Transire praeterire foveam fluvium : Nempe *hhuo* locum profundum depressum; *be-be* itinere; *re-re* transgredi, transire.

עבש , OBS , *Hhuo-Be-Scha* mucorem contrahere , mucidum fieri: Nempe *hhuo* res mala foetida ; *bua-bua* erumpit egreditur ; et *scha* crescit , eminet : Is mucor.

עבת , OBT , *Hhuo-Be-Te;* Torquere , intorquere ; quia *hhuo* symbolum torsionis adtorsionis vertiginis; *be be* est apponere; *te-te* firmiter.

עגב , OGB , *Hhuo-Ghe-Be*: adamare, violenter amare: Scilicet *hhuo* profundum intimum adfectum ; *ghe-ghe* admovere impellere: *be-be* in aliquem.

עגב , OGB , instrumentum musicum ; quia *ghe* et

be tumorem et convexitatem instrumenti musici : *Hhuo* strepitum et resonantiam significant.

עגל, OGL, *Hhuo-Ghe-Le*, rotundus teres : scilicet quia *hhuo* curvus incurvus; *ghe* pulsus impulsus; *le-le* currit. Hinc Currus Plaustrum עגל OGL, quia per *hhuo* rotas, et *ghal* etiam rotas, ducitur *ghe-ghe;* longe *le-le*. Etiam Vitulus dicitur עגל, OGL, sed alia ratione; Scilicet quia demisso capite *hhuo* saltat et furit גל GL.

עגמ , OGM , *Hhuo-Ghe-Me* , tristem et anxium esse. Nempe *hhuo* gravi intimo dolore : *ghe-ghe* pressum: *me-me* captum et occupatum esse.

עגן, OGN, *Hhuo-Ghe-Ne;* morari, moras nectere: Scilicet *hhuo* res graves molestas : *ghe-ghe* impellere adponere ; *ne-ne* , ne procedas ultra , ne pergas.

עדה , ODE , *Hhuo-De-Hhee* , ornare exornare : Nempe quae profunde *hhuo* placeant ; *de-de* hic illic apponere: *hhee* multa cura et studio.

עדן, ODN, *Hhuo-De-Ne ;* Voluptas , delectatio : quae ex intimo cordis *hhuo*: *de-de* exit panditur: extra *ne-ne* ; Idque quia haec grata et profunda *sensatio*, *hhuo*, proficiscitur efficitur ex rebus externis *de-ne*.

עדפ, ODF, *Hhuo-De-Fe*; Redundare exundare; Vox characteristica cuiuscumque profundae eructationis.

עדר, ODR , *Hhuo-De-Re*: Ordinare , disponere ; Nempe res confusas iacentes *hhuo*: hic illic *de-de* loco aequo: *re-re* ordinare, ponere, disponere.

עוב, OUB, *Hhou-Be*; Nubes, obnubilatio : Scilicet Res *hhuo* densa obscura: *bua-bua* inflata tumens : *bua-bua* incedit apparet.

עוג, OUG, *Hhou-Ghe*; Placentas coquere; scilicet Placentam crudam sub cineres calentes igneas *hhuo-hhuo*:impellere immittere *ghe-ghe:* Vox characteristica.

עדה, ODE, *Hhuo-De-Hhee*; Testis , testimonium : qui sese dimittit *hhuo*;ut *de-de* pro alio, vel in alium: *hhee* veritatem dicat.

עוז, OUZ, *Hhau-Ze*; Perversitas, iniquitas: Quia *hhuo* est res torta, distorta, iniqua; et *ze ze* quae ferit, lacerat, nocet.

עול, OUL, *Hhou-Le;* Infans filius natus ; qui ex inferiore et profunda corporis parte *hhuo-hhuo*: *le-le* educitur et adtollitur.

עוף, OUPH, *Hhuo-phe* volare avolare: Nam Avis primo deprimit sese *hhuo*: tum *phe-phe* ferit impetu aerem et volat.

עוק, OUQ, *Hhuo-Que;* premere deprimere arctare: Nam *hhuo* est vehementer deprimere: et *qua-qua* , liquescentem fere reddere et conglutinatum humo , vel cuicumque subiecto.

XVI. *Phe*, *Fe*, פ, *Fa*, *Fe*, *Fi*, etc.

פאה, FAE, *Fe-Haa-Hhee;* Angulus, pars telluris , quae quasi cuneus excurrit: Quae nempe *fe-fe* exire videatur, quae adeo acuta sit; sed etiam *haa* ampla : et *hhee* lata, scilicet angulosa.

פאר, FAR, *Fe-Haa-Re*, ornare exornare; scilicet ponere apponere *fe-fe*, quasi *flocchi*, quae eminent pendent, ornant; *haa* pulchra, multa; *re-re* hic illic excurrentia, nutantia.

פגג, FGG, *Fe-Ghe-Ghe;* Grossus, ficus immaturae. Quae scilicet *fe fe* erumpunt quidem exeunt, sed sunt *ghe-ghe* durae et compactae.

פגל, FGL, *Fe-Ghe-Le;* Res abominabilis, abominanda: *fe-fe* fuge fuge : *ghe-ghe* eiice repelle: *le-le* longe longe.

פגע, FGO, *Fe-Ghe Hhuo*, occurrere alicui obviam alicui fieri: scilicet *fe-fe* exire egredi; *ghe-ghe* impellere se contra adversus coram, et hinc *hhuo* demittere se, curvare se ad amicum iam proximum.

פגר, FGR, *Fe-Ghe-Re;* Lassus, defatigatus, cui *fe-fe* abiit, evanuit; *ghe-ghe* vis robur agendi operandi; *re-re* ruit ipsemet corruit.

פדה, FDE, *Fe-De-Hhee* liberare redimere, scilicet *fe-fe* arcere repellere: a re chara *de-de*: *Hhee* vim et malum imminens.

פדר, FDR, *Fe-De-Re*: Intestina interiora hominis; quibus cibi et escae *fe-fe* inseruntur immittuntur: *de-de* descendunt: et in faeces *re-re* ruunt.

פה, FE, *Fe-Hhee*; Os oris, quia character oris est potissimum *fe-fe* exitus, egressio, halitus, spiritus.

פוג, FUG, *Fu-Ghe*, cessare, intermittere opus: Nempe *fe-fe* agenti currenti: *ghe-ghe* obsto, impello me contra vim oppono: unde necessaria cessatio.

פוח, FUC, *Fu-Chia*, flare, adflare: *fe-fe* litera flandi characteristica: *chia-chia* procursum aurae et venti notat.

פוח, FUC, laqueus decipula, quia in eo animal caput vel pedem *fe-fe* immittit inserit, et *chia-chia*, si *acchiappa*, capitur.

פיח, FIC, *Fe-Je-Chia;* Scintilla favilla; quia *fe-fe* exit erumpit *fe-fe* cum crepitu et sono: *je-je* fluit excurrit: et *chia-chia* concidit decidit.

פוך, FUK, *Fu-Ka;* Fucus stibium; quo *fe-fe* tingitur pingitur facies humana; *ka-ka* gravi ponderosa materia.

פון, FUN, *Fu-Ne*, dubitare, haesitare, quia *fe-fe* vis mentis actuosa agens; *ne-ne* nutat oscillat incerta est.

פוצ, FUTZ, *Fu-Tze*; spargere dissipare dispergere; Vox characteristica, quia *fe-fe* est ipsum spargere foras trudere emittere: *tze-tze* minutas tenues et fractas res, et ipsum spargere significat.

פוק, FUQ, *Fu-Qua;* Titubare, vacillare: Nempe *fe-fe* ire quidem procedere; sed *qua-qua* decidere concidere.

פור, FUR, *Fu-Re*: Rumpi, disrumpi: *fe-fe* et *re-re* rumor rerum disrumpentium. Vox characteristica.

פוש, FUS, *Fe-Scha*: crescere augeri; *fe-fe* symbolum fontis perpetuo manantis: *scha-scha* elevationis, augumenti, cumuli.

פזז, FZZ, *Fe-Ze-Ze*, roborare, firmare solidare: *fe-fe* immittere inducere: *ze-ze* intus quasi cuneos, et nobis *zeppe*, quibus vacillantia et infirma roborantur, firmantur.

פזר, FZR, *Fe-Ze-Re*, spargere, dispergere: quia *fe-fe* est iacere proiicere : *ze-ze* quasi minutias et fragmenta: *re-re* circum circa.

פחד, FCD, *Fe-Chia-De*: Pavere timere: Nempe *fe-fe* exiit prodiit vis mala noxia: *chia-chia* adhaesit: *de-de* animus concidit decidit.

פחז, FCZ, *Fe-Chia-Ze*: Instabilis, velox, levis : qui *fe-fe* prodit exit: *chia-chia* attingit locum ; et *ze-ze* , saltans exsiliens exit.

פחם, PHCM, *Fe-Chie-Me*:Carbones, prunae: quia *fe-fe* flatu spiritu , ignis eius: *chia-chie* inhaeret adhaeret: et *me-me* manet.

פחר, PHCR, *Fe-Chie-Re*, Figulus, Vasorum cerameorum fictor, qui cretam *fe-fe* pinsit pulsat: *chia-chia* adunat miscet: et *re-re* rotat, rota effingit.

פטר , PHTHR , *Fe-The-Re*, Dimittere emittere: *fe-fe* sonus fugientis abeuntis: *the-the* procedentis, incedentis: *re-re* exeuntis.

XVII. *Tzade*, צ, TZ, *tza*, *tze*, *tzi*, etc.

צאל, TZAL, *Tze-Haa-Le* , arbor umbrosa , umbra : proprie res fractae minutae tenues, ut folia *tze-tze*; *haa* multae copiosae ; sed *le-le* altae elevatae utpote arborum.

צאן, TZAN, *Tze-Haa-Ne;* Oves, et utcumque Greges, qui de more ita conferti incedunt , ut oves mutuo *tze-tze*, Italus diceret *tozzano*, et ita se urgentes *haa* laboriose: *ne-ne* procedunt incedunt.

צבא, TZBA, *Tze-Be-Haa ;* Turmatim ire, confertim venire, militare: Nempe *tze-tze* confertim mixtim: *bua-bu* ire venire: *haa* multam viam.

צבה, TZBE, tumescere , intumescere , inflari : quia quae intumescunt, intestino motu tument: Scilicet quia internae partes disruptae *tze-tze*: dilatant *bua-bu* corpus: *hhee* gravi malo.

צבי, TZBI, *Tze-Be-Je* , ornamenta decora colli et membrorum: Quae *tze-tze* lucent, pendent minuta coniuncta; quae *be-be* manent: et *je-je* fluctuant oscillant.

צבע, TZBO , *Tze-Bu-Hhuo* tingere , colorare , quia

tingimus et coloramus, *tze-tze schizzando* spargendo adponendo, *be-be* colores , et *hhuo* mergendo immergendo.

צבר, TZBR, *Tze-Be-Re*: Congregare coacervare: Nempe *tze-tze* minutas res, fractas, plurimas coniunctim : *bua-bu* ponere apponere: et una *re-re* advolvere cumulare.

צבת, TZBT, *Tze-Be-Te;* Fasciculus, manipulus , qui ex *tze-tze* calamis virgulis fustibus minutis et coniunctis, qui *bua-bu* apponuntur, *te-te* firmiter constat.

צדה, TZDE, *Tze-De-Hhee* venari, quaerere , investigare: Nam *tze-tze* est tentare pertentare , omnia impedimenta quasi frangere *tze-tze*: ut *de-de* de loco suo exeat prodeat desiderata res *hhee*.

צדק, TZDQ, *Tze-De-Qua*; Justus, rectus, pius: proprie Asceta, qui *tze-tze* spretis reiectis ; *de-de* longe rebus mundanis et malis ; *qua-qua* quiescit fixus in meditatione et operibus bonis : Vel qui *tze-tze* exsiluit profugit: *de-de* separatus divisus in Eremum; et *qua-qua* mansit ibi collectus.

צהב, TZEB, *Tze-Hhee-Be*; Fulgens fulgidus: Scilicet *tze-tze* iaciens radios: *hhee* pulcros charos: *bua-bu* leniter venientes.

צהר, TZER, *Tze-Hhee-Re*, lumen, splendor lucis: quae *tze-tze* iaculatur vibratur; *hhee* pulchra optata : *re-re* celerrime excurrens.

צוה, TZUE, *Tzu-Hhee*, praecipere, iubere: quia *tze-tzee* significat aspera et molesta imponere, ut omnia iussa et praecepta sunt; *hhee* quae magnam animi curam requirunt.

צוח, TZUC, *Tzu-Chia*, conqueri, vociferari: Scilicet *tzu-tzu* rumores, strepitus, voces, clamores; *chia-chia* coniungere addere.

צול, TZUL, *Tzu-Le*; Profundum , profunditas : quia *tze-tze* est ruptura fovea : *le-le* longa , alta , profunda.

צום, TZUM, *Tze-Me* ; Jeiunare, jeiunium: nempe *meme* clausura, occlusio oris et labiorum; ne *tze-tze* fiat

motus Dentium mandentium, et cibi sint *tze-tze* fracti.

צוף, TZUF, *Tzu-Fe* fluere, exundare; quia *tze-tze* est erumpere exire, et *fe-fe* fluere efflucre.

צוק, TZUQ, *Tzu-Que*; angustare arctare vehementer, quia *tze-tze* est pungere, vehementer premere; *qua-qua* torquere aggravare.

צור, TZUR, *Tzu-Re:* Arctare, obsidere: *tze-tze* vexare, arctare: *re-re* circum circa.

צחח, TZCC, *Tze-Chia-Chia*, Nitidus, serenus: scilicet irradians *tze-tze*, et quidem uniformiter *chia-chia*.

צחן, TZCN, *Tze-Chie-Ne*, foetor, putredo; quia *tze-tze* est odor et foetor, qui vibratur atque emittitur; *chia-chia* rei iacenti inhaerentiam et adeo putrescentiam notat; et *ne-ne* foetorem ipsum inde procedentem.

צחק, TZCQ, *Tze-Chie-Que*: Ridere risum emittere. Nam quum in risum erumpimus hae potissimum literae exprimuntur: *tze-tze* est sonus oris vi diducti, et Spiritus in dentes et labia illisus: *chie-chie*: *qua-qua* sonus palati et gutturis concussorum a risu.

ציץ, TZITZ, *Tze-Tze* florere efflorere: Nam flores sunt plurimi, minuti, fracti, qui erumpunt *tze*, et decidunt *tze*.

צית, TZIT, *Tzi-Te* accendere: Nempe iniicere indere *tze-tze* rem tenuem subtilem, quae *je-je* effluat intret, et *te-te* maneat, quod ignis est.

XVIII. *Quof*, ק, Q, *Qua*, *Que*, *Qui*, etc.

קבב, QBB, *Que-Be-Be*; Maledicere, blasphemare; Nempe *que-qua* torta distorta, et adeo mala, tristia: *bua-bua* dicere proferre.

קב, QB, *Que-Be*, ventriculus, stomachus; quia est *que-que* cavus, concavus, et *bua-bu* tumens convexus.

קבל, QBL, *Que-be-le*, accipere, recipere: Nam qui accipit et recipit aliquid *qua-qua* curvat manum: *bua-bu* tumidiorem facit accepta re: quam *le-le* aufert et trahit secum.

קבע, QBO, *Que-be-Hhuo*, spoliare rapere denudare: *que-que* insilire incumbere alicui: *bu-bu* stare, ut ille fiat: *hhuo* oppressus stratus nudus.

קבצ, QBTZ, *Que-be-tze* colligare adgregare, contrahere. Nam *que-que* est manere, iacere coniuncta; *bua-bu* ut cumulum faciant: *tze-tze* impellere urgere.

קבר, QBR, *Que-be-re*, sepulcrum, sepelire: Nempe *re-re* ruere iniicere aliquid: *be-be* ut maneat iaceat; *que-que* in caveam foveam.

קדד, QDD, *Que-de-de*; Inclinare se incurvare se: Vox characteristica. Nam *que-que* significat incurvationem: *de-de* demissionem inclinationem.

קדח, QDC, *Que-de-chie*; accendere et proprie scintillas ex lapide eruere, et in fomitem recipere. Nam *que-que* est quasi excavare, latentia eruere, et *de-de* de lapide: *chia-chia* adhaerere facere fomiti.

קדם, QDM, *Que-de-me*, antiquus anterior, qui ex *que-que* profunditatibus aeternitatis vel temporis: *de-de* exit emergit: et *me-me* occupat et tenet locum.

קדר, QDR, *Qua-de-re*: Obscurari, obtenebrari; Nam *qua-qua* est velut nubes, aer densus, coagulatus: *de-de* hic illic: *re-re* ruens excurrens.

קדש, QDS, *Que-de-Schia*: Sacrari, sanctificari, divino cultui destinari: Scilicet: *que-que* colligi manere quasi coagulatus: *de-de* in aliquo loco, ut ibi *scha-scha* adstet praestet officia: et etiam *schia-schia* prostratus adorans.

קהל, QEL, *Que-Hhe-le*; Congregare, adunare: Nempe *le-le* impellere propellere, *hhee* certa cura studio, ut *qua-qua* una plures subsidant, sedeant, cogantur.

קוא, QUA, *Quu-Haa*, vomere, evomere; vox characteristica.

קוה, QUE, *Quu-Hhee*: Exspectare praestolari; Scilicet *que-que* subsidere iacere manere; *hhee* gravia habens in animo.

קוט, QUTH, *Quu-The* fastidire, nauseare, reiicere. Nam *que-que* est distorquere os, contrahere, et *the-the* spuere exspuere.

קום, QUM, *Quu-me* stare manere: Nam utraque litera

loci quasi occupationem et pressionem notant. Et quoniam *que-que* statum plane depressum et humilem significat, et *me-me* altiorem ; קם QM significat etiam surgere , scilicet ex loco depressiore in altiorem transire.

קוֹן, QUN, *Quu-ne*, lamentari, queri, scilicet *que-que*, gemitus querelas: *ne-ne* emittere dare.

קוֹצ, QUTZ, *Qua-Tze* spinae dumi; sunt enim *que-que* tortae curvae, et *tze-tze* pungentes acutae.

קוֹר, QUR, *Quu-re* ; Fodere effodere : *qua-qua* enim est cavare excavare ; *re-re* ruere terram eruere: Hoc fodere.

קוֹה, QEH , *Que-Hhee-Hhee;* Hebetari, obtusum fieri. Nam *que-que* est curvari, incurvari, et adeo hebetari *hhee* gravissime.

קוֹש, QUS, *Quu-Scha*: Tendiculam ponere, Decipulam nectere: Scilicet instrumentum *quu-quu* depressum occultum, curvum; quod vero *scha-scha* erumpat et opprimat *schia*.

קוֹטב, QTHB, *Quu-The-be*; excisio, succisio, excidium. Nempe *quu-quu* depressio oppressio rerum, eminentium *the-the*, et stantium *be-be*.

XIX. *Resch*, ר, R, *Ra-Re-Ri* etc.

ראֹש, RAS, *Re-Haa-Sche*; Caput, vertex capitis, quia rotat, vertitur *re-re*: est *haa* res praestans, insignis; et *sche-sche* eminet prominet.

ראֹש, RAS, venenum res velenosa ; quae nempe *re-re* ruat penetret enecet: *haa* substantia insignis gravis: et *schia-schia* non *scha-scha* opprimat prosternat.

רבב, RBB, *Re-be-be*, multitudo, multum, multiplicari; *re-re* currere adcurrere: *bua-bu* venire advenire, addi superaddi hoc crescere est et multiplicari.

רבד, RBD, *Re-be-de*, monile torques, qui *re-re* vertitur volvitur per collum: *be-be* manet ponitur adponitur: *de-de* hîc et hîc.

רבק , RBK, *Re-be-Ka*, Res frixa, frixurâ cocta; quia Placenta frixa *re-re* agitatur volvitur in vase, *bua-bu*

inflatur tumet, et K*a*-K*a* fit ponderosior, gravior hausto oleo vel pinguedine quacumque.

רבצ, RBTZ, *Re-Be-Tze* cubare, accubare; Nempe *re-re* ruere corruere proiicere se in cubile, *be-be* manere, componere te, *tze-tze* artus membra extendere protendere, quod saepissime cubantes facimus.

רבק, RBQ, *Re-Be-Qua*, Saginarium, locus, quo Bruta animalia occluduntur, ut fiant pinguia; Locus nempe quo *re-re* ruant irruant, Bruta, et quo *be-be* maneant, ut fiant *qua-qua* lata, magna, pinguia.

רגב, RGB, *Re-Ghe-Be*, Glebae, quae *re-re* Aratro proruuntur educuntur, vi *ghe-ghe*, et manent *bua-bua* erectae tumentes.

רגז, RGZ, *Re-Ghe-Ze*, commoveri, trepidare, tremere. Nam *re-re* est quasi ruere, corruere, *ghe-ghe* est huc illuc impelli, et vacillare, *ze-ze* subsilire, et ipsum trepidare.

רגל, RGL, *Re-Ghe-Le*, Pes pedis, quia pes procurrit; *ghe-ghe* impulsione; et *le-le* elevatione.

רגמ, RGM, *Re-Ghe-Me*; Lapidare lapidibus obruere. Nam *re-re* est lapides ruere, proruere, ut *ghe-ghe* tumulum et cumulum faciant; unde aliquid *me-me* opprimatur, obtegatur.

רגן, RGN, *Re-Ghe-Ne*, Murmurare susurrare; Scilicet *re-re* rumores, murmura: *ghe-ghe* efferre proferre: *ne-ne* foras extra significant.

רגע, RGO, *Re-Ghe-Hhuo*, Rumpi, disrumpi, diffindi. Nam *re-re* est rumor violentae *ghe-ghe* quasi explosionis (*Scoppio*), exqua corpus maneat *hhuo* fractum depressum.

רגש, RGS, *Re-Ghe-Schia*, Tumultuari, tumultus et turbas ciere; Nempe *re-re* procurrere, proruere, *ghe-ghe* violenter impetuose, et *schia-schia* vociferare *schiamazzare*.

ردד, RDD, *Re-De-De*, Extendere, expandere; Scilicet *re-re* in longum ducere proferre; *de-de* hic illic; quod expandere est.

רדה, RDE, R*e-De-Hhee*, imperium habere, dominari:

Nam qui habet *hhee* vim potestatem, in *de-de* in aliam rem, *re-re* agendi operandi is Dominus est.

רדפ, RDF, *Re-De-Fe*, sequi, sectari, insectari: Scilicet *re-re* ruere proruere, ut *de-de* adsecteris arripias, *fe-fe* fugientem procurrentem.

רהב, RHB, *Re-Hhee-Be*, efferre se, superbire: Scilicet *re-re* ruere procurrere, *hhee* magna gloria, magna iactantia, *bua-bua* tumentem tumidum.

רוב, RUB, *Ru-Be*, contendere, litigare; Scilicet *re-re* rumorem, litem facere; *be-be* super aliqua re.

רוה, RUH, *Ru-Hhee* irrigare rigare: Nam *re-re* est rumor liquorum fluentium: *Hhee* est symbolum rei insignis et utilis.

רום, RUM, *Ru-Me*, altum elevatum esse: Nempe *re-re* currere excurrere; *me-me* supra in altum.

רוף, RUPH, *Ru-Phe* concutere quassare: Nempe; *re-re* ruere incurrere; *phe-phe* concutiendo percutiendo; quod quatere est.

רוץ, RUTZ, *Ru-Tze*: Currere decurrere excurrere; Nam R litera cursus; et *tze-tze* symbolum impedimentorum, quae pedes currendo pulsant propellunt effringunt.

XX. *Schin*, ש, SG, *scha*, *schia*.

שאב, SAB, *Scha-Haa-Be*; Haurire aquas vase, attrahere; Nempe *scha-scha* adtollere elevare, *haa* rem bonam utilem, *be-be* vase, quo maneat.

שאה, SAH, *Schia-Haa-Hhee*, vastari, devastari, tumultuare. Nam *schia-schia* est vociferare, tumultuare, et prosterni: *Haa-hhee* iustam rei gravitatem significant.

שאט, SATH, *Schia-Haa-The*, spernere contemnere: Nam *schia* est percutere, sternere, vel expellere *scacciare*, *haa* malo animo, et *the-the* spuere despuere.

שאל, SAL, *Schia-Haa-Le*; Interrogare, consulere: Scilicet *le-le* ire ad aliquem; et ei *schia-schia* aperire pandere propositum aliquod grave *haa*; ut ille contra *schia-schia* iterum explicet ac explanet.

שאול, SAUL, *Schia-Haa-Le*, Tartarus, Infernus:

Locus nempe *schia-schia* depressus infernus; *haa* terribilis malus; *le-le* longe longe positus profundissimus.

שאן, SAN, *Schia-Haa-Ne*; quies, tranquillitas: Quia tranquillus quietus quasi *schia-schia* expanso dilatato, *haa* corde animo, *ne-ne* oscillat, ambulat, vivit.

שאפ, SAF, *Schia-Haa-Fe*; Haurire, liquores adsumere, scilicet vas caduum in cisternam *schia-schia* impellere demittere, et *haa* aquam, *fe-fe* ferre afferre educere.

שאר, SAR, *Schia-Haa-Re*: Pars, frustum, reliquum, quod remanet: Scilicet *schia-schia* frustum pars, quasi nostrum *schiacco*: *Haa* a re a substantia principali: *re-re* avulsum exsectum: Vel potius, *schia-schia* non *schia*, quod eminet, prominet, manet, restat: *haa* re substantia principali: *re-re* ruente absumta.

שאר, SAR, *Schia-Haa-Re*: Fermentum, quo Massa Panis *schia-schia* expanditur excrescit, *haa* multum, ut *re-re* fluat excurrat.

שבב, SBB, *Sche-be-be*, fragmenta fragmina, quae *sche-sche* vi iaciuntur proiiciuntur, nobis *schieggé*, *bua-bu* veniuntque proiecta.

שבה, SBE, *Schia-be-hhee*, Captivum facere ducere. Scilicet *schia-schia* oppressum prostratum; *be-be* ducere adducere; *hhee* vi. Nobis *schiavo*.

שבח, SBC, *Sche-be-chi*; laudare collaudare laudibus tollere. Scilicet *sche-sche* tollere attollere; *be-be* proferens efferens; *chie-chie* voces cantum.

שבח, SBC, *Schia-be-chia*, Reprimere compescere: Nam *schia* non *scha* est opprimere *schiacciare*; *be-be* ponere deprimere; *chia-chia* in plano, humi.

שבט, SBTH, *Sche-Be-The*; Baculus, scipio: Quia *sche sche* eminet erectus est; et cum eo *bua-bua* incedimus ambulamus; *the-the* molliter et lenter pulsando humum.

שבל, SBL, *Schia-be-le*; Via, semita, viarum strata, quia revera sunt *schia-schia* strata, *schianate*, et per ea *bua-bua* incedimus, ambulamus, *le-le* longe longe.

שבע, SBO, *Schia-bu-hhuo*, satiari, saturari, saturum fieri: Nempe *schia-schia* ingerere infundere indere, unde nostrum *schiaffare*, escas cibos, ita ut; *bua-bu* tumeat impleatur; *hhuo* capacitas stomachi profunda.

שבע, SBO: *Schia-be-hhuo* adiurare iurare: Scilicet *schia-schia*, *schiamazzando*, clamando; preces adiurationes; *bua-bu* dare efferre; *Hhuo* stratus, prostratus, humiliter.

שבץ, SBTZ, *Schia-be-tze*, opus occellatum tessellatum: Quod habeat *schia-schia* quasi maculas, notas, oculos; *bua-bu* positos adpositos; *tze-tze* hic illic vario loco et situ infixos, acu vel alia ratione insertos implexos adplexos.

שבק, SBQ, *Sche-be-que*: demittere, relinquere, reiicere; *sche-sche* est repellere, quasi nostrum *scacciare*; et *be-be* ponere adponere; *qua-qua* loco separato, quieto ubi quiescat maneat *qua* depositus.

שבר, SBR, *Schia-be-re*, frangere, effringere; Nam *schia-schia*, quasi nostrum *schiacciare* est frangere, et *be-be* facere; *re-re* ruere discurrere in minutas partes in fragmina.

שבש, SBSC; *Schia-be-schia*, obstupescere, perplexum attonitum manere; Nempe *schia schia* oppressum depressum, *be-bu* manere durare adhuc, *schia* oppressum dubiis et perplexitate.

שבת, SBT, *Schia-be-te* quiescere, cessare; Nempe *schia* depressum, deiectum; *be-be* manere; *te-te* fixum, defixum.

XXI. *Tau*, ת, T, *ta*, *te*, *ti*, etc.

תאב, TAB, *Te-haa-be*; Desiderare, concupiscere. Scilicet, *ta-ta* ponere adponere, *haa* adfectum desiderium animum, *be-be* alicui rei.

תאה, TAH, *Te-haa-hhee*; Definire determinare fines constituere. Nam *ta-ta* est figere designare; *haa* late plene; *hhee* multo studio cura.

תאם, TAM, *Te-Haa-Me*: Geminare, ingeminare: Nam *te-te* symbolum quasi ictus, vicis, operationis; *Haa*

repetitionis multitudinis; *me-me* peractae receptae adsumtae.

תאר, TAR, *Te-Haa-Re;* Delineare, describere, efformare: Scilicet *te te* lineas signa; *haa* multas plures; *re-re* ducere trahere; quod designare et delineare est.

תבה, TBE, *Te-Be-Hhee*, Arca Capsa, qua *te-te* indantur, reponantur condantur; *bu-bu* cumulentur; *Hhee* res pretiosae bonae in custodiam.

תבל, TBL, *Te-be-le*, Terra habitabilis, quae *te-te* pulsatur pedibus premitur; qua *be-be* manemus stamus; qua *le-le* ambulamus movemur.

תבן, TBN, *Te-be-ne*, Palea, Stramen; Nam palea habetur ex Segetis *te-te* trituratione, percussione, verberatione: ex *bua bua* iactatione, et ventilatione: per quae frumentum et legumen *bua-bua* excussum et reiectum *ne-ne* est; et Stramen factum.

תוך, TUK, *Tu-Ke*, medium, centrum rei *ti-ti* punctum nota centrum, *ka-ka* intimum internum medium.

תור, TUR, *Tu-Re*, explorare, scrutari, circumire: Scilicet *te-te* tangendo, attingendo, tentando; *re re* turrere discurrere.

תזז, TZZ, *Te-ze-ze*, amputare abscindere: Scilicet *te te* percutere, et *ze-ze* abscindere: vox characteristica.

תחר, TCR, *Te-chia-re*, lorica thorax: qui *te-te* durus et firmus; *chia-chia* adhaeret inhaeret; et *re re* circuit circumdat corpus Militis.

תחת, TCR, *Te-chie-re;* miscere plures substantias permiscere; Scilicet *te-te* ponere infundere priori aliam substantiam: *chia-chia* unire confundere; *re-re* volvere pervolvere.

תחת, TCT, *Te chie-te* subtus subter; Quia sunt indicandi duo loci superior et inferior, *Te* superior; *chie-te* est inferior.

תכך, TKK, *Te-ke-ke*, dolus insidiae: quae *te-te* positae dispositae sunt; *ka-ka* in abdito et occulto loco; eaque *ka-ka* mala gravia.

תכן, TKN, *Te-Ke-Ne*, extendere, ponderare: Scilicet *te-te* imponere bilanci; *ka-ka* pondus; et *ne-ne* oscillationem nutationem criterii intueri et animadvertere. Hoc ponderare.

תלל, TLL, *Te-Le-Le*, Cumulare aggregare: Nempe *te-te* ponere et adponere; ut *le le* alte adsurgat cumulus.

תלג, TLG, *Te-le-gha*, Nix Nivis: quae *te-te* cadit decidit: *le-le* ex alto, e coelo, et est *gha-gha* coacta, congelata, et quae potest adhuc *gha-gha* coadunari, et in massam cogi.

תמר, TMR, *Te-me-re* Res fixa, iugis, perennis; quae *te-te* fixa immota; *me-me* manens stans; *re-re* durat perdurat.

תמך, TMK, *Te-Me-Ka*, tenere, continere, apprehendere: Nempe *te-te* apponere et quasi infigere manus; *me-me* apprehendere, comprehendere; *ka-ka* capere capacitate tenere.

תמם, TMM, *Te-me-me*, perficere absolvere: Nempe *te-te* terminum finem signum: *me-me* arripere tenere.

TENTAMINUM ETYMOLOGICORUM

PARS QUARTA: *SIVE*

SPECIMINA ETYMOLOGICA

LINGUAE *GRAECAE*, *LATINAE*, *SAMSCRITICAE*, *COPTICAE*, *SINICAE*: IN DEMONSTRATIONEM GLOSSOPOEISMI TECHNICI ET SYSTEMATICI VETERUM GENTIUM; *edita in* ADPENDICE *ad TENTAMEN HERMEN. OSCUM, quam vide.*

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06589 8960
AUG 6 1981
UNIV. OF MICH.
LIBRARY

DO NOT REMOVE
OR
TE CARD